19 G 98
J X
18/s



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30509774

Double v.é
de T
1316.
1.

42600


MULIEBRIA
HISTORICO-MEDICA,
HOC EST
PARTIUM GENITALIUM MULIEBRIUM
CONSIDERATIO PHYSICO - MEDICO - FORENSIS,
QUA
PUDENDI MULIEBRIS PARTES
TAM EXTERNÆ, QUAM INTERNÆ,
SCILICET
UTERUS CUM IPSI ANNEXIS OVARIIS
ET TUBIS FALLOPIANIS,
NEC NON
VARIA DE CLITORIDE ET TRIBADISMO,
DE HYMENE ET NYMPHOTOMIA SEU FEMINARUM
CIRCUMCISIONE ET CASTRATIONE
SELECTIS ET CURIOSIS OBSERVATIONIBUS
TRADUNTUR.





A

D. MARTINO SCHURIGIO,
PHYSICO DRESDENSI.



DRESDÆ & LIPSIÆ,
APUD CHRISTOPHORI HEKELII B. FILIUM,
M. DCC. XXIX.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



PRÆFATIUNCULA.

POſt editam ante aliquot annos Spermatologiam ad Sialo-& Chylologiæ elaborationem progrediens a variis Patronis atque Amicis, ut præmisſis ad Hominis Generationem neceſſariis Virorum Organis Mulierum quoque Partes genitales, & alia ad Conceptionem ac Partum pertinentia annecterem, tam oretenus, quam per literas ſæpius admonebar; quorum mandato atque deſiderio ut in tantum gratificarer, quicquid de Organis Mulierum, de Puber-

tate, Menſtruatione & Virginitate, item de Salacitate atque congreſſu, de Tribadiſmo, arte meretricia, Philtris & Sophiſticatione, porro de Conceptione, Gemellatione, Superfœtatione, Embryotokia, Atreſia, Graviditate, Partu &c. in Manuſcriptis meis, per quadraginta, & quod excurrit, annos, collectis reperire licuit, in duobus Voluminibus Medicinæ Tyronibus, & quibus curta librorum ſupellex, bona fide & quidem ipſisſimis Autorum verbis communicare decreveram. Quia vero hoc ævo librorum tam venditores, quam emptores, non niſi parvulos Tractatulos (a la mode des Journeaux) deſiderant, Tractatus vero aliquot Alphabetorum

torum edere Bibliopolæ recuſant, hac vice tantummodo Mulierum, ad humani generis propagationem primario facientia, Organa, quippe quorum cognitio ad reliquos ſubſequentes Tractatus ſumme neceſſaria eſt, in tribus Sectionibus, quarum prima de Pudendi muliebris partibus externis, ſecunda de ejusdem partibus internis, & tertia de interioribus Mulierum partibus genitalibus agunt, præmittere volui.

Cum autem in hoc Tractatulo æque ac in omnibus Scriptis anatomico-phyſiologicis occurrentia obſcœnarum partium Vocabula atque denominationes nonnullis, Artis medicæ ignaris,

fœda nimis & ſcandaloſa, (nonnullis fortaſſe pro forma,) judicari posſint, ſciant tales, me Medicum, ſeptuageſimum annum jamjam ſupergreſſum, junioribus Medicis ſcribere, & absque ejusmodi vocabulorum, vel artis terminorum, uſu difficulter hanc materiam explanari, neque etiam Phyſicorum, de variis, circa Muliebria propoſitis Caſibus, in Relationibus Medicis ad Synedria tam Eccleſiaſtica, quam Juridica exhibendis, mentem intelligi poſſe; quapropter etiam Medicinæ ſolummodo Studioſis tenue hoc ſcriptum communicatum volui, minimeque talismodi laſcivum Judicium a ſcribendi munere deterrere me debuit, cum, ſecundum

dum Ciceronem, verbis offendi morbi atque imbecillitatis sit.

Quisquis proinde ad has literas impudicus accedit, secundum Augustinum (de Civitat. Dei Lib. IV. cap. 23.) Culpam refugiat, non naturam; facta denotet suæ turpitudinis, non verba nostræ necessitatis, in quibus mihi facile pudicus & religiosus Lector ignoscet, quia non damnabilem obscœnitatem commemoramus, sed in explicandis humanæ Generationis affectibus, quantum possumus, verba obscœna devitamus. Vel juxta verba Johannis de Muralto (Clav. Medicin. seu Vademec. pag. 399.) partes has non ad illecebra-

cebrarum ac libidinum & voluptatum incentiva, ſed melioris ſui ipſius notitiæ gratia in Reipublicæ Medicæ commodum deſcribo. Imo Clementi Alexandrino (Pædagog. Lib. II. cap. 10.) non turpe videtur ad Auditorum (Lectorum) utilitatem nominare partes, quas quidem Deum fabricari non puduit. Abſit itaque ex mente Theodori Kerckringii (Spicileg. anatom. Obſ. 12. p.32.) ab hoc Tractatu laſciva petulantia, & procul hinc, procul eſte aures profanæ & ſalaces; Medicis ſcribimus, quibus & tangere ſubinde permittit neceſſitas, quæ Natura, ſollicita Pudicitiæ conſervatrix, velanda curavit.



MULIEBRIUM
SIVE
PARTIUM GENITALIUM FEMIMARUM
SECTIO I.
De Pudendi muliebris Partibus externis.
CAPUT I.
De Variis Pudendi muliebris Denominationibus.

§. 1.

AD Hominis Generationem ordinarie duos diversos requiri sexus, masculinum scilicet atque femineum, in vulgus notum est, quorum ille Impraegnationis, hic vero Conceptionis munere fungitur. Quae ratione Maris pro hoc scopo necessaria sint, in Spermatologia nostra exposuimus, in praesenti autem Tractatu Feminarum partes in Generationis negotio subeundas perpendemus. *Mulierum partes genitales*

§. 2.

Primo igitur loco de Mulierum membro genitali sermo nobis erit, cujus ora seu regio exterior in oculos incurrens ab Anatomicis appellatur Pudendum muliebre, interior vero latens Uterus vocari solet. *sunt duplices.*

§. 3.

Ad muliebre Pudendum, quod etiam Natura seu Sinus muliebris vocatur, referuntur omnes partes obscœnae femineae, quae citra dissectionem conspiciuntur, & quidem non modo illae, *Pudendi partes.*

quæ in adultis feminis ſtatim externe & absque labiorum apertura viſui ſunt expoſitæ, ſed etiam quæ ſub labiis latent atque non niſi dilatatis iisdem examinantium oculis ſeſe exhibent. Illæ ſunt Pubes & Monticulus Veneris, Fiſſura magna, ſeu Vulva, ejusdem Labia & Perinæum; His vero ab Autoribus Anatomicis Clitoris & Nymphæ, Carunculæ myrtiformes, Meatus urinarius, Orificium vaginæ uterinæ & Hymen adnumerari ſolent. De prioribus ſeu illis, quæ ſine Labiorum diductione in conſpectum veniunt, jam ſermo nobis erit.

§. 4.

Variæ denominationes

Variis ſcilicet nominibus Pudendum muliebre Autoribus venire ſolet; vocatur enim Vulva, Cunnus, Muliebria, Arvum genitale, Hortus, Interfemineum, Porta, Oſtium, Concha, Navis, Porcus, Fovea, Fundus, Saltus, Larva, Canis, Sciſſura, Lanuvium, Clitorium, Virginal, Vomer, Sulcus, Annulus, Natura, Focus, Cymba, Antrum, Delta, Ager, Myrtus variata, quo nomine priſcos Muliebria vocaſſe refert Conradus Tiberius Rango *de Capillament. cap. 9. p. m. 229.*

§. 5.

Græcæ.

Varias etiam Denominationes Græcas reperies apud Gualter. Charleton. *de Cauſ. Catamenior. cap. 2. p. 9. ſeq.* Guern. Rolfinc. *de Part. genital. Part. 2. cap. 32. p.* 179. Stephan. Blancard. *Lexic. Med. ſub Titulo Cunnus* Aloiſ. Sig. *Colloqu. 2. p.* 16. Rang. *l. a.*

§. 6.

Earum Explicatio.

Hæ Denominationes Latinæ quamvis vel per ſe, vel per Metaphoram ſatis claræ ſint, earundem tamen nonnullæ a variis Autoribus ſequentem in modum explicantur. v. g.

Pudenda.

Pudenda dicuntur propterea, quod importuno tempore & loco detecta mulieribus pudorem afferre ſolent, v. Regner. de Graaf *de Organ. Mulier. cap. 2. Oper. p. m.* 167. & juxta Philipp. Verheyen. *Anatom. Tr. 2. cap. 29. p. m.* 199. illas, niſi in certis circumſtantiis, denudari vetat pudor. Imo tempore pubertatis, & circa annos diſcretionis vitiorum a virtutibus, ideo utriusque ſexus partes

Natura

Natura pilis obvelare ſolet, ut moneamur, honeſtatem atque pudorem præcipuum ibidem loci domicilium ſtabilire. Unde etiam vocatur Sinus pudoris. Jean Palfyn *dans la deſcription anatom. des Part. de la Femme Part.* 1. *pag. m.* 1. *ſq.* ſcribit: Les parties externes de la Femme ſont appellées honteuſes, à cauſe qu'elles donnent de la pudeur & une honneſte crainte, toutes les fois, qu'elles ſeroient decouvertes à contre tems: ce n'eſt pas d'aujourdhuy, qu'on a trouvé à propos de les appeller honteuſes: toute l'Antiquité a été dans ce ſentiment, & depuis le commendement, que Dieu fit à Moyſe, de ne monter jamais à l'Autel par des dégrez, qui puiſſent faire voir ce que l'honneſteté nous apprend de tenir caché, tous ceux qui vinrent aprés ont donné des noms à ces parties, qui expriment heureuſement la penſée de ce divin commendement. Mais diſons avec Tertullien, que nous ne devons pas avoir honte de l'explication neceſſaire de ces parties, qui meritent nôtre admiration, & même que les perſonnes les plus chaſtes, & les plus ſcrupuleuſes les peuvent conſiderer auſſi bien que nous, ſans rougir, pourveuque ce ſont à deſſein d'en faire un bon uſage.

§. 7.

Vulvæ nomen quidam derivant a Valvis, quaſi Valva ventris, quod inſtar januæ facile claudatur & aperiatur; & per quam Penis ingrediatur & fœtus egrediatur, vid. Franc. Plazon. *de Partib. Generat. Lib.* 2. *cap.* 2. *p. m.* 107. vel quod ſemen recipiat, vel quod ex ea fœtus prodeat juxta Guern. Rolfinc. *l. a. cap.* 32. *p.* 182. ubi nunquam ſibi vulvæ nomen placuiſſe addit, quia auribus videatur ingratum. Multo horridius, pergit Rolfincius, ſonat, cum legitur in Galeni Verſione Latina: περὶ ἀνατομῆς τῆς ὑστέρας, de diſſectione Vulvæ. Vitium eſt, placuiſſe id tantum Interpreti, ut maluerit errorem committere, quam illius non meminiſſe. Talis autem Interpres absque dubio eſt Joannes Bernardus Felicianus, qui dictum Galeni Tractatum de diſſectione vulvæ hoc titulo donavit. v. Galen. *Oper. Claſſ.* 1. *f. m.* 113. Nihilominus Se- *Vulvæ.*

verino Pinæo *de Virgin. Not. Lib.* 1. *cap.* 2. *p.* 27. Pudenda feminina quoque proprie appellatur Vulva, quasi Vallis seu valva, quia mediante rima amplissima pars hæc externa in duas dividitur partes, dextram videlicet ac sinistram, quæ clauduntur & aperiuntur, ut valvæ alicujus domus insignis, & ab invicem, quando opus est, distrahuntur vel diducuntur aperiunturve minimo negotio. vid. etiam Caspar. Bauhin. *Theatr. anat. Lib.* 1. *cap.* 40. *p. m.* 134. & quia juxta Isbr. de Diemerbr. *Anat. L.* 1. *cap.* 26. *f. m.* 150. duabus valvulis & Nymphis occludatur. Alii vocabulum Vulvæ a volendo derivant, quod insatiabiliter Coitum velit atque desideret, secundum illud Proverb. *cap.* 30. *v.* 16. Tria sunt insaturabilia, Infernus, Os Vulvæ & Terra. vid. Regner. de Graaf *l. a.* Vel alii a Volvendo, quod Penem vel fœtum involvat. vid. Guern. Rolfinc. *l. a.*

§. 8.

Porta. Porta vel Ostium vocatur Pudendum muliebre, quia, uti per urbium portas ingredi solent cives, ita & nemo non mortalium ex Uteri angustiis in Vitæ lucem per hanc portam subintrat, v. Gualter. Charleton. *de Caus. Catamen. cap.* 2. *p. m.* 12. Muliebria naturalia nunc portam nunc hostium dici, indicant pleraque, quando veteribus traditum sapientibus est, Portam ingredi nefas, qua exieris, juxta L. Cælii Rhodig. *Lection. antiqu. Lib.* 4. *cap.* 7. *fol. m.* 125. ubi ita pergit: Terentianus ille adolescens pessulum hostio obdidit, non fores occludens, sed quod acute solertioribus excogitatum est, genitalibus immissum mutonem præmonstrans, quoniam sunt Medicis pessi, auctore Celso, qui feminarum naturalibus subjiciuntur, sive lana, sive aliud quidvis teres sit, digiti forma, quo medicamenta contineantur. Huc pertinet etiam illud Propertii:

Cantabant surdo, nudabant pectora cæco:
Lanuvii ad portas heu mihi solus eram.

Quod Distichon ita explicat Ludovicus Cælius *l. a.* significat Poeta, se inter subblandientes meretriculas jacuisse ita, ut Vene-

ria obire nusquam evaluerit, quamvis ſcortilla cantillarent, quamvis ad prolectandam concubitus appetentiam & libidinis pruritum papillas retegerent, quamvis & ipſe inſcenderet, ac jam mutonem & coleos genitalibus admoveret, quæ Poeta feſtive Portam dixit: nihilominus potuiſſe nihil & jacuiſſe perinde ac ſolum.

§. 9.

Apud laſciviores Poetas, quibus præcipue verborum petulantia uti olim licebat, interdum Cunni nomine occurrit hæc pars, qua puellæ feminæ ſunt: inde ſic dicta, quia hac egeritur τὸ κύος, hoc eſt, κύημα, ſive fœtus; hoc autem a κύειν ſive κυεῖν, quod prægnantem eſſe, utero geſtare, ſignificat. Nonnullis vero Grammaticis alia hæc magis arridet appellationis hujus Derivatio. Cunnus eſt, inquiunt, a κόννος aut κοννεῖν, Heſychio deflectente, qui κοννεῖν per συνιέναι explicat, juxta Gualt. Charlet. *l. a.* Κόννος autem ſignificat barbam &c. Vel juxta Regner. de Graaf *de Organ. Mulier. cap.* 2. *Oper. p. m.* 167. Cunnus vocatur a forti Cunei impresſione, vel ſecundum Rolfinc. *l. a.* a Cuneo, quia forti impreſſione opus eſt ad ejus expugnationem. Hinc etiam vocabulum Gallicum le Con la choſe d'une femme ſignificat. Attamen Johannes Riolanus, Filius, *Anthropograph. Lib.* 2. *cap.* 35. *Oper. fol. m.* 186. Cunnum non a Cunei impresſione, ut quidam inepte ſcribant, derivari judicat, cum ſit nomen Græcum, κόννος a κύειν, concipere &c. *Cunnus.*

§. 10.

Aliis hæc pars Concha vocatur, quod juxta Gualt. Charlet. *l. a. p.* 11. *ſeq. piſcem* teſtacei generis Concham Veneris dictam oris figura repræſentet. Et juxta verba Guern. Rolfincii *l. a. cap.* 33. *p.* 183. *ſeq.* Conchæ voce veteres etiam membrum hoc deſignabant. Te ex Concha natum eſſe autumant, ait Plautus *in Rudente, Act.* 3. *Scen.* 3. *v.* 42. Cave tu harum Conchas ſpernas. Hoc examuſſim feſtiviſſimum, inquit J. Douſa, hiſtoriæ veteris & novæ ſcientiſſimus. Et Juſtus Lipſius incomparabilis judicii *Concha.*

A 3 Cory-

Coryphæus adnotavit Conchas inter verba nequitiæ uſitatas antiquitus. Conchæ vocem non ſemper denotare Concham marinam, ſed a Plauto indigitari eam partem, qua mulieres ſunt, explanavit etiam literariæ rei fulgentiſſimum olim lumen F. Taubmannus in Notis ad Plauti locum, *Act. 3. Scen. 3. & Act. 2. Scen. 4.* ubi inquit: quis ille fungus, qui hoc negat, Concham hic accipi, qua mulieres ſunt. Item ab Ariſtophane Conchis comparatur:

Jupiter quam fortiter Conchæ modo
Iſthæc anicula adhæret adoleſcentulo.

vid. etiam Henr. Salmuth *Annot. in Guid. Pancir. Rer. Memorabil. Lib. 2. Tit. 10. p. 175.*

§. 11.

Foſſa navicularis. Quibusdam hæc pars Foſſa navicularis dicitur, quia hæc fiſſura, quo magis retrorſum vergit, tanto magis in latum & profundum augetur, & tanquam in foſſam ſeu vallem cavam & latam naviculæ figuram degenerat, & in limbo orificii cervicis terminatur, vide Caſp. Bauhin. *Theatr. anat. Lib. 1. cap. 40. p. m. 136. ſeq.* *Cymba.* Et juxta Gualt. Charleton. *l. a.* Cymba & Navis nonnullis vocatur, ab intus recondita cavitate; κύμβος quippe Græce Heſychio interprete ſignat κοῖλον μυχὸν, cavum receſſum. Ad quam ſignificationem facete alluſiſſe videtur Julia, Auguſti filia, quum dicebat, ideo ſe Agrippæ Marito parere quam ſimillimos liberos, quod nunquam niſi plena navi vectores tolleret. Scilicet hanc reſponſionem Juliam cuidam conſcio libidinum, roganti, qua arte, cum tam vulgo ſe proſtitueret, liberos tamen ſimillimos produceret Agrippæ, dediſſe refert Guernerus Rolfincius *l. a. pag.* 183.

§. 12.

Fovea. Foveæ appellatio non eſt inſuavis terſis auribus, inquit Guernerus Rolfincius *eod. l. p. 281. ſeq.* Johannes Manardus Ferrarienſis & Vladislai Pannoniæ Regis Archiater, Ferrariæ demum Profeſſor celebris, cum ab Aſtrologo ipſi prædictum fuiſſet, vitæ peri-

periculum in fovea ipsi imminere, a foveis sibi timuit & fossis, non satis perspecta Oraculi κεύψει. Cum vero illiberis, prolis aliquanto, quam vitæ, cupidior, plane senex uxorem duceret juvenculam, prima nuptiali nocte cum dilecta concumbens, desideratis intentus amoribus, in genitali fovea extinctus suavi morte Oraculi implevit scopum & funus maturavit suum. Huc alludens Johannes Latomus Germanus tale concinnavit Distichon:

In fovea qui te periturum dixit Aruspex,
Vates verus erat: Conjugis illa fuit.

§. 13.

Latinis antiquioribus Natura vocabatur Pudendum muliebre, unde Varro ait: Nutrices Naturam dicunt, qua feminæ sunt. v. Joh. Riolan. *Anthropog. Lib. 2. c. 35. Oper. fol. m.* 186. item Aristoteli sæpissime φύσις dicitur, ἀπὸ τῦ φύεσθαι, quia, si bene excolatur, statisque temporibus sementem accipiat, aliquid fructus perpetuo profert, v. Gualt. Charlet. *l. a. p.* 10. Nicolaus Venette de la Generation de l'homme *cap.* 1. *art.* 3. *p. m.* 19. partes naturales feminæ ideo Naturam appellat, quia omnes homines ibidem originem sumunt. **Natura.**

§. 14.

Focum & Caminum, Græce ἐσχάρον, hanc partem vocitarunt, forte quod inibi primum & amoris faces & ipsius etiam vitæ igniculi accendantur, juxta Charleton. *l. c. p.* 11. **Focus.**

§. 15.

Rupes quoque Guernero Rolfincio *l. a. p.* 183. dicitur, & quidem Rupes Amoris, fissuram habens oblongam, angustis terminis circumscripta: desideratissimum Velleris aurei propugnaculum; fossa profundissima salientis aquæ vivæ circumdatum, belli & pacis tempore munitissimum, in colle positum bifido. Accessus munitus columnis femorum duabus candidis politissimis, quas nisi quis obsideat, aditus intercluditur omnis. **Rupes.**

§. 16.

§. 16.

Antrum. Idem Autor etiam Antrum ſeu Speluncam Atalantæ, a Claudio Æliano *Variar. Hiſtor. Lib.* 13. *cap.* 1. *fol. m.* 494. deſcriptam, Antro huic genitali applicat, his annexis verbis: Id Antrum caſti pudoris hederæ circumſerpebant, virginalis integritatis tutatrices, Alæ, quæ teneris arboribus, nempe labris cutaceis implicabantur perque eas aſcendebant. Croci etiam in eo loco naſcebantur in molli profundaque Sylva, cum quibus una ſurgebat Hyacinthus Clitoris & Hymenis Roſa, aliique diverſi coloris flores, qui non ſolum ad paſcendos oculos facerent, ſed ſuaviſſimis etiam odoribus ambientem aerem, replerent. Sed alium guſtum de hoc Antro habuit Joachimus Vitus Wigandus, vel potius Johannes Valentinus Willius, *de Philiatror. Germanor. Itinerib. Diſſert.* 2. *p.* 155. de hoc Antro inquiens: Qui homines ratione pollentes, ætate maturi, ſeveriſſimi Catones, Hectores bellicoſiſſimi, juxta Eraſmi in Encomio Stultitiæ ſententiam, ſtulteſcerent παιδοποιησωμένοι? qui animum ſublimibus devotum ad fœtidiſſimum fœminæ antrum, omnis putrilaginis ſentinam, abominabile garum redolentis, cujus vel nomen apud omnes gentes turpiſſimum eſt, demitterent, ſpurciſſimo actu divæ Futuariæ litaturi? niſi indicibilis illa voluptas pro ſpeciei conſervatione frangeret rigores animorum, nectareoque torrente dilueret, quicquid eſt turpitudinis.

§. 17.

Putilla. Porro vocatur etiam muliebre Pudendum Puta & Putilla, quaſi parva puella, a parte qua femina eſt. Inde Italicum Nomen Putta & Puttana, & Gallicum la Putain deductum putarim, inquit Johannes Riolanus *l. a. f.* 186.

§. 18.

Lanuvium. Aliis audit Lanuvium, vel a molli lanugine, qua puellarum obtegitur Pubes; vel rectius a Lanuvio, quæ Urbs erat Romana in dextro Viæ Appiæ latere, & in ea Coleorum familia. Unde acutiſſimum illud Ciceronis dicterium: Honeſti quidem Colei Lanu-

Lanuvini, Cliternini non honesti v. Gualt. Charlet. *l. a. p.* 12. Lanuvii Portarum paulo ante §. 8. ex Propertio mentionem fecimus, dictumque Poetam per Lanuvii portas obscœnam mulierum partem, veluti quodam lanitio vel lanugine hirtam, intellexisse Hadrianum Turnebum scribit Henricus Salmuth. *Annotat. in Guidon. Pancirol. Lib. 2. Tit.* 10. *p.* 176. ubi plura.

§. 19.

Juxta eundem Autorem Platoni ζῶον ἐπιθυμητικὸν, id est, animal concupiscentiæ princeps dicitur, forsitan quod libidinem suam explendo animal generet. Animal autem dixisse videtur ad mentem Pythagoræ, qui Uterum animal per se ipsum distinctum suique plane juris nominarat. Hos ad verbum usque secutus Aretæus itidem definit viscus prope animatum, & velut animal quoddam in animali: suo quippe motu agit, nec imperio regitur mentis. *animal.*

§. 20.

Ad naturalia Virginis denotanda apud Autores etiam usurpatum reperitur vocabulum Porcus, Græce χοῖρος. Et quod Latini corpus prostituere quæstuique exponere dicunt, id Græci unico verbo χοιροπωλεῖν, quod est porcum vendere, id est, capturas corpore quærere, exprimunt. vid. Henr. Salmuth. *l. a. p.* 175. ubi ita pergit: Apud Aristophanem χοιρὸν i. e. porcum pro muliebri natura positum invenies. Et Romani identidem porcum virgineum inguen blando & jocoso nomine appellavere. Hinc Varro de Re rustica *Lib. 2. cap.* 4. inquit: Nostræ mulieres, maxime nutrices, naturam, qua fœminæ sunt, in virginibus appellant Porcum: significantes, jam esse dignas insigni nuptiarum. Nam antiquissimus in Hetruria mos fuit, ut nova nupta & novus maritus primum porcum immolarent. Prolixe de hac Denominatione agit Guernerus Rolfincius *l. a. cap.* 32. *p.* 180. ubi non modo allegata Henrici Salmuthi verba, sed plura quoque de origine hujus ritus seu immolationis ex Poetis Græcis reperimus; scilicet, qui initiari volebant, por- *Porcus.*

cum fœminam hostiæ loco offerebant; imprimis autem Cereri immolabant porcum vel porcam gravidam, quia nimirum hoc animal est valde fœcundum, facile concipiens fœtumque perferens. vid. etiam L. Cœlius Rhodig. *Lection. antiqu. Lib.* 25. *cap.* 26. *fol.* 979. *seq.* Et juxta Joh. Pierii *Hieroglyph. Lib.* 9. *cap.* 32. *p.m.* 109. nuptiarum initiis, antiquis Regibus porcum mactare mos erat; & potentiores quique viri in Hetruria nuptialibus conviviis, novæ nuptæ maritique diis tutelaribus porcum immolabant: Quod etiam prisci Latini & Græci in Italia factitabant; Unde is, qui sponsam ducturus, cum omnia apparasset, & spe Sponsæ frustratus esset, exclamavit: Periit sus, & talentum, & nuptiæ &c. Aliam tamen rationem, cur Pudendum muliebre Porcus appelletur, reddere videtur L. Cœlius Rhodiginus *l. a.* Suem masculum, inquiens, delphaca vocat Epicharmus, cum plerisque aliis. At genere fœminino delphaces, fœmellæ dicuntur proprie, quod delphias habeant, id est vulvas: unde & fratres uterini nuncupantur adelphi, sicut qui eodem prognati patre ac matre dicuntur avtodelphi. Liceat etiam annectere, quod de porcis refert Johannes Chardin *Itiner. Persic. p. m.* 121. Trifft ein Mann bey denen Colchesern sein Weib in dem Werck mit ihrem Buhlen an, so ist ihm der Ehebrecher ein Schwein zu geben verbunden, weiter ist er keine Rache an ihm zu üben befugt. Diese Sau wird hernach von allen dreyen verzehret.

§. 21.

Causa tot nominum. Reliquis Pudendi muliebris appellationibus, earumque ad rem significatam analogiis explicandis, ulterius non immoremur, cum ex hactenus recensitis clare pateat, juxta Gualt. Charlet. *l. a. p.* 13. summam hujus partis esse dignitatem, cui antiquis Sapientiæ Consultis visum est, tot tamque præclara nomina imponere, idque alia nulla de causa, quam ut nobilissimum illud Sacrarium, in quo maxima naturæ mysteria generisque humani primordia parantur, insigni prosequerentur honore; quanquam nonnulla harum appellationum ipsi utero adscribantur.

CAPUT

CAPUT. II.

De Pudendi muliebris partibus.

§. 1.

AB his Pudendi muliebris Denominationibus nunc ad ipſius partes & quidem externas, ſeu citra dilatationem ſeu aperturam apparentes, progrediemur, ex quibus primo ſe offert Pubes, quæ Vopiſco Fortunato Plempio *Fundament. Medicin. Lib.* 2. *cap.* 9. *fol. m.* 139. eſt pars illa, ex qua pili erumpunt prima adoleſcentia. In eaque pars ſuperior eminentiorque mons Veneris. Et ſecundum Thomæ Bartholini *Anatom. renov. Lib.* 1. *p.* 13. eſt Pubes pars ſupra Pudenda proxima, quæ lanugine ſeu pilis tegitur. Juxta Severin. Pinæum *de Nat. Virgin. Lib.* 1. *cap.* 2. *p. m.* 31. Pubes eſt ea pars, quæ ſita in anteriore Oſſium pubis parte, pilis tegitur in ætate provectis, & aliena transverſa ſupra ſpinam dictorum oſſium pubis ſita, inguina intra ſe usque ad Colis radicem in viris comprehendit, & in mulieribus Pudendi labra pertingit. Petro Dionis *Anatom. Demonſtrat. IV. Sect.* 2. *p.* 234. omnium Pudendi muliebris partium prima Pubes eſt, quæ in anteriori parte oſſium pubis poſita nihil aliud eſt, quam ſuperior Pudendi pars; prominula eſt, quoniam ex pinguedine conſtat, quæ inſtar pulvinaris eſt, quo impeditur, ne oſſium durities coeuntes lædat: Secundum Johann. Riolan. *Anthropograph. Lib.* 2. *cap.* 35. *Oper. anat. fol. m.* 185. in pudendo plurimæ partes citra diſſectionem apparent, ac primum pars ſuperior piloſa Pubes dicitur ἐποίσιον ab Ariſtotele ἀπὸ τῦ ἐπισεῖσθαι, a concuſſione, quod in concubitu hæc pars maxime quatiatur. Pubes autem dicitur non ſolum pars ipſa, in qua pili emergunt, in infima Ventris regione poſita, ſed etiam lanugo, quæ maribus utplurimum decimo quarto anno aut decimo quinto, feminis duodecimo aut tardius circa pudenda oriri ſolet, v. Paul. Zachiæ *Quæſt. med. leg. Lib.* 1. *Tit.* 1. *Qu.* 6. *fol. m.* 17.

Pudendi partes.

Pubes.

§. 2.

Monticulus Veneris.

Nonnulli Autores hanc partem seu pubem pro eadem cum Monticulo Veneris habent, alii easdem distinguunt, ita tamen ut ratione loci in diversas sententias abeant; dum quidam Pubem in parte superiori, & Montem Veneris in inferiori; quidam econtra Pubem in inferiori super rima magna, & Montem Veneris in superiori loco ponunt, uti ex sequentibus patet. Cosmopolitæ scilicet *Histor. natur. cap.* 16. *p. m.* 425. Monticulus Veneris est elatior illa pars pilis pubescens, supra labia vulvæ a copiosiori substrata pinguedine protuberans. Substernitur autem ea parte copiosior pinguedo, ut pulvinaris quasi vicem agat, ne ossium pubis in coitu ad se invicem illisio eum efficeret tristiorem. Juxta J. Case *Compend. anat. Lib.* 3. *cap.* 1. *p.* 173. Labia duo versus Pubes crassiora & magis protuberantia Montem Veneris conficiunt. Interior substantia hujus montis est pinguedo, & sub hac Sphincter ille jacet, qui constringendi orificium Vaginæ potestatem obtinet, & ab Ani Sphinctere ortum ducit. Philippo Verheyeno *Anat. Tr.* 2. *cap.* 29. *pag. m.* 100. Pubes dicitur locus ille, quo prima adolescentia pili erumpunt; ejusque pars superior & eminentior Mons Veneris. Econtra vero secundum Petri Dionis verba *Anatom. Demonstr. IV. Sect.* 2. *p.* 235. Mons Veneris (Gallis la Motte) paulo infra pubem situs est, & instar Clivuli eminet supra majora labia; brevibus pilis æque ac Pubes obducitur, qui anno ætatis decimo quarto succrescere incipiunt. Et juxta Francisc. Plazzon *de Part. Generat. Lib.* 2. *cap.* 2. *p.* 108. rimam utrinque circumstant protuberantiæ pilis decoræ, quos monticulos Veneris appellant, quia siti sint ad Veneris vestibulum, vel quia Veneri litaturi hos monticulos ascendant. Sunt autem corpora oblonga, mollia, ex cute & carne spongiosa composita, quibus subjacet pinguedo. Johannes Palfyn *dans la descript. anatom. des Parties de la Femme p.* 2. *seq.* de hac parte ita scribit: On entend par le penil la partie superieure de la partie honteuse, située en la partie anterieure

rieure

rieure des os pubis; & la Motte eſt cette partie, qui paroit elevée comme une petite colline au deſſus des grandes Levres, qui pour cela eſt appellée le Mont de Venus, parce que tous ceux qui s'enrollent ſous l'étandart de cette Deeſſe, doivent neceſſairement l'eſcalader. La Subſtance externe de la Motte eſt faite ſeulement de la peau: mais il n'en va ainſi de ſa partie interne, puisqu'elle eſt preſque toute de graiſſe: ce qui eſt fait exprés pour la rendre épaiſſe, molle & fort eminente, principalement dans les jeunes filles; où cette ſubſtance douce & delicate eſt tres propre pour ſervir d'Oreiller à Venus, de peur que l'os pubis des deux Sexes ſe froiſſans enſemble, s'oppoſat au plaiſir, qu'on doit trouver dans le congrés. Ibidem etiam dictus Autor de hujus partis muſculo agit.

§. 3.

Labia. Hunc Veneris monticulum, ad veſtibulum ædis Veneris ſitum, quem Veneri litaturi conſcendunt, conſtituunt Labia duo externa ad Pudendum muliebre pertinentia, quippe quæ ad pubem craſſiora & elatiora ſunt, ibidemque coeuntia & magis protuberantia. Hæc verſus poſteriora ſenſim incurvantur & magis attenuantur, ita ut prope Perinæum in ligamentoſam cutim deſinant. Subſtantiam peculiarem carnoſam & quodammodo ſpongioſam obtinent, quæ in libidine inturgeſcit, & in partu admodum mollis ac tumida evadit v. Isbrand. de Diemerbr. *Anat. Lib.* 1. *cap.* 26. *fol. m.* 151. & Gerard. Blaſii *Comment. in Joh. Vesling. Syntagm. cap.* 7. *p.* 103. Hæ partes vocantur labia vel labra Vulvæ ſeu Pudendi muliebris, quia ſunt cardines oſtii pudendi illudque inſtar labiorum os claudunt. Item parietes ſive latera Vulvæ, v. Regn. de Graaf *de Org. mulier. cap.* 2. *p.* 169. & Præputia. vid. Georg. Franc. *Satyr.* 1. *p. m.* 8. Dicuntur etiam Cadurdæ, & ambitus ſeu circuitus genitalis muliebris. vid. Joh. Riolan. *Anthropogr. Lib.* 2. *cap.* 35. *fol.* 186. Ea Petrus Dionis *Anat. l. a.* 235. ita deſcribit: e monte Veneris deſcendunt partes binæ, altera dextrorſum, altera ſiniſtrorſum, quæ in Perinæo copu-

 lantur.

Substantia. lantur. Hæ ſunt partes, quas Labia majora vocitant; ex conduplicata Cute, carne ſpongioſa & pinguedine, quibus fiunt craſſiuſcula, conſtituuntur. In Virginibus, quam in mulieribus firmiora ſunt; laxiora & pendula fœminis, quæ frequenter pepererunt. Pilis obſita ſunt nimis rigidis, quam in pube & in monte Veneris. Secundum Guernerum Rolfincium *l. a. cap.* 37. *p.* 187. Labra hæc cutacea, ſeu appendices cutaceæ, ſtant ad latera magnæ Rimæ utrinque ibidem coeuntia firmant monticulum. Exterius cutanea, interius carnoſa & magis plurimis vaſorum ductibus inſignita. Prope Pubem ſunt craſſiora: inter flexum, prope anum tenuiora, ligamentoſæ cutis æmula, ibidemque fræno quaſi colligantur & combinantur. vid. etiam Caſp. Bauhin. *Theatr. anat. Lib.* 1. *cap.* 40. *p.* 137. ubi dicit: Subſtantia labiorum eſt cutanea, carnoſa, quodammodo glanduloſa, ſpongioſa, cui duriuſcula pinguedo ſubſternitur, & quaſi calloſa, cute tenui contecta, quæ in mulieribus lævigatiora & depreſſiora exiſtunt. Thomas Bartholinus *Anat. renov. Lib.* 1. *cap.* 35. *p.* 295. inquit: Labia hæc ſubſtantiam habere, qualis nulla alia ſit in toto corpore; partim ex cute & carne, partim & ſpongioſa, cui pinguedo ſubjacet duriuſcula.

§. 4.

Labiorum dilatatio. Ob talem ſtructuram Labia vulvæ ſeu Pudendi tam in actu venereo, quam in partu, non modo intumeſcere, ſed etiam nimium quantum extendi, viamque fœtui, extraordinariæ quoq; magnitudinis pandere poſſe, facillime judicare licet; idque Autores demonſtrant. Inquit enim Jean Palfyn *l. a. p.* 7. Les levres ſont compoſées de la peau & de beaucoup de graiſſe, qui les rend fort épaiſſes & ſpongieuſes, qui ſe gonflent, à ce que diſent quelquesuns dans les chaleurs d'amour, auſſi bien que dans l'enfentement, où elles deviennent extremement molles. Hanc Labiorum ſubſtantiam in libidine turgeſcere atque in partu admodum mollem ac tumidam evadere, confirmat Isbrandus de Diemerbrok *l. a.* ſequenti Obſervatione: Bis mihi, inquiens,

quiens, videre contigit in duorum civium uxoribus parientibus, post expulsum fœtum, cum Secundina subsequeretur, adeo laxata fuisse hæc Labia, ut magna abrupta pars Hepatis uterini se iis insinuaverit; cumque obstetrix nesciret, quidnam insoliti illic sentiret, vocatus fuit Medicus cum Chirurgo, qui Labia dicto hepate infarcta, hincque præter modum tumida, & quasi frustum nigricantis carnis epullulans conspicientes, putarunt Pudendum in partu dilaceratum, ac jam Gangræna correptum esse. Hinc extremum periculum adesse judicantes, etiam ad me concursum est: sed ego Pudendum inspiciens mox animadverti, illam nigricantem carnem esse partem abruptam hepatis uterini, quæ se Labiis, introrsum dilatatis, insinuaverat, eaque forcipe exempta, mox utraque mulier ab isto putato Gangrænæ periculo fuit liberata.

§. 5.

Hæc Pudendi latera seu Labia prope Perinæum in Cutem ligamentosam desinere, ibidemque combinari, paulo ante diximus; hoc autem loco paucis adhuc monendum, eandem combinationem Anatomicis frænum Labiorum, & Gallis la fourchette appellari, atque virginitatis & partus antecedentis signum præbere. Scribit enim Philippus Verheyen *Anat. Tr.* 2. *cap.* 29. *pag.* 200. Labiorum Cutis inferior ligamentosa vocatur frænum Labiorum. Hoc in Virginibus primo pubescentibus (præcedens enim ætas hic non attenditur) maxime tensum, in puerperis laxissimum esse consvevit: atque in aliis pro diversa ætate, frequente Veneris usu, mensium fluxu ac partu, magis ad hanc vel illam constitutionem accedere solet. Idem sentit Casparus Bauhinus *Anat. Lib.* 1. *cap.* 40. *p.* 137. Labiorum Cutis, inquiens, ligamentosa frænum Labiorum dicitur, & horum commissura in Virginibus tensa, constricta, in corruptis laxa, in puerperis valde relaxata. Quare ex hujus cutis laxitate summaque depressione fœturæ signum certissimum asserunt. Inquit etiam Jean Palfyn *l. a. pag.* 4. l. a. fosse naviculaire est formée par

Labiorum frænum.

la

la jonction des parties inferieures des grandes Levres, d'autres la nomment la fourchette, sur quoy s'appuye la Verge de l'homme dans le combat de Venus. Il y a des Autheurs, qui croient, que le signe veritable, qu'une femme a enfenté, se connoit par ce que les sages femmes appellent entr'elles le dechirement de la fourchette, qui est une dilaceration de l'entrée de l'orifice du Vagina vers l'anus, qui se fait toûjours à la sortie du premier enfant, & qui par consequent est marque indubitable de l'accouchement, qui a precedé. Et *pag.* 7. de hoc freno idem Autor scribit: Ce petit frein est toûjours tendu dans les pucelles, & au contraire il est fort lâche aux femmes, qui ont accouché plusieurs fois. Juxta Johann. Riolan. *Anthropogr. Lib.* 2. *cap.* 35. *fol.* 186. Labiorum inferiorum cutis ligamentosa Frænum labiorum dicitur, in virginibus tensum, in puerperis valde relaxatur, quæ cutis laxitas summaque depressio partus jam facti signum certissimum. Sed hujus membranæ tensio & erectio potest deprehendi indito digito, vel paululum diductis & divaricatis cruribus. Non tamen pro certissimo Virginitatis læsæ signo hujus membranæ laxitatem agnoscit Regnerus de Graaf *l. a. pag. m.* 170. Frænum, inquiens, labiorum in Virginibus tensum, in puerperis laxatum plerumque conspicitur. Frænuli hujus laxitas summaque depressio vel abolitio, inter alia, perditæ virginitatis signum quodammodo exhibere creditur.

§. 6.

Labiorum Tumor. Pudendi labia quandoque non tantum in gravidis appropinquante partu tumore seroso distendi, sed ab aliis quoque causis nimium intumescere, Practici & Obstetrices sæpius experiuntur. Extraordinarium autem tumoris vel potius Hydropis pudendorum exemplum annotavit Daniel Ludovici *M. N.C. Dec. I. An.* 3. *Obs.* 256. *p.* 458. ubi in Franconica quadam muliere tantam vidisse refert Pudendorum excrescentiam, ut labiorum, nympharum ac caruncularum loco, quatuor vel sex vesicæ bubulæ aut vitulinæ sero refertissimæ quasi connatæ viderentur, nullo de cæte-

de cætero ſexus veſtigio. Hanc feminam, cum divaricatis cruribus per triduum cernua miſerrime jacuiſſet, Ludovici Prognoſtico reliquiſſet, ni commode Nymphotomia nonnullarum gentium incidiſſet. Facta proin a præciſione ad compunctionem ſequela, jocabundus ac ſatis cordatus Chirurgus tumorem inferiori loco Lancetta utrinque aperuit, ac brevi pelvis ſero parumper rubente repleta eſt, reliquo per lentum ſtillicidium ſimiliter integre diſparente, ut poſt quatriduum (intus interea Confortante temperato, extus Defenſivo Saturnino litu uſa) vegetum pareret ſine incommodo fœtum. Ibidem etiam idem Autor recenſet, in Hasſiæ confiniis fabrum quendam ferrarium uxori ſuæ talem labiorum tumorem ferramento, quo venas equis ſecant, non infeliciter aperuiſſe. Dextrum vulvæ labium totum varicoſum, inſtarque pugni tumefactum, in pariente femina annotavit Franciſcus Mauriceau *Obſerv.* 404. *p. m.* 236. Vulvæ ſeu labiorum pudendi tumorem inſolitum in muliere pagana, ad quintum menſem gravida, obſervavit Jacobus Auguſtinus Hünerwolffius *M. N. C. Dec.* 3. *An.* 1. *Obſ.* 113. *p.* 187. ubi recenſet, hujus gravidæ labia tali aucta fuiſſe incremento, ut caput æquarent hominis robuſtisſimi, & gravidæ impedirent penitus itum. Caſum fere analogum in piſcatoris cujusdam uxore gravida Norimbergæ ſe obſervaſſe, loco citato in Scholio cum cura communicat Johannes Paulus Wurffbain. Et Marcus Gerbezius in prægnante in octavum menſem & quidem aſcitica, pudenda adeo tumefacta vidit, ut eorum labia duorum ingentium pugnorum ad inſtar propenderent, tota livida & hinc inde cum veſicis liventibus, Brandblättern vulgo dictis, ſumme dolorificis perſperſa; ſubſequente altero die abortu & poſtridie ipſius gravidæ interitu. *vid. ibid. An.* 3. *Obſ.* 10. *p.* 13. *ſeq.* Pudendorum hydropem, in quo labia pugni magnitudine diſtenta & pellucentia comparebant, obſervavit Philippus Jacobus Hartmannus *l. a. Dec.* 2. *An.* 5. *Obſ.* 67. *p.* 142. 144. In gravidis octimeſtribus & nonimeſtribus, crura tumida & aquoſo humore

plena & œdematosa habentibus, labia uteri simili inflatione in tam grandem molem increvisse, & ex utraque parte spongiæ modo ita prominuisse, ut uteri hydropem repræsentarent, refert Zacutus Lusitanus *de Prax. med. mir. Lib.* 2. *Obs.* 89. *fol. m.* 63. *Et Obs. seq.* uteri labium sinistrum a flatuoso tumore mali Cydonei magnitudinem superasse dicit. De tumore circa pudenda uncias 36. pendente feliciter extirpato *vid. Ephem. N. C. Cent.* 17. *Obs.* 28. *p.* 58. Femina quædam quadraginta annorum ex febre acuta laborans, inde vero eluctata, ea parte, qua femella est, singularem nacta est tumorem, labia uteri præcipue occupantem, tantaque magnitudine præditum, ut duas quasi lagenulas, quarum una ex labio dextro, altera ex sinistro, dependebat, præsentaret, liquore seroso ad rupturæ metum usque turgescentes, oppido dolentes & ambulationem difficilem reddentes. Utrumque tumorem Chirurgus loco decliviore Lanceola aperuit, unde copiose effluxit serosa materia cum tumoris collapsu, juxta observationem Ehrenfridi Hagendornii *Histor. med. phys. Cent. II. Hist.* 10. *p.* 268. *seq.* Advocati cujusdam uxori gravidæ partuique vicinæ labia pudendi ita tumida atque distenta erant, ut suppressa fere urina febris tertiana superveniret; qua etiam per aliquot septimanas perdurante, labiis adhuc tumidis, fereque occlusis & inflammatis, puerpera equidem, omnium cum admiratione, fœtum feliciter pariebat, prætterlapsis autem paucis diebus infantem defunctum in æternitatem comitabatur. v. Jan. Abr. a Gehem. *Chirurg. Observat. Dec.* 1 *&* 2. *Obs.* 3. *p.* 6. Feminæ a labio uteri dextro caro mollis, flaccida, seu tumor duodecim libras civiles pendens, pediculo tenui ad genu usque pendebat, quo inciso maxima humorum copia vacuabatur, atque ablato Veneris impedimento, femina concepit & peperit. v. Zacut. Lus. *Prax. adm. Lib.* 3. *Obs.* 78. *fol.* 113. De Herniis vulvæ seu labiorum v. Palfyn *des Part. de la Femme pag.* 68. *seq. M. N. C. Dec. III. An.* 9 *&* 10. *Obs.* 2. *pag.* 3. *seq.*

§. 7. Bina

§. 7.

Bina etiam labiorum pudendi intumeſcentium exempla in duabus nobilibus puellis, ſeu femellis, iisque gemellis, obſervare mihi licuit, & quidem a differenti cauſa. In altera enim Gen. Domini B. filiola primo ſtatim ætatis anno utraque vulvulæ labia admodum tumefacta, & quaſi flatu vel etiam ſero infarcta videbantur, idque ſtatim a partu ſe obſervaſſe ipſius nutrix referebat. Altera Gen. Domini a R. filia a quinquennio ſæpisſime labia oris magna, turgida atque inflata quaſi habebat; quandoque vero, imprimis circa lunæ phaſes, & quidem eadem decreſcente, talis labiorum tumor evaneſcebat, aut ſubſidebat, contra vero inferiora, pudendi ſcilicet, labia tunc temporis intumeſcebant. Hancque vicisſitudinem usque ad annos pubertatis, uti ex ipſius matris ejusque famulantium ore reſciſcere potui, ordinarie experiebatur. Demum vero apparente, legitimo tempore menſtruatione utriusque oris labiorum tumor ceſſabat. Ante viginti aliquot annos puerperæ cuidam, jamjam aliquot infantes enixæ, in partu, ob majorem fœtus molem, difficili, dextrum pudendi labium tumidum, ab obſtetrice, & quidem, ſecundum puerperæ relationem, unguibus per transverſum dilacerabatur, ut Chirurgi manu atque ſutura neceſſe haberet. Nihilominus tamen dicta femina poſtero tempore aliquot adhuc infantes ſine incommodo pariebat.

Obſervatio. ***alia.***

§. 8.

De conſenſu labiorum pudendi cum labiis oris ſequentem obſervationem communicat Philippus Jacobus Sachs a Lewenheimb *M. N. C. Dec. I. An.* 1. *Obſ.* 20. *p.* 79. *ſeq.* anno 1669. menſe Aprili: Generoſa quædam Comitiſſa, plurimorum ante liberorum mater, rurſus quinto fere menſe gravida in prædiis, ephebis aliquot ægrotantibus, unum ex illis contemplatur accuratius, cui tumefacto a febrili calore labio oris lividæ & malignæ aliquæ eruperant puſtulæ. Interrogat Comitiſſa unum ex adſtantibus de genere morbi, & quid hæ puſtulæ indicarent,

Conſenſus labiorum.

qui cum ex imprudentia exclamaſſet, eſſe febrem malignam parum a Peſte differentem, attonita ſtatim ſentit eo momento quendam circa labia uteri ardorem & alterationem, & poſtmodum vidit ipſa erupiſſe ibi locorum puſtulas aliquas inſtar fabarum. Vratislaviam poſt deveniens Sachſium conſulit, de majore infortunio futuro ſollicita. Examinato hoc ſtatu cum alias bene valeret, nec ullius malignitatis ſigna adeſſent, nec iſtæ puſtulæ dolerent aut grandiores fierent (lividas tamen fuiſſe, obſtetrix, cui dictus Medicus inſpectionem injunxerat, narravit) phantaſiam ob conſenſum labiorum oris cum labiis uteri, has puſtulas ſubito & in momento, aſpectis puſtulis in labiis, excitaſſe judicavit, commoto ſanguine & oſcula venarum tumefaciente; ſecuro itaque Sachſius eam juſſit eſſe animo, præcipue quod poſt adhibita quædam ſudorifera temperata, & externe Decocto Scordii cum vino admoto, attamen in eodem ſtatu permanerent. Nec evanuerunt puſtulæ, usque dum legitimo partus tempore menſe Auguſto ſana puella absque omni nævo, a phantaſia fœtui impreſſo, ederetur, educto per Lochia ſanguine, puſtulæ quoque ſubſiderent, & matrem ab ulteriore ſollicitudine penitus liberarent. Uxor Conſiliarii cujusdam, paucarum ſeptimanarum gravida, a notabili labiorum tumore moleſtata fuit. Et licet ad abigendum variorum Medicorum conſiliis uſa eſſet, variaque ab illis præſcripta remedia hunc in finem adhibuiſſet, ſingula tamen absque ullo fuerunt effectu. Peracto vero partu, os tangens tumorem diſcesſiſſe, labiaque priſtinum ſtatum recuperaſſe percepit, juxta Caſp. Theophil. Bierling. *Theſaur. Theor. pract. Obſ.* 48. *p. m.* 641. *ſeq.* Sic etiam ratione nævorum inter labia oris & pudendi conſenſum obſervari, docet Ludovicus Septalius *de Nævis* §. 26. *p. m.* 18. inquiens: Si examinare nævos voles, in feminis os utplurimum arvum genitale commonſtrat, & a labrorum ratione neſcio quid ſimile ad naturæ alas deduci ſolet. Interim tamen idem Autor §. 3. *p. m.* 7. ratione nævorum etiam conſenſum inter labia oris & Perinæum

næum ſtatuit: Nævus, inquiens, qui ſuperiori labro imminet, naſumque fere tangit, eo in ſpatio, quod inter pudenda podicemque interjectum eſt, ſocium eſſe indicat: Sed qui ab interfinio narium pendebit, oppoſitum ſuum in Perinæo ſive in ſutura medium ſcrotum interſecante, oſtendet. vid. etiam Joan. Sigism. Elsholt. *Anthropometr. cap. 27. p. m. 165.*

§. 9.

In matrona quadam procidentia veſicæ a calculis orta non ſolum inteſtinum rectum quoque prolabi fecerat, ſed & labia pudendi extenſione cutis diſperierant, & Nymphæ quaſi ſanguinolentæ nudæ comparebant, Clitoridis exiguo relicto veſtigio; qualem naturam muliebrem, in puella, quam multimammiam merito dixiſſes, mammoſis protuberantiis carneis undique per corpus ſparſis, Londini in Anglia Anno 1679. ſpectaculo exhibitam, una cum D. Pickero Aleppi in Syria, & D. Rurock Tilſitæ in Pruſſia Phyſicis contuiti ſumus, labiis ſinus virginalis deſtitutam, relicto foramine exiguo, rubicunda carne circumcincto, ſunt verba Philippi Jacobi Hartmanni *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 71. p. 162. ſeq.* Interdum pudendi labia ex variis cauſis vel in partem vel in totum invicem coaleſcunt, uti alibi, de atretis ſeu imperforatis acturi, monſtrabimus. ***Labiorum defectus.*** ***Labiorum coalitus.***

CAPUT III.
De Pudendi Pilis.

§. 1.

Dictæ tres pudendi muliebris partes externæ, ſcilicet pubes, monticulus Veneris, atque labia tempore pubertatis pilis ſeu crinibus obteguntur, qui ὑςερογενεῖς ſeu poſtgeniti appellantur; ſiquidem pilorum alii ſunt con- alii poſtgeniti; his annumerantur pili pubis, alarum ſive axillarum, & barbæ. De reliquis in Trichologia noſtra, D. v. de pubis autem pilis hoc loco agemus. Tales ſcilicet, uti dictum ordinarie circa tempus pubertatis apparere ſolent, quorum eruptio, ad mentem ***Pudendi pili.***

Melch. Frid. Geuder. *de Ferment. cap. 2. pag.* 235. debetur ſanguinis alterationi, & eam conſequenti pororum laxitati, abundantiæ item humorum, ad illos pilos generandos aptorum, quos firmioris conſiſtentiæ & reſpective ſicciores eſſe perſuadet pilorum, dictis in locis erumpere ſolitorum, ad criſpaturam inclinatio. Incipiunt autem ſecundum Johann. Riolan. *Anthropogr. Lib. 2. cap. 35. fol.* 186. erumpere feminæ, uti mari, anno decimo quarto, cum ratio firmior, juxta Theodoretum, vitium a virtute diſcernit, quaſi tegere volens natura velamentis naturalibus eas corporis partes, ob quas homines erubeſcere conſueverunt. Et juxta verba Nicolai Venette *de la Generation de l'homme Part.* 1. *cap.* 1. *Art.* 3. *p. m.* 18. ce poil commence à poindre à 12. ou à 15. ans, lorsque l'ame peut diſtinguer le vice de la vertu. C'eſt alors que la nature met un voile ſur les parties naturelles de l'un & de l'autre ſexe, pour leur marquer, que l'honeſteté & la pudeur y doivent établir leur principal domicile. Vel ſecundum verba de Jean Palfyn *l. a. p.* 3. Ces parties ſont toutes reveſtües de poils friſez, qui commencent ordinairement a naiſtre aux femmes, auſſi bien qu'aux hommes, de l'age de quatorze ans, que les Medecins ont appellé puberté, du mot Latin Pubis. Le voile naturel arrive ordinairement en cet âge, & dans le temps, que les garçons & les filles ſont dans la diſpoſition de raiſonner juſte, pour leur apprendre a tenir caché, ce que la nature a pris ſoin de couvrir. De his pilis ita ſcribit Guernerus Rolfincius *de Part. Generat. Part.* 2. *cap.* 3. *p.* 185. Sub monticulo, adunitis labris, conjunctis copiis apparet γυναικομύσταξ, feminea barba, anno ætatis decimo quinto & ſexto ingruente, cum pubeſcunt puellæ, maturæ incipiunt fieri & ferendis roſis menſtruis, & optatisſimis fœtum fructibus aptæ. Juxta Petri Dionis *Anatom. Demonſtr. IV. Sect. p.* 235. Mons Veneris & pubes brevibus pilis obducuntur, qui anno ætatis decimo quarto ſuccreſcere incipiunt, in mulieribus magis criſpati, quam in puellis obſervantur. Hinc rarioribus exemplis annumerandum,

merandum, quod refert Johannes Schenckius *Obſ. Lib. 2. f. m.* 304. de puella, quæ dependentibus uberibus & cum pilis inguinis & aſcellarum nata fuit. Imo Homero poſtridie ab ortu pilos in inguinibus natos eſſe, ex Heliodoro refert Paulus Zacchias *Quæſt. med. legal. Lib.* 1. *Tit.* 1. *Qu.* 6. *n.* 8. *fol.* 17.

§. 2.

Pilorum uſus

Hos pubis pilos nonnulli Autores ſolummodo neceſſitate materiæ, quidam potius copia ſeri viſcidi, circa hunc locum luxuriantis, procreſcere judicant; alii eosdem pro ornamento atque partium obſcœnarum operimento habent; alii eosdem contra eroſiones ſeu excoriationes, atque ad venereas compresſiones exſolvendas quaſi pulvinar inſervire ſtatuunt. vid. Hier. Fabric. ab Aquapend. *Oper. anat. Phyſiol. de Integum. cap.* 3. *fol. m.* 446. ſecundum Guern. Rolfinc. *l. a.* Lanugo prima erumpens in monticulo & labiis, cincinnis criſpulis micat: Nonnunquam pasſim, præcipue in teneris labellis, oculis ſegetem, dormienti in centro Volupiæ, gratum ſuo tempore promittens ventulum. Ætatis progreſſu duriuſculi evadunt pili vallum quoddam præ ſe ferentes & ſeptum. Ad partes obſcœnas obtegendas pubis pilos inſervire, dicit Gerardus Blaſius *Zootom. Part.* 1. *cap.* 3. *p. m.* 4. vel juxta Joh. Riolan. *Anthropogr. Lib.* 2. *cap.* 3. *fol.* 158. ad velandas partes genitales pilos natura produxit. Ne viri pudenda femineis in coitu aſperius illi dantur, juxta Petr. Dionis *Anat. l. a.* Quam Autorum ſententiam jam ſupra de monte Veneris adduximus, quibus addantur verba Danielis Tauvry *Anat. cap.* 12. *pag.* 205. videlicet, pars maxime elevata, ac in illis, quæ pubeſcere incipiunt, tenui lanugine inveſtita, mons Veneris appellatur, eſtque quaſi parvum quoddam pulvinar, oſſibus pubis inſtratum, ne in congreſſu in parte hujus montis inferiore osſium illorum durities ſentiatur.

§. 3.

Color.

Color horum pilorum varius eſt, reperiuntur enim candidi, flavi, ruffi, nigri & cani; & quidem utplurimum ſecundum

ejusdem

ejusdem subjecti capillorum colorem. De colore horum pi-
Pili rubri. lorum inquit Johannes Riolanus *Opuscul. physiol. p.* 122. Pilum pubis exorientem ruffescere, posteaque sensim in alium colorem degenerare, & qualis sit pubis, talem etiam esse pilum circa collum posticum. Et *Anthropogr. Lib.* 2. *cap. fol. m.* 186. Lanuvium, inquit, utplurimum flavi est coloris, & in mulieribus ex frequenti coitu magis crispa, quam virginibus. Sæpius sequitur & refert colorem capillorum: In ruffis pilus hic ruffus est. Vidi in quibusdam, quæ capitis pilos candidos habebant, etiam lino candidiores, in aliis, quæ nigricantes pilos præ se ferebant, ruffum. Ex hoc Riolani loco videmus, quandoque pilos pubis a capillis differre, qualem diversitatem pilorum in capite & pube annotavit etiam Benjamin Scharffius *M. N. C. Dec.* 3. *An.* 5 & 6. *Obs.* 87. *p.* 173. scilicet femina minus honesta, ab adulteris violenta morte perempta, & quia utero gerebat, a dicto Scharffio dissecta, in toto corpore crines ostendebat nigricantes, sola excepta pube, utpote quæ rubicundissimis septa erat pilis, qui multis male audiebant, atque pro infallibili inclinationis vene-
cani. reæ signo venditabantur. Canos pilos in pube & quidem non solum vetularum, sed in juvencularum quoque, imo ab ipso ortu tales reperiri, testatur Christianus Franciscus Paullini de nota sibi femina nobili summeque phlegmatica, cujus pili circa pubem ab ipso ortu fuere cani, ipsaque femina in opulento ac splendido matrimonio semper & ultra viginti annos vixit sterilis. *vid. M. N. C. Dec.* 2. *An.* 6. *App. p.* 24. & Christ. Franc. Paullin.
nigri. *de Candor. Sect.* 5. *p. m.* 221. Non ingratus color hoc in passu niger videtur juxta illud, quod Conradus Tiberius Rango *de Capillament. Cap.* 6. *Membr.* 3. *pag. m.* 131. adducit, nimirum perfecte formosam feminam dici, quæ habeat duo dura, ubera & nates: duo mollia, manus & ventrem: duo brevia, nasum & pedes: duo longa, digitos & latera: duo nigra, oculos & concham: duo rubra, genas & os: duo alba, crura & cervicem.

§. 4.

§. 4.

Solent ex his crinium coloribus & defectu Medici certa ſigna deſumere, ſiquidem non ſolum ex ruffo pilorum colore per ſe major ad Venerem ſtimulus atque ſalacitas judicatur, ſed longe adhuc major, ſi pubis crines a capillis & aliis pilis ita differunt, ut capitis pili ſint albi, fuſci vel nigri, pubis vero crines ſint rubicundi vel flammei; uti modo in Benjamini Scharffii recenſita Obſervatione vidimus. Sicuti etiam canities tam in capite, quam pube, ſæpiſſime militem elumbem, inque caſtris Venereis emeritum, atque ad generandum impotentem, indicare ſolet, uti in adoleſcentis pene tales pilos albos ſterilitatem denotaſſe refert Petrus Borellus *Cent.* 1. *Obſ.* 11. *p.* 22. ita pariter canities a pueritia vel prima pubertate in feminis pro certo ſterilitatis charactere habetur. Quale exemplum recenſet Chriſtianus Franciſcus Paullini *M. N. C. Dec.* 2. *An.* 6. *App. pag.* 24. de nobili & ſterili quadam femina ſumme phlegmatica, cujus pili circa pubem ab ipſo ortu fuere cani. *Signa ſalacitatis.*

§. 5.

Ratione mollitiei atque rigiditatis hi pubis, monticuli Veneris & labiorum pili inter ſe differre dicuntur, ita ut labia pudendi obſita ſint pilis minus rigidis, quam in pube & in monte Veneris, v. Petr. Dionis *Anatom. l. a. pag. m.* 235. & progreſſu ætatis duriuſculos hos & alios evadere pilos præter Guern. Rolfincium *l. a. pag.* 185. teſtatur experientia. Ex tali pilorum in pube feminarum diſcrepantia nonnulli ſignum virginitatis petere volunt, quaſi ſcilicet in virginibus pili ſint leniores, elongati, minus tortuoſi, plani & promiſſi, in defloratis vero criſpi, hirſuti, aſperi & confuſi; quod tamen ſignum, juxta Michael. Alberti *Jurisprud. Med. cap.* 3. §. 7. *pag.* 63. fallax eſt. Rarisſimæ tamen obſervationis eſt, quod Petrus Müllerus *Diſputat. de Jure Prægnant. cap.* 2. *Theſ.* 13. *pag.* 16. de aculeis loco pilorum in pudendis recenſet: Nimirum ruſticus quidam prope Lipſiam juvenculam ſuæ conditionis duxerat, quæ in primo coitu ob ni- *Pilorum differentia.*

miam τῦ γυναικέιυ in modum erinacei aculeati asperitatem novellum maritum ad sanguinem usque læserat; quod hic indigne ferens dissolutionem matrimonii a Consistorio petiit. Illam autem notam mater ipsi impresserat, cum per campum ambulanti inopinato erinaceus offerretur, ad cujus insolitum adspectum manum cunno admovet.

§. 6.

Vulva intus hirsuta. Sicuti autem tales crines in puellis adultis seu puberibus secundum naturam in dictis pudendi partibus externis procrescere atque apparere solent, ita contra rarissimæ observationis exemplum de vulva puellæ intus hirsuta recenset Christianus Franciscus Paullini; cui Ambrosius Rhodius ingenue fassus est, se in Laplandia vidisse puellam, lepidam ac venustam, cujus vulva intus erat pilosa. Causam conjecit in phantasiam matris, quæ forte crebrius contrectarat membrum mariti, pilis valde luxurians, & dormiens digitum intruserat in genitalia sua. *v. M. N. C. Dec. 2. A. 5. App. p. 53.*

§. 7.

Pili longi. Ratione quantitatis monendum occurrit, quandoque in pube feminarum crines admodum luxuriare, atque crescendi mediocritatem excedere; siquidem Autor Gallicus, nomine Jean Mocquet *Itinerar. Lib. 2. p. m. 52.* refert, feminas quasdam Indas, bellicosas ac fortes, Amazones dictas, pilos circa pudenda admodum longos & spissos alere, eosque instar capillorum quotidie comere atque ornare. Uxor militis Dani in bello Cæsariano crines pubis tam habuit prolixos, ut pone tergum potuerint complicari, vid. Thom. Bartholin. *Hist. anat. Cent. 1. Hist. 43. p. m. 61.*. Alius itidem militis cujusdam Monasteriensis uxor crines pubis gestabat infra genua protensos, si soluti explicarentur. Hos paupercula subinde abscissos vendebat aliis, pro conficiendis comis ascititiis, quas barbare vocant Parruqven, teste Christiano Francisco Paullini *Tract. de Candor. Sect. 5. §. 18. p. 222.* ubi vera se narrare addit. vid. etiam *M. N. C. Dec. 2. An. 6. App. pag. 24.*

§. 8.

§. 8.

Interdum etiam in pilis pudendorum, uti alias in capite, plicæ obſervantur ſeu excreſcunt. Fuit apud Palatinum Sendomirienſem, Dominum Oſſolinski, in Polonia, Gallus quidam a ſervitiis, cujus nomen Santamar, ille in uxorem duxerat ex gynæceo nobilem virginem, quæ poſtmodum variis morbis divexata, tandem & plica correpta; non ſolum autem in capite, ſed etiam in pudendo, ubi crines in tantam excrevere longitudinem, ut ſesquialteram ulnam excederent, &, ſi ſibi permitterentur, terram attingerent; quapropter femori circumductam ligare opus habuit plicam, quam Johanni Paterſonio Hain, dum illum rogaret, extra veſtem eductam monſtravit, juxta ipſius verba *M. N. C. Dec.* 1. *An.* 3. *Obſ.* 220. *p. m.* 401. Sequentem obſervationem communicat Chriſtianus Franciſcus Paullini *M. N. C. Dec.* 2. *An.* 5. *App. pag.* 10. Audaciſſima mulier, ſexum celans, multis annis militis ſtipendia meruerat. Vulnere tandem in inguine accepto, dolus a Chirurgo detectus eſt. Ad incitas poſtea radacta ſtipem colligebat per urbem. Ad me etiam veniens rarum iſtum affectum non tantum verboſius expoſuit, ſed etiam ultro oſtendit. Tota pubes ſubflavis luxuriabat pilis, a dextra vero parte plica dependebat ſemicubitum longa. vid. etiam Paullin. *Obſ. med. phyſ. Cent.* 1. *Obſ.* 77. *p. m.* 92. ***In pilis plicæ.***

§. 9.

His adductis feminarum pilis pudendi exceſſu luxuriantibus exemplis, nunc etiam feminas adultas opponemus, quibus pili circa hunc locum variis de cauſis penitus deſunt, & quidem aliis vel natura, aliis infortunio, aliis ſtudio. Secundum naturam equidem puellis a decimo quarto ad decimum ſextum ætatis annum tales crines provenire, paulo ante diximus, calvæ tamen, quoad hanc partem, virginis, poſteaque uxoris meminit Chriſtianus Franciſcus Paullini *M. N. C. Dec.* 2. *An.* 6. *App. p.* 24. ipſi nimirum mercatoris haud vulgaris conjux Hamburgi anno 1664. ſub roſa ingenue faſſa eſt, filiæ ſuæ, tunc fere viginti ***Pilorum defectus.***

unius annorum, venustissimæ & bene moratæ virgini, nondum circa pubem enatos esse pilos, unde sterilitatem cate conjiciebat. Reversus denuo dictus Paullini anno 1674. Hamburgum, invisit optimam matronam, quæ subito hanc historiam recoxit, & de infructifero filiæ toro ipsi questa.

§. 10.

Signum sterilitatis. Ex hoc proinde pilorum defectu vel pudendi glabritie, in personis utriusque sexus adultis, Medici sterilitatem vel impotentiam dignosci posse statuunt, unde etiam dictus Paullini *l. a.* viro cuidam eximie docto, & variis scriptis claro, cujus pudendum omnino glabrum sine ulla hirsutie erat, perpetuam sterilitatem prædixit. Nihilominus tamen uxoris cujusdam gravidæ, quadraginta fere annorum, quæ neque circa partes pudendas, neque sub alis, sed tantum in capite pilos habuit, ex observatione meminit Louise Bourgeois *de Art. Obstetric. Part.* 3. *cap.* 2. *pag. m.* 12.

§. 11.

Pili abrasi a fulmine. Pilorum pubis a fulmine abrasorum exemplum recenset Petrus Borellus *Cent.* 2. *Obs.* 38. *p. m.* 139. Accidit, inquiens, apud Monspelienses, ut fulmen cadens in domum Vicarii Generalis D. Grassi, pudendorum puellæ ancillæ pilos abraserit, ut Bartassius in muliere sibi familiari olim factum fuisse, eleganti Carmine Gallico refert, a Gabriele Lermeo fideli Latinitate donato:

Vidi equidem, vidi his oculis puerilibus olim,
Nec res fallit, anum, cœli cui lubricus ignis
Abstulit attonsam strictim sine vulnere pubem.

§. 12.

ab arte. Porro nonnullæ feminæ, secundum Autorum relationem, partes sibi obscœnas arte vel studio depilare solent. Inquit enim Regnerus de Graaf *de Mulier. Organ. cap.* 2. *p.* 170. Usus pilorum est, partem velare, & ab externis injuriis præservare; cui tamen naturæ beneficio Italicæ & Orientales feminæ illarum

partium

partium nitorem atque elegantiam præponentes, arte ſibi, ut inutiles, pilos illos evellunt. Imo Turcas utriusque ſexus pilos in nulla corporis parte, præter cæſariem & barbam ferre posſe, vitioque verti, ſi quis pilos retineat, refert Petrus Bellonius *Obſ. Lib.* 3. *cap.* 33. in Carol. Cluſ. *Exotic. fol. m.* 191. Et juxta Guern. Rolfinc. *de Part. Genital. cap.* 34. *p.* 185. in Turca femina, Patavii in Hoſpitali Divi Franciſci mortua, nulla omnino obſervata pubes. Italæ nonnullæ ſe depiles tangere amant circa partes Hymenæo ſacras, veritæ fœtationem Morpionum.

§. 13.

Variis autem modis tales pilos ſublatos legimus, & quidem vel per raſionem ſeu tonſuram, vel per volſuram, vel per frictionem, vel per pſilothra &c. De tonſura ſequens exemplum ridiculum ex Poggio Florentino refert Cunradus Tiberius Rango *de Capillament. cap.* 9. *pag.* 212. Magiſtratus, inquiens, eſt Florentiæ, quem officiales honeſtatis vocant; horum præcipua cura eſt, in Jure meretricibus dicendo curandoque, ut in omni civitate absque moleſtia eſſe poſſint. Acceſſit ad eos ſemel meretrix, queſta, injuriam damnumque a tonſore illatum, qui in balneum accerſitus ab ea, ut partes inferiores raderet, raſorio ita cunni partes incidit, ut pluribus diebus homines (viros) admittere nequiviſſet. Ex quo damni infecti illum accuſabat, amiſſi lucri reſtitutionem petens. Quæritur, quæ ſit futura ſententia? Pilorum evulſionis, apud feminas Italicas & Orientales uſitatæ, modo ex Regnero de Graaf mentionem fecimus. Feminas in Toupinamboutiorum regione pilos cunni ſibi evellere, refert Johannes Riolanus *Anthropograph. Lib.* 2. *cap.* 35. *fol. m.* 195. Solet autem talis volſura volſellis inſtitui, & quidem non modo in feminis juxta Martial. *Epigramma* 10. *cap.* 90.

Depilandi modus

per tonſuram

per evulſionem

Quid vellis vetulum Ligella cunnum?

Sed etiam in viris, v. Rang. *l. a. p.* 216. *ſeq.* quæ volſura hodie etiam Judæis in uſu eſſe ſolet, quippe qui barbæ pilos ejusmodi volſellis evelli ſibi curant. Frictio mediante pumice peragitur; talem-

per frictionem

talemque pumicis usum jamjam veteribus notum fuisse, apparet ex C. Plin. *Histor. Natur. Lib.* 36. *cap.* 21. *fol. m.* 639. ubi, pro lævigandis corporibus pumices in usu feminis esse, scribit. Ita sonat etiam Manilii versus:

Pumicibusque cavis horrentia membra polire.

per psilothra. Denique etiam per psilothra, seu medicamenta externa depilatoria, nonnullæ feminæ sibi obscœnas partes glabras reddunt. Imo nullas mulieres, sub Turcico Dominio viventes, cujuscunque sint religionis, obscœnarum partium pilos novacula demetere, sed psilothro auferre scribit Petrus Bellonius *Obs. Lib.* 3. *cap.* 33. *fol.* 191. Pro harum & aliarum partium v. g. barbæ & axillarum depilatione varia adhibentur psilothra, quorum alia locum pilosum saltem depilant, alia etiam pilos renasci impediunt, ita ut loco pilorum alopecia quasi appareat; quam denominationem a vulpe derivat Christianus Fridericus Garmannus *de Miracul. Mortuor. Lib.* 1. *Tit.* 1. §. 123. *p.* 80. quod, ubi vulpes in caput minxerit, locum illum capillorum sterilem faciat. Quod etiam de urina muris majoris venditant, quod scilicet locum comatum pilis orbet suis. Plura psilothra, pro variarum corporis partium depilatione idonea, hoc loco adducere nolumus, Benevolum Lectorem ad Autores remittendo, ex quibus nonnulla Rango *l. a.* adducit. vid. etiam Felic. Plater. *Prax. Lib.* 3. *cap.* 1. *pag. m.* 39. *seq.* Johan. Bapt. Port. *mag. natural. Lib.* 9. *cap.* 4. *pag. m.* 367.

§. 14.

Rusma Turcarum De illo autem psilothro, quod feminis præsertim Turcicis familiare esse, atque Rusma vocari solet, pauca ut annectamus; Id Rusma juxta Petrum Bellonium *l. a.* omnibus Turcico Dominio subditis maximo in usu est, nemoque est, qui illius nomen aut facultatem ignorat. Quin Turcis utriusque sexus, tanto in usu est, ut Turcarum Imperator (referentibus Judæis) singulis annis Ducatorum octodecim millia tributi nomine accipiat ab eo, qui illius metallici vectigal in censu habet.

§. 15.

§. 15.

Quid autem hoc Rusma sit, hactenus curiosorum torsit ingenia. Bellonius equidem, quid sit, ibidem dicere promittit, nihil interim addens, nisi quod metallicum ferri excremento persimile sit, sed levius, nigrum adustumque quippiam referens. Sic Thomas Bartholinus *Cist. medic. Locul.* 17. *p. m.* 156. fere eadem de Rusmate Turcarum habet: Minerale est, inquiens, scoriæ ferri perquam simile, nisi quod levius sit nigriusque: Sunt qui conjectantur, Calcanti genus aliquod esse, Sory vel Melanterium vocatum; cæterum nihil tale vel gustu, vel extrinseca admotione, vel aliis ingeniis deprehendi potest, quod pyroticam aliquam facultatem prodat, sed temperatam. Alii Rusma Turcarum unguentum compositum esse volunt ex auripigmento, calce viva & aqua mixtum, uti ex Füreri *Itinerario Region. Orient.* allegat Christophorus Ludovicus Ditherus *M. N. C. Dec.* 1. *An.* 4 *&* 5. *Obs.* 48. *pag.* 182. vid. etiam Johannes Dolæus *Encyclop. Chirurg. Lib.* 1. *cap.* 2. *p. m.* 43. Tale psilothrum efficax atque probatum præscribit etiam Felix Platerus *Prax. Lib.* 3. *cap.* 1. *p. m.* 39. ℞ Calc. viv. ℥j.

Auripigment. ʒj. vel ʒjß.

adde parum albuminis ovi, & tantillum lixivii tonsorum, ungatur locus cum digito, & intra quadrantem horæ abluatur & fricetur lixivio. Si non recedunt, auge parumper auripigmenti quantitatem, atque experire, donec succedat. Sunt, qui sapone Gallico hæc excipiunt, sicque illinunt. Et de Rusmate Turcarum scribit idem Autor, quod sine ustione loca glabra reddat, nullo pilorum remanente vestigio, si illius pulvis adjecta calcis vivæ pulveris media parte, in aqua simul macerata, inungantur, & postea in balneo mox iterum una cum pilis abstergantur. Commemorat etiam Thevenot *Itinerar. Orient. Lib.* 1. *cap.* 23. *p. m.* 43. Rusma equidem ex auripigmento & calce viva paratum in insula Maltha in usu esse, Constantinopoli autem in balneis minerale quoddam ab iis, qui a novacula abhorrent, adhiberi

quid sit?

hiberi. Scribit etiam Alexander Maurocordatus, Medicus Constantinopolitanus, Portæ Ottomannicæ Consiliarius & Archiater, in Epistola ad Georgium Wolffgangum Wedelium, Rusma, quo orientales feminæ in balneis ad depilandas partes utuntur, vocabulum esse corruptum a Græco χρίσμα. Chrisma vero inter Turcicas feminas genus esse psilothri, compositum ex auripigmento & calce; Inveniri tamen & alias compositiones Chrismatis inter eas, sed minus usitatas. v. G. Wolff. Wedel. *Exercitat. med. philolog. Decad. V. Præfat.* Et Georgius Wheler *dans le Voyage de Dalmatie Lib.* 2. *p. m.* 169. de Rusmate Turcarum ejusque differentia sequentia refert: Nous nous informâmes aussi de Rusma ou Chrisma des Turcs, dont ils se servent pour faire tomber le poil, sans le raser: Car ni les hommes, ni les femmes, qui veulent estre nets, n'en laissent point croître sur leur corps. Ils en ont de deux sortes, l'un qui est composé d'orpiment & de chaux vive en poudre, qu'ils font cuire dans de l'eau en consistence d'onguent; l'autre, qui est aussi de chaux avec parties égales d'une certaine pierre noirâtre minerale, qui vient d'Egypte, legere & poreuse, comme une pierre de ponce, & qui resemble en quelque sorte à des cendres de fer; il en vient d'un lieu proche de Prosa dans Anatolie. Rusma esse speciem terræ in Turcia ad eradicationem pilorum usitatam vid. Henric. Oldenburg. *Act. Philosoph. Anglic. An.* 1666. *pag.* 297. cui tamen sententiæ, scilicet Rusma esse terram, contradicit Johannes Matthias Faber de Pilis marin. *M. N. C. Dec.* 2. *An.* 10. *App. p.* 213. Ruzma, inquiens, sive Rusma Turcarum, saponis genus, pilos omnes solo affrictu eradicans, ex algæ marinæ cineribus fieri ab Armeno negotiatore accepimus. In Actis quidem Societatis Regiæ Anglicanæ terræ cujusdam genus esse Ruzma Turcarum traditur, nos vero in nostra originali massa tale nihil deprehendimus, quæ levissima & lævissima, totaque est solubilis pinguiusculi nidoris.

§. 16. De

§. 16.

De modo autem hoc Rusmate utendi Petrus Bellonius *l. a.* sequentia addit: Plerique Europæi psilothra conficere tentarunt, ex calce & auripigmento, sed experientia male cessit, quod utendi rationem non probe intelligerent: Id enim fieri debet ante balnei ingressum. Eam ob causam utendi rationem explicare volumus. Rusmati, in tenuissimum pollinem contuso, calcis vivæ dimidiam partem adjiciunt, unaque in fictili aqua macerari sinunt. Feminæ, balnea ingressuræ, partes, quas glabras esse cupiunt, eo inungunt atque inhærere sinunt, quanto tempore ad coquendum ovum requiritur; deinde periculum faciunt, an pili decidere velint. Sudore enim cutem penetrare incipiente pilorum radices laxiores redduntur, & sponte decidunt parte abluta calida aqua, & manu duntaxat ad partem adducta. Adeo temperatum est psilothrum, ut non urat, locaque lævia & glabra reddat, nullo pilorum manente vestigio, ut vetulæ quodammodo juvenculæ reddantur. Ex dictis patet, ad hoc Rusma dictum Bellonium dimidiam saltem partem calcis vivæ præscribere: Curiosus vero Robertus Boyle pulveris rusmatici subtilis & calcis vivæ æquipondium commixtum per aliquantillum temporis aqua limpida maceravit, dein massam tenuem & viscidam, ex aqua & ingredientibus compositam, partibus corporis, a crinibus liberandis, applicavit, & mixtura inibi per trium horæ minutaram primarum, seu sexagesimarum horæ integræ, intervallum, commorata, ac linteo aquæ calidæ immerso absterса, crines radicitus evulsos vidit, nullo quidem sensibili partium corporis damno; idque experimentum sæpissime aliis commonstravit, & in proprio corpore subiit, ut ipse Boyle *de Utilitat. Philosoph. experiment. Exercit.* 9. *pag. m.* 557. testatur, ubi simul addit: Non tantum expeditius, quam vulgari rasura, sed etiam radicitus pilos abradi, quare etiam plus temporis, donec ad priorem longitudinem iidem recrescant, absumi scribit. Georgius Wheler *loc. all.* inquit: Les

Rusmatis usus.

Turcs appliquent le Rusma, lorsqu'ils entrent dans le bain, & les baigneurs prennent soigneusement garde, lorsqu'on peut aisement tirer le poil; alors ils lavent promptement la partie avec de l'eau chaude, & frottant avec un drap rude, ils en levent tout le poil sans faire le moindre mal. Quamvis autem hoc Turcarum Rusma, ut celeberrimum psilothrum, juxta allegatum Boylæi locum, ad cutis depilationem non ita opituletur, ut pili penitus non repullulent; dari tamen medicamenta, quæ pilos constanter exstirpent, non dubitat Rosinus Lentilius, cum Nordlingæ quendam viderit, qui medicaminis alicujus illitu præter intentionem effecit, ut in suo toto corpore pili ne vestigium usquam in capite, mento, regione oculorum, sub axillis & alibi per annos jam ultra duodecim comparuerit. vid. Rosin. Lentil. *Iatromnemat. cap.* 48. *p.* 201.

§. 17.

Pilorum vellicatio.

Quoad crinium pubis usum medicum, eorum vellicationem in Passione sic dicta hysterica, non obstetrices modo & aliæ mulierculæ, sed ipsi quoque Medici suadere solent. v. g. Suffocationem uteri ab odore rosarum refert Baldassar Timæus a Güldenklee *Lib.* 4. *Cas.* 17. *p.* 216. de Senatoris Colbergensis conjuge cacochymica, quæ tempore verno in collectione florum rosarum occupata, subito concidit, sine sensu & motu, voceque & respiratione intercepta, ut quasi suffocari videretur, succedebat partium externarum frigus, faciei labiorumque pallor & cordis palpitatio. Hunc affectum dictus Autor ab humoribus vitiosis atque malignis in utero cumulatis, indeque ad cerebrum ascendentibus, derivat. Pro scopo autem hanc attonitam excitandi, suffimigium ex pennis perdicum & asafœtida, pilorum inguinalium vellicationem & frictiones ligaturasque dolorificas, cum fructu adhibuisse dicit. Quod etiam approbat Johannes Jacobus Waldschmidt *Prax. med. pag.* 501. inquiens, spiritus animales excitant frictiones & ligationes fortes institutæ: Vellicationes etiam pilorum debent institui, inunctiones cum graveolentibus.

§. 18. Li-

§. 18.

Licet autem a tali pilorum pubis vellicatione nihil mali metuendum ſit, longe tamen major dolor ab eorundem evulſione cauſatur, quale exemplum de proſtibulo, quod ejusmodi pilorum in pudendis evulſionem a vietorum famulis experta erat; ex Paulo Ammanno refert Michael Bernhardus Valentini *Pandect. med. legal. Part.* 1. *Sect.* 3. *cap.* 33. *pag.* 414. *ſeq.* Relatio autem obſtetricis de dicto caſu hæc eſt: Magdalena Dietrichia, obſtetrix jurata, judicialiter deponit, quod Mariam Ranckiam inſpexerit, & invenerit, omnia diſcerpta fuiſſe, adeo, ut ſanguis emanaverit. Pili evulſi erant, omniaque intumuerant. Mirum eſſe, puellam adhuc pedibus inſiſtere & ambulare. Vietorum famulos penitus intus penetrando diſcerpſiſſe omnia, miſeramque rei faciem adeſſe. Labia pudendi velut uncis quibusdam detraxiſſe, pilosque omnes evulſiſſe, cumprimis retro in appendicibus labia inſigniter tumere, puellamque ſummos dolores pati &c. Reſponſum Facultatis Medicæ de hac illethalitate evulſionis pilorum in pudendis. P. P. Transmiſſa nobis depoſitione juratæ obſtetricis, & deſiderato judicio noſtro de præſenti Mariæ Ranckiæ ſtatu Reſponſi loco vos certiores reddimus, quod evulſio pilorum in pudendis, violenta manu peracta, absque doloribus quidem fieri non poſſit: Quia tamen labia pudendorum tantum tumida ſunt, nec dilaceratio quædam a famulis illata fuit, alias quoque hyſtericæ mulieres ſæpe pilis pudendorum ſatis vellicantur, (ut de vibriſſarum evulſione in Lethargo nequicquam jam dicamus) ut ſcilicet excitentur; hinc ex evulſione tali vita non periclitabitur. Interim ad meliorem rei notitiam & certitudinem, præter inſpectionem obſtetricis, a Medico quodam ſimul inſpectioni oculari ſubjici poſſet. Hanc hiſtoriam communicat Paulus Ammannus *Prax. vulner. lethal. Dec.* 3. *Hiſt.* 7. *pag.* 242. *ſeq.* qui *pag.* 245. ita pergit: Reconvaluit hæc patiens intra breve temporis intervallum; nam obſtetrix largius reſpondit, quam fuit interrogata, nec omnes

Pilorum evulſio doloroſa.

pili pudendis evulsi. Pœnam tamen hujus proterviæ dederunt isti vietorum famuli, ergasterio ad aliquot septimanas inclusi, & raspatura ligni Brasiliensis fatigati.

§. 19.

Usus Medicus. Liceat etiam pauca adhuc de pilorum pudendi usu medico, vel superstitioso, & quidem contra Hæmorrhagiam annectere. Puella scilicet Synochum passa die decimo quarto in Hæmorrhagiam incidit largissimam, cui, non vocato Medico, sistendæ anum adhibent, quæ eductos ex pyxide pilos nigros crispos naribus admovet, dictoque citius sanguinem sistit. Sed eodem nomine (momento) tota facies in tantam surrexit molem, ut sphæræ, quam faciei, esset similior: Puella sensu motuque apoplecticæ instar privatur: Fauces asperaque arteria grumoso sanguine fartæ, roncho & stertore clangoso adstantes terrebant, qui tam repentinam mirati metastasin formosæque puellæ deformitatem enormem, Medicum vocant, qui statim dixit, impeditam a natura crisin arte resarciendam, sanguinemque male a vetula coercitum, debere eadem, quam natura monstrarat, via fluere; aut quia hoc, amoto etiam Periapto, non succedat, brachii primum, dein & saphenarum venas pertunderent. His laxe depletis, sensum motumque recuperavit. Postridie toto corpore applicitæ cucurbitæ cum scarificatione, unde mortem, quæ jam fauces ejus prehenderat, evasit. Hos pilos, puellæ naribus a vetula applicatos, ab omnibus e pube fuisse judicatos refert Henricus ab Heer *Observ.* 5. *pag.* 69. 71. quo loco addit, se vidisse Germanos Chirurgos castrenses, qui iisdem crinibus & ferocientem in erysipelate bilem, & exsilientem ex vulnere aut naribus cruorem, subito compescuissent. Dixerunt etiam illi Chirurgi, curæ virorum admovendos esse pilos mulieris pectini avulsos; & contra muliebres affectus non nisi masculis crinibus emendari. Sed Heerius hoc pacto diabolico potius ac superstitioni, quam pilorum virtuti, tribuendum esse credit.

CAPUT

CAPUT. IV.

De Perinæo.

§. 1.

AB his pudendi partibus progredimur porro ad aliam, quæ ab Anatomicis etiam ad pudendi partes externas referri ſolet, ſcilicet perinæum, ſeu ſpatium illud inter fiſſuram magnam & anum, quod ſecundum Coſmopolit. *Hiſtor. Natur. cap.* 16. *pag.* 425. *ſeq.* interdum vix pollicis transverſi latitudinem excedit. Græca denominatio περίναιον vel περίνεον derivatur a περινεῖν quaſi circumnatare, circumfluere, quia hæc pars perpetuo ſudore madet. vid. Joh. Riolan. *Anthropogr. Lib.* 2. *cap.* 31. *fol. m.* 157. Nonnullis etiam dicitur interfemineum, quod duobus feminibus ſit interpoſitum. **Perinæum.**

§. 2.

Licet autem proprie perinæum ad pudendum muliebre non pertinere videatur, quia tamen parturientes ſæpiſſime in dystokia hac in parte ita læduntur, ut totum quandoque perinæum disrumpatur, non ſine cauſa, mea quidem ſententia, Anatomici illud dictis partibus externis annumerarunt, atque inter partes pudendi de perinæi ruptura agunt; hinc Jean Palfyn eo loco, ubi de rima magna tractat, de perinæi ruptura ita ſcribit: Il arrive quelque fois en des accouchemens facheux, que toute la partie inferieure de la fente, que nous avons cy-devant appellé foſſe naviculaire, ſe dechire en la ſortie de l'enfant jusques au fondement, par le moyen de quoy les deux trous, ſçavoir celuy du vagina, & celuy de l'anus, ſe mettent à l'exterieur tout a fait en un, qui à cauſe de ſon enorme grandeur raſſemble pour lors à la bouche d'un Antre affreux. vid. Jean Palfyn *l. a. p.* 5. Et juxta verba Nicolai Venette *de la Generat. de l'Homme Part.* 1. *cap.* 2. *Art.* 3 *pag.* 45. l'accouchement eſt quelque fois accompagné d'accidens ſi facheux, que les femmes ſe fendent d'une maniere étonnante. Isbrandus de Diemerbroc **Ruptura perinæi.**

Anat. Lib. 1. *cap.* 26. *f. m.* 152. inquit: Rima magna ab ossibus pubis deorsum versus ad natium plicaturam & anum tendit, fere transversi pollicis latitudine ab eo distans, quod interstitium seu interfemineum vel interforamineum, nonnunquam mulieribus in magni fœtus gravi partu dilacerari, & sic rimam inferioremque vaginæ partem usque in anum dehiscere, hocque malum in nonnullis postea gravissime, in aliis nunquam curari, aliquoties observavimus.

§. 3.

Exempla. Exempla autem rupturæ perinæi ut adducamus, refert Baldassar Timæus a Güldenklee *Lib.* 4. *Cas.* 31. *pag. m.* 230. Conjugem mercatoris cujusdam Colbergensis, corpore tenellam & juvenem, in primo partu adeo vehementer in tertium usque diem laborasse, ut exeunte tandem fœtu, spatium, quod est inter anum & rimam pudendi, rumperetur, anusque & vulva unum continuum fierent foramen. Ubi etiam curam hujus disrupti isthmi reperimus. Meminit etiam Samuel Ledelius *M. N. C. Dec.* 2. *An.* 6. *Obs.* 66. *pag.* 155. Perinæi in primi para a partu difficili lacerati, & aqua ligni fraxini restituti. Sequentem observationem recenset Paulus de Sorbait *M. N. C. Dec.* 1. *An.* 3. *Obs.* 273. *pag.* 486. *seq.* Puella quædam, octo circiter annorum, cum, sese ut calefaceret, carbonibus in olla contentis insideret, obdormiens, perfracto fictili in carbones incidit, & totam perinæi, vulvæ & pubis regionem combussit; vocatus verbosus Chirurgus adeo negligenter eam curavit, ut integra vulvæ labia firma cicatrice sibi conjungi, & relictis tantum duobus foraminibus, altero infra os pubis, altero prope anum in perinæo, coalescere permiserit. Puella taliter constituta ad pubertatem pervenit, & cum, tum ob hæreditariam levitatem, veneris oestro non parum stimularetur, tum ob elegantem formam, a procis non paucis sollicitaretur, tandem ab uno per contactum, absque membri intromissione, ingravidata fuit; cumque partus adesset tempus, doloresque biduo jam toto vehementer urgerent,

dempta

dempta omnimoda ſpe felicis partus, de ſectione & apertione vulvæ conſultum fuit, quam etiam feliciter perfecit Chirurgus quidam peritiſſimus; & cum ex arteriola quadam ſecta uberrimus proſiliret ſanguis, impoſito calcanthi pulvere illico ſiſtebatur, & paulo poſt ſumma vi prolem ſat robuſtam enixa eſt, non per recens aptatam & ſectam vulvam, ſed per ante dictum foramen ano proximum, a natura tanta vi dilatatum, ut totius perinæi rupturam cauſaverit &c. Id confirmat etiam Nicolaus Venette *l. a.* inquiens: J'ay veu une femme, dont les deux trous n'en faiſoient qu'un. Sive juxta verſionem Belgicam. Het baren is ſomwylen van ſoo moejelyke toevallen verſelt, dat de Vrouwen wonderlyk als komen te berſten, en ik heb' er een geſien, welker beide Gaten in een geſcheurt waren. *vid. Venus Minſieke Gaſthuis pag.* 48. Ejusmodi ruptionis perinæi in puerpera quadam, Mulleria nominata, 1674. Lipſiæ, ab immisſione digitorum obſtetricum in anum exortæ, mentionem facit Paulus Ammannus *Irenic. p.* 111. Similiter ex imperitæ obſtetricis vellicatione feminam quandam in partu in rupturam perinæi incidiſſe refert Achilles Gaſſerus *Obſ.* 38. Georg. Hieronym. Velſch. *Syllog. Curat. pag.* 23. Giſſæ etiam honeſtam honeſti ac eruditi Viri uxorem puerperam in rupturam perinæi ſive interfeminei incidiſſe, refert Juſtus Fridericus Dillenius *Ephemer. Acad. Nat. Curioſ. Cent.* 7 & 8. *Obſ.* 44. *pag.* 90. vid. etiam Chriſtoph. Vœlter. Hebammen-Schule *Part.* 2. *cap.* 16. *pag. m.* 178. Plura ejusmodi exempla quotidiana praxis detegit.

§. 4.

Quamvis autem dicta perinæi ruptura in mulieribus congreſſum non adeo jucundum, quin & ſæpe doloroſum efficiat, imprægnationem tamen minime impedit; hinc etiam in Jure Eccleſiaſtico tantum operari nequit, ut cenſeatur ſufficiens divortii cauſa. Ut taceamus, quod ejusmodi vitia morboſa, poſt matrimonium contractum ſupervenientia, licet congreſſum & imprægnationem interdum prohibeant, matrimonium tamen *an divortium cauſetur?*

non

non dissolvant, siquidem conjuges participes fiunt omnis generis infortunii, quod durante matrimonio alterutri illorum obvenit. vid. Benj. Benedict. Petermann. *Obs. med. Dec. 2. Obs. 2. p.* 25. Quapropter, quanquam etiam tam magnum foramen partum subsequentem facilitare videatur, potius tamen Medicus atque Chirurgus hujus rupturæ curam quo citius eo melius promovere debent. Hinc dicit Jean Palfyn *l. a. p.* 5. Si on laissoit un tel dechirement sans en faire la reünion, la femme devenant grosse une autrefois, accoucheroit ensuite avec bien plus de facilité, & sans étre en danger de la recidive, qui s'y fait ordinairement, quand ces parties se sont reprises après cet accident; mais aussi lors qu'elles demeurent dejointes, & separées de la sorte, les femmes en sont si incommodées, a raison des excremens, qui barboüillent & infectent tellement toute leur nature, & les rendent si degoûtantes à leur mary, & à elles mêmes, comme encore si peu propres au coït, qu'il vaut mieux en faire la reünion incontinent après l'accouchement par le moyen d'une forte suture, ou plus selon la longueur de la separation.

§. 5.

Rupturæ cura. Duplici autem modo institui solet hujus rupturæ curatio, & quidem melius in recenti, quam inveterato malo. Recens vulnus ante omnia vino calido vel decocto quodam vulnerario & adstringente bene eluatur, dehinc labia disrupta glutine quodam adstringente vel emplastro glutinatorio iterum conjungantur. Quodsi tamen hoc modo labia non consolidentur seu concrescant, tunc antequam nova cute obtegantur, sutura vera, seu acu facta a Chirurgo applicetur. Quoad medicamenta conglutinantia Baldassar Timæus a Güldenklee *loco supra allegato pag.* 231. sequentem glutinis descriptionem communicat:

℞ Pulv.

℞ Pulv. Rad. Conſolid. maj. ℥ij.
Bal. Armen. Maſtich.
Sanguin. Dracon. Sarcocoll.
Farin. Volatil. Pomphol. āā ℥j.
M. c. Reſin. Pin. & Album. Ovr. āā q. ſ.
pro Glutine.

Et ex Guillemæo ſequens balſamum elemi compoſitum pro conſolidatione commendat Michael Ettmullerus *Oper. med. Tom.* 2. *fol.* 1143. ſcilicet

℞ Gumm. Elem. ℥ij.
Terebinth. Venet. ℥iij.
Ol. Hyperic. ℥ijß.
Sanguin. Dracon.
Myrrh. Aloes ana ℥j.
Liquefiant omnia ſimul
& f. l. a Balſamum.

apud quem Autorem alia plura medicamenta reperiuntur. Quoad ſuturam adhuc notandum, nonnullos Autores ſolummodo ſuturam nodoſam ſeu interſciſſam ſuadere. vid. Laurent. Heiſter. *Chirurg. de Operat. Chirurg. cap.* 146. *p.* 678. & quidem ab ano incipiendo, atque uſque ad rimam naturalem aliquot ſuturis pergendo. De hac ſutura plura vide apud Chriſtoph. Völter. *l. a. pag.* 180. *ſeq.* Quod ſi vero malum jam fuerit inveteratum, ita ut labia vulneris diſrupti jam callo obducta ſint, tunc durities iſta primo cultro vel forcipe auferenda ſeu reſcindenda, ipſaque operatio per ſuturam involutam, ſeu ubi acui in ſutura relictæ filum circumvolvitur, perficienda eſt, uti alias in operatione labii leporini fieri ſolet. Cum vero perinæum, uti ſupra dictum, vix pollicis transverſi latitudinem excedat, non immerito ſuadet Coſmus Viardel von der weiblichen Geburt *Lib.* 3. *cap.* 15. & *ultimo pag.* 211. ut talis ſutura involuta tantummodo in medio, in extremitatibus autem nodoſa injiciatur. Sutura tali a Chirurgo adhibita, ac Timæano glutine deſuper impoſito, iſthmum *per ſuturam.*

 hunc

hunc brevi tempore adeo perfecte coaluisse, ut aliquoties ex illo tempore puerpera ista minus laboriose pepererit, refert Justus Fridericus Dillenius *Ephemerid. Cent. 7. & 8. Obs. 44. pag. 90. seq.*

§. 6.

Perinæum a flatibus disruptum. Varia etiam in perinæo utriusque sexus interdum oriuntur symptomata, v. g. Perinæum a flatibus disruptum annotavit Rosinus Lentilius *Miscell. med. pract. Part. 1. pag.* 203. in puella quindecim septimanarum, quæ a meconio in tantam hypochondriorum totius abdominis inflationem incidit, ut abdomen tenellum isti amplius retinendæ impar factum, & flatus per perinæum sibi viam effregissent, cum sanguinis multo profluvio; & quamvis omnem diligentiam adhiberet Lentilius, quin tamen infans exhalaret spiritum, impedire haud quaquam potuit.

§. 7.

Sacculus in perinæo. Puellæ, optime cæteroquin constitutæ, perinæum occupaverat sacculus, scrotum canis venatici apposite referens. Tentata filo leviter incerato ligatura, unde primum valde inflammatus, paulo vero post, nutrimento penitus subtracto, suapte decidit, juxta relationem Johannis Petri Prückelii *M. N. C. Dec. 1. An. 9. & 10. Obs. 18. pag. 45.*

§. 8.

Abscessus. Quandoque Inflammationes, Abscessus & Sphacelus in perinæo a variis causis exoriuntur, tam in maribus, quam feminis, quale exemplum recenset Guilhelmus Fabricius, Hildanus *Obs. Chir. Cent. 5. Obs. 64. Oper. fol. m.* 454. de viro quodam generoso, qui antea sæpissime de urinæ ardore atque retentione, dehinc de dolore perinæi pungitivo conquestus, postea fœtorem in urina percepit; qui paullatim augebatur, simulque in fundo urinæ materia viscida, spermati ranarum non absimilis conspiciebatur. Tandem phlegmone in perinæo magnitudine ovum anserinum adæquans superveniebat cum maximo dolore pungitivo

gitivo

gitivo tumore & duritie ſcroti & virgæ; atque poſt cataplaſmata maturantia in medio perinæo, & quidem in ipſo Tauro ruptus fuit abſceſſus, & plus adeo putridum in copia effluxit, ut totum conclave incredibili & plus quam cadaveroſo ſuo fœtore adimpleret. Fœtor ille dies aliquot continuavit; talis enim erat ſphaceloſa putredo, ut totum perinæum mortuum excideret & ulcus ingens poſt ſe relinqueret. Bina ejusmodi abſceſſuum in perinæo exempla mihi quoque nota ſunt, alterum in adoleſcente quodam, qui aliquot ante annos Gonorrhœa laborarat; alterum in viro, quadraginta aliquot annorum, alias podagrico atque per tempus ab illa liberato, qui tamen utrique absque fiſtula reſtituebantur, ſed in hujus Abſceſſus apertura per totam domum maximus fereque intolerabilis fœtor oriebatur. *obſervatio.*

§. 9.

De perinæi perforatione & urinæ illac tanquam per cribrum excretione vid. Guil. Ballon. *Epidem.* Talem perforationem etiam mihi ante quatuor circiter annos in filio D. D. S. ſeptenni, qui ludibundus ex loco alto deſiliens ex improviſo in lignum acuminatum, qualibus in hortis vel vaſis terreis arbuſculæ nanæ & flores alligari ſolent, circa perinæi ſuturam ita illidebat, ut dicti ligni cuſpis acuta non ſolum per braccas, ſed ipſum quoque perinæum ad veſicam usque, & quidem absque dubio circa ejusdem partem muſculoſam, penetraret, atque ab accurrente parente ex dicto perinæo extrahendum eſſet. Ex quo vulnere licet in principio atque per dies aliquot pauca urinæ quantitas efflueret, adeo ut fiſtula metuenda mihi videretur, poſt aliquot tamen ſeptimanarum ſpatium hic puer integræ ſanitati reſtituebatur, qua adhuc per Dei gratiam fruitur. *perforatio.* *obſervatio.*

§. 10.

Hunc meum de ſuperventura fiſtula metum non fuiſſe de nihilo, docent alia ex hujusmodi abſceſſibus & læſionibus exortarum fiſtularum exempla, in quibus quandoque ipſa urina ſimul excerni ſolet. Tale exemplum apoſtematis in perinæo, ex quo lotium *Fiſtula.*

bene coctum prodibat, in Episcopo quodam Ratisbonensi annotatum cum cura communicat Johannes Langius *Epistol. medic. Lib.* 3. *Epist.* 5. *p.* 893. *seqq.* 898. Fistulam sub perinæo quinquennalem in Casparo Benemariæ Regis Fes primogenito se curasse scribit Marcus Aurelius Severinus *de efficac. Medic. Part.* 2. *c.* 49. *f. m.* 106. ubi plura exempla recenset. Ejusmodi fistulas perinæi difficillimæ esse curationis, ac facile recrudescere, inter alios Autores monstrat Guilielmus Fabricius, Hildanus *Observ. Chir. Cent.* 5. *Obs.* 75. *Oper. fol.* 467. ubi simul tam ratione ægrotantium, quam Chirurgorum, necessarias annectit admonitiones, quas, quia ejusmodi casus non quotidie occurrunt, hoc loco inserere volui. Inquit autem dictus Autor: Anno 1620. Generosum quendam abscessu & inde exorto ulcere in perinæo gravissime laborantem, feliciter sanitati restitui, & ita quidem ut ulcus cicatrice obductum tandem quoque fuerit. Quid fit? post menses aliquot, cum ad iram a quodam concitatus esset, sequenti nocte excernendo urinam, acrimoniam persentire cœpit. Dolor quoque & inflammatio in perinæo exorta est, tandemque ulcus, quod antea maximo cum labore cicatrice obduximus, iterum apertum fuit. Anno 1617. in Hassia Generosum quendam, exulceratione colli vesicæ & prostatarum, post Gonorrhœam virulentam contracta, laborantem curandum habuit; in quo id quoque observavit, ut, quotiescunque ad iram (celerrime autem, etiam ob nullius momenti rem, irascebatur) concitatus esset, præter varia symptomata, dolores adaugerentur, ipseque nonnunquam dies noctesque præ magnis doloribus ejulare coactus esset. Item cum Coloniæ anno 1594. sexagenario fistulam, post carunculam & retentionem urinæ ortam, multis laboribus cicatrice obduxisset; æger vero post curationem iterum difficultate urinæ, doloribus aliisque symptomatibus continuo fere vexatus fuisset, post menses sex a curatione fistulam aperire coactus fuit. Convaluit non tantum æger, verum etiam ultra annos quatuordecim a curatione satis commode vixit, & annum septuage-

ſeptuageſimum ſeptimum ſupergreſſus eſt, neque poſt illud tempus conſolidationem fiſtulæ tentare voluit. His obſervationibus ſequentes admonitiones annectit dictus Fabricius: Videant juniores Chirurgi, ut in prognoſtico fiſtularum perinæi ſint prudentes. Si enim ex cauſa interna facta fuerit fiſtula, nunquam perfecte ſanatur. Obducitur quidem nonnunquam cicatrice, ſed facillime a cauſa aliqua interna recrudeſcit; imo & nonnunquam, ſi ad tempus clauſa perſiſtit, graviſſima ſymptomata ſubſequuntur. Ex his etiam ediſcant ægri, ne tantopere de integra & perfecta conſolidatione harum fiſtularum ſint ſolliciti. Sunt enim via apta pro excretione multorum excrementorum, quæ beneficio naturæ ex hepate, renibus, veſica & vaſis ſpermaticis eo extruduntur. Quapropter ægros hujusmodi fiſtulis laborantes ab aliis gravioribus morbis utplurimum immunes eſſe ſæpiſſime obſervavi: Præcipue autem in ſenibus, & qui antea difficultate & ſuppresſione urinæ & carunculis laborarunt. Ulcera in perinæo, quotiescunque ad ductum urinarium perveniunt, inſanabilia fere cenſenda eſſe exiſtimo, idque propter excrementorum, quibus eorum corpora ſcatent, abundantiam, propter imbecillitatem, item facultatis expultricis harum partium, ex venere aliisque cauſis contractam, adeo magnam, ut urinam excrementitiis humoribus refertam, per anfractuoſum ductum penis expellere non posſit. Pueris vero & juvenibus, ſi ulcera fiſtuloſa hiſce in partibus ſupervenerint, de curatione non deſperandum eſt &c.

§. 11.

Porro calculo veſicæ laborantibus in perinæo lithotomiam ſeu calculi extractionem exerceri, notum eſt, de qua in noſtra Lithologia D. v. agemus. Interdum tamen tales calculi etiam ſponte per perinæum exitum quærunt, quale exemplum de calculis piſiformibus, per hunc locum ſponte excretis, recenſet Johannes Nicolaus Pechlinus *M. N. C. Dec.* 1. *An.* 9 *&* 10. *Obſ.* 33. *pag.* 91. Nimirum puer duodecim annis major dolore veſicæ *Calculi per perinæum.*

ponderoso, at sine suspicione calculi diu laboravit; tandem insperato auctis doloribus circa perinæum tumor sese prodit, in ulcus, quod videbatur, desiturus; sed tamen nullis sive emplastris, sive linimentis, ad maturitatem adduci potuit, donec tandem seposita remediorum cura sponte in ulcus transiret rebellis hactenus tumor. Cum autem certo die pisis in cœnam appositis largius indulsisset protervus puer, pruriginem in perinæo sensit intolerabilem, quam ut coerceret, digitos unguesque admovit; qui cum graves parti incumberent, nonnihil etiam lacerarent, emollitum jam tumorem facile disrumpunt. Aperto sine dolore vulnere, quod minime puer credebat, retractam manum pone sequuntur globuli, quos ille viginti numero excipiens illa ipsa comesta pisa esse putabat, adeo forma & magnitudo erat similis: Sed excussis diligenter sphærulis apparuit, lapillos esse pisiformes albos & superficie glabra velutque expolita.

CAPUT V.

De Fissura magna.

§. I.

Rima. DEnique in medio harum pudendi muliebris partium externarum, imprimis inter labia conniventia reperitur ejusdem pars primaria, rima scilicet, quæ tamen secundum Philipp. Verheyn. *Anatom. Tr.3.cap.29.p.m.*200. proprie pars non est, sed potius intercapedo: Inter partes tamen pudendi ob considerationis merita non immerito computari solet; quia, uti de partibus naturalibus scribit Nicolaus Venette *de la Generat. de l'homme Part.* 1. *cap.* 1. *Art.* 3. *pag. m.*19. est la cause de la pluspart de nos chagrins, aussi bien que de nos plaisirs, & j'ose dire que presques tous les desordres, qui ont parû dans le monde, & qui y arrivent encore tous les jours viennent de ces parties là. Hinc etiam vocatur grata rima, per anagramma Margarita, quia juxta Guern. Rolfinc. *de Part. Genit. Part.*2. *cap.*36. *pag.*186. *seq.* grata

est

eſt brutis, grata eſt ratione præditis, cum τὰ ἀνόητα meditantur opera. Vocatur etiam rima magna, partim, quia ordinarie ab inferiori osſium pubis parte ad perinæum, & quandoque, ſecundum paulo ante de perinæi ruptura adducta, ad anum usque percurrit, partim etiam ad differentiam rimæ interioris uteri, quæ minor eſt, & orificium vaginæ uterinæ appellatur, atque a majori ſeu externa plus quam duplo ſuperatur; cum partes exteriores, rimam ambientes, labia ſcilicet pudendi eorumque frænum, tempore partus, ob ſuam ſubſtantiam, non æque ac interiores dilatari posſint. Circa hanc tamen rimæ magnitudinem notandum, eandem in virginibus multo minorem atque anguſtiorem eſſe, quam in iis, quæ ſæpius coitum celebrarunt, aut pepererunt, cum in his actionibus pudendi labia magnam patiantur diſtenſionem. Inquit etiam Johannes Riolanus *Anthropog. l. a.* ſcisſuram cunni in virginibus triplo majorem eſſe foramine caruncularum, & duplo majorem fiſſura nympharum. Ratio autem, cur natura tam amplam rimam ſeu fisſuram in mulieribus ordinaverit, (quæ ſcilicet ipſius vaginæ orificium plus quam dulpo ſuperat) juxta Regnerum de Graaf *l. a. p. 169.* primaria videtur, quia externa cutis ad dilatationem non tam idonea exiſtit, quam membranacea pars, ex qua interna illius fiſſuræ ſubſtantia componitur: Natura igitur ſui admodum ſollicita difficultati, quæ parturientibus ſuboriri poterat, prudenter proſpiciens, tam amplum aditum efformavit. Juxta Fel. Plater. *de Corpor. hum. Struct. pag.* 160. Rima eſt ſciſſura cutis in longum, veluti vallis inter monticulos, vel connivens vel diducta dehiſcens, longior eſt foramine, quod penem admittit, idque ne cutis partum, ſi illius ſectio anguſta fuiſſet, cum cutis durior, non ita ut foramen interius ampliari posſit, impediret. Vel ſecundum verba de Jean Palfyn *l. a. p.* 5. la raiſon de cette grandeur ſe prend, de ce que la peau de parties externes n'étant pas ſi propre à ſe dilater, que celle des parties membraneuſes, qui compoſent la ſubſtance de la fente interne & de l'orifice du

vagina,

vagina, Autheur de la nature a pris soin aussi de faire celle cy tellement spatieuse, qu'elle ne donnât aucune peine dans le tems de l'accouchement. Hanc rimam Casparus Bauhinus *Theatr. anat. Lib.* 1. *cap.* 40. *p. m.* 136. ita describit: Rima, quæ σχίσμον seu fissura major & oblonga & cunnus vulgo dicitur, a labiis constituitur & ab ossibus pubis deorsum versus posteriora ad natium plicaturam ad anum tendit (cum foramine longior esse debuerit, ne fœtus exitum impediat, cum cutis ipsis membranis crassior sit) quæ, quo magis retrorsum vergit, tanto magis in latum & profundum, augetur &c. Has tamen rimas alio modo distinguit Isbrandus de Diemerbroc *Anat. Lib.* 1. *cap.* 26. *f. m.* 152. inquiens: Inter conniventia labia apparet pudendi rima diductis vero labiis & alis apparet sectio profundior, quam recentiores fossam, nonnulli rimam magnam, ad prioris modo dicti differentiam, appellant &c.

§. 2.

Variæ denominationes. Præter hanc rimæ seu fissuræ denominationem, aliæ adhuc apud Autores occurrunt; quibusdam enim hæc pars vocatur hiatus, fossa, fovea, cunnus, cysthus, Græce κύστος, ideoque, juxta Joh. Riolan. *l. a.* facetissime lusit Ausonius in Grammaticum, qui lugebat mortem Seplasiariæ: Monet enim, ut caveat, ne cysthum herbam lanuginosam, & cysthum pudendum muliebre, ejusdem odoris esse putet. Supra etiam ex Bauhino vidimus, quod schisma appelletur, quod Guernerus Rolfincius *l. a.* merito jure fieri dicit, quia multa parit schismata & animorum divisiones: Hæc boves armat in prælia, cervos in duella, homines in bella. Nesciunt ferre pares, respuunt corrivales, soli gestiunt esse cum sola. Et juxta Horatium:

Fuit ante Helenam cunnus teterrima belli
Causa.

Communiter vero hæc rima per se, & cum labiis, vulvæ nomine venire solet, unde, quamvis secundum quosdam per nomen vulvæ totum pudendum muliebre indigitetur, alii tamen vulvæ

mentione

mentione rimam & labia tantum intelligunt; uti in ſequentibus ſub hoc nomine variæ recenſentur obſervationes.

§. 3.

Hæc rima ſeu vulva ampla non modo membro virili ſeu peni ingreſſum ad vaginam uterinam in coitu, ſed etiam fœtui egreſſum in partu, variisque uteri liquoribus & menſibus effluxum concedit; vel juxta verba Coſmopolitæ *Hiſtor. Natur. cap.* 16. *p.* 425. fiſſura magna protenditur ab inferiore pubis parte ferme usque ad anum, ut ſcilicet eo ſitu membro virili reſponderet, pro quo ad orificium uteri dirigendo, apertæ deinde viæ exiturienti fœtui, urinæ & aliis excrementis præbendæ, excavata eſt. Et juxta Thom. Bartholin. *Anatom. Lib.* 1. *cap.* 32. *p.m.* 290. debet foſſa una cum rima externa amplior eſſe, ut fœtus in exteriori parte facilius exiret, cum cutis non ita dilatari poſſit, uti membranoſa, quæ intus eſt, ſubſtantia, vel ſecundum verba Johannis Palfyn *l. a. p.* 6. L'office de la grande rime eſt, de porter en façon d'un canal le membre viril comme dans une foſſe, & de donner ſortie à l'urine, & aux impuretez de la matrice, de ſervir à l'excluſion de l'enfant, laiſſant pour cet effet un chemin toûjours ouvert. *Rimæ uſus.*

§. 4.

Statuunt vero nonnulli, dari certa ſigna externa, ex quibus de vulvæ magnitudine judicari poſſit, quorum primarium ab ore ſeu labiis feminarum deſumi ſolet juxta notum verſum: *Vulvæ magnitudinis ſigna.*

Noſcitur ex labiis, quantum ſit virginis antrum:
Noſcitur ex naſo, quanta ſit haſta viri.

Quod cum aliis ſignis ſe per longam experientiam obſervaſſe ſcribit Adrianus Spigelius *Anatom. Lib.* 1. *cap.* 10. cujus verba ita Gallice reddidit Jean Palfyn *l. a. p.* 6. On preſume le plus ſouvent de la proportion de la vulve par celle de la bouche: car celles, qui ont la bouche & les ieux grands, ont auſſi la vulve grande; & j'ay obſervé par une longue experience, que toutes celles, qui ſont groſſes & graſſes, qui ont des groſſes

mammelles, & le ventre large, ont aussi la vulve grande. Tout au contraire, celles qui ont les mammelles applaties ou petites, qui ont aussi une petite bouche, le menton pointu, & les levres petites, ont la vulve petite & étroite. Ipsius autem Spigelii verba ita sonant: Pudendi muliebris proportionem plerumque ab ore licet desumere. Quibus enim os & oculi magni sunt, iis quoque amplum est pudendum; observatumque est a me multiplici experientia, omnibus crassis & pingvibus, mammasque & ventrem amplum habentibus, amplas quoque esse vulvas. Contra quibus mammæ depressæ aut parvæ, os quoque parvum; mentumque acutum, & labia parva sunt, strictam esse & angustiorem vulvam. Et Johannes Sigismundus Elsholzius *Anthropometr. cap. 27. p. 266.* inquit: Non ignorandum, arvum genitale in feminis, præter nasum, frequentissime ab ore ipso commonstrari, cujus labra nescio quid simile ad naturæ alas præ se ferunt. Eadem fere verba etiam apud Ludovicum Septalium *de Nævis* §. 26. *p. m.* 18. leguntur.

§. 5.

Vulva marsupio tecta. Varia sæpissime circa vulvam occurrunt præternaturalia, v. g. de vulva marsupio quasi carnoso contecta sequentem observationem recenset Christianus Franciscus Paullini *M. N. C. Dec. II. An.* 5. *App. p.* 12. Honesta virgo pudendum equidem habebat naturaliter conformatum, sed a membrana carnosa & undiquaque rugosa firmiter ei annata, una cum crinibus totum contectum, & quasi marsupio seu sacculo, obvolutum. Id pro lubitu, & citra molestiam, amplissime dilatare, iterumque sufflaminato halitu constringere & retrahere poterat. Quod tam arcte constrictum ne guttulam exsudantem emisit. Sola mater præmature defuncta una cum obstetrice, etiam e vivis sublata, noverat, nec ipsi quidem patri, ut sancte fassus est, innotuerat unquam. Nupsit tandem viro, qui in copula conjugali rem insolitam cum stupore animadvertens fusius exponit socero. Hic autem, se omnino nescivisse, constanter asseruit,

ſeruit, enixe rogans generum, ne divulgaret. Tacuit, donec poſt exceſſum optimæ conjugis, Cortnummio aliquando recenſeret, addens: eam nihil difficultatis, nihil moleſtiæ, nihil etiam periculi, vel in partu vel extra eum, ſenſiſſe unquam, venuſtiſſimæ prolis fœcundam matrem &c.

§. 6.

Similem fere hiſtoriam de vulva monſtroſa, triſtioris tamen fati, annotavit Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent.* 5. *Hiſt.* 9.*p.*14.*ſeqq.* Uxor nimirum mercatoris Bergenſis triginta ſex annorum primo poſt celebratas nuptias anno, qui erat 1652. abortum patitur, & ſequenti 1653. fœtum mortuum edit. Anno 1655. tertium imprægnata, eodem infelici ſucceſſu in lucem edit infantem mortuum, fereque putridum, debita tamen lochiorum purgatione ſequente. Anno 1657. quartum gravida eadem difficultate parique miſeria infantem enixa eſt mortuum, capite compreſſo & putredine in vertice infantis apparente, unde ſummus fœtor aſſidentium nares feriebat. Lochia rite fluxere, ſed ſecunda poſt partum die in febrem incidit, moriturque. Poſt mortem obſtetrix Medico monſtrat cadaver monſtroſa partium genitalium conformatione ſtupendum, cujus figuram dicto Bartholini loco expreſſam reperies. Nempe ex vulva membrana carnoſa, vulvæ labiis interne undiquaque adnata, imo pudendo muliebri circumcirca ita connexa, ut inſtar marſupii propenderet. Foramen in principio conſpiciebatur amplius. In congreſſu, ne marito monſtroſa pars innoteſceret, duobus digitis mulier intrudebat ſine moleſtia ulla, ad corporis autem vehementiorem commotionem, aut frequentem deambulationem, longius extra prominebat. Inſtante partu ab obſtetrice interioribus vulvæ parietibus tam apte affigebatur, ut ne minimum in fœtus egreſſione impedimentum objiceret; foramen enim hujus marſupii, poſt intruſionem oſſi pubis aſſociatum, tam concinne dividebatur, ut duabus obſtetricis manibus ſatis amplum relinqueret ſpacium. Non eſſe ute-

Vulva monſtroſa.

ri prolapſum, crebri conceptus teſtantur. Virgini cuidam trium & viginti annorum, optime ſanæ & vegetæ, loco vulvæ & ani foramen, os piſcis hians referens, & lanugine circumcirca condecoratum, duos transverſos digitos infra umbilicum, a natura fuit formatum, ex quo non ſolum urina, excrementa alvi & menſes ſtato tempore excernebantur, ſed & laſcivis intervenientibus cogitationibus humor ſeroſus, ſemini analogus, cum pruritu effluebat, &, quod mirandum, ſuperior oris particula tunc temporis clitoridis in modum erigebatur, & erecta ad libidinem ſtimulabat; hinc miſerrima hæc nympha anxie conſortium virorum quidem affectabat, aſt ob fœtorem involuntariæ mictionis & excrementorum intolerabilem, illos fugere cogebatur, juxta obſervationem Ambroſii Stegmanni *M. N.C.Dec.III. An.* 4. *Obſ.* 112. *pag.* 233. *ſeq.*

§. 7.

Vulva ſine utero.

Vulvam ſine utero ſe reperiſſe inquit Realdus Columbus *de Re anatomica Lib.* 15. *p. m.* 495. Femina ſcilicet erat, cujus vulva ab aliarum feminarum vulvis nihil peculiare & diverſum habebat: & matricis colli portio prominebat vel matricis collo ſimile: Matrix autem nulla aderat in abdomine, neque vaſa ſeminaria, neque teſtes; & quoties cum viro coibat, (coibat autem ſæpe) mirandum in modum conquerebatur. De membro muliebri alio translato *vid. M.N. C. Dec. II. An.* 8. *Obſ.* 113. *p.* 249.

§. 8.

Tuberculum in vulva.

De tuberculo in vulva ſequentem obſervationem communicat Chriſtianus Franciſcus Paullini *M. N. C. Dec. III. An.* 1. *Obſ.* 144. *p.* 239. Illuſtriſſima femina per totum fere annum halitum fœtidisſimum, ſibique & omnibus vix tolerabilem, de ſe ſpirarat. Cauſam haud inveſtigare poterant Medici. Tandem obſtetrix, multæ experientiæ, auxilium ſpopondit. Animadverterat enim illa viſu, tactu & olfactu mali iſtius ſedem, ſeu tuberculum argillaceum in vulva. Altero die, vocatis Medicis,

rem

rem integram exponit Illustrissimæ. Ipsa vero obstetrix tuberculum istud feliciter abscidit. Superabat aliquantulum magnitudinem nucis, cum cute sua crassiori. Dissectum postea a Medicis flavam, putridam & fluidam eructavit materiam, tam abominandi fœtoris, ut nemo sine summo totius naturæ horrore eum perferre potuerit. Princeps autem abs omni malo redemta feliciter. Tumorem in vulva virginis octodecim annorum, capitis magnitudine, atque cum vulvæ labiis undique cohærentem, observavit Johannes de Muralto *M. N. C. Dec. II. An.* 3. *Obs.* 151. *pag.* 296. De struma vulvæ sequentia refert Chr. Franciscus Paullini: Femina honesta a primo puerperio supra pubem dolores quosdam, primo obtusos, per intervalla senserat, quos vero illius negligentia fecit graviores. Enata tandem ibidem grandis struma, a qua nihil molestiæ, nihil etiam doloris sensit unquam, nisi instantibus, & quando maritum ad complexus conjugales vel invitabat, vel admittebat, uti a sorore ejus post obitum demum sub rosa se intellexisse addit Paullini *M. N. C. Dec. II. An.* 6. *App. p.* 10. Plura vid. apud Joh. Schenck. *Obs. Lib.* 4. *f.* 544. *An.* 6. *App. p.* 10. *Struma.*

§. 9.

Varia quandoque ex infortunio vulvæ intruduntur, e. g. de palo hæc refert Michael Bernhardus Valentini *Chirurg. med. Sect.* 3. *cap.* 9. *p.* 397. Ancilla tempore nocturno e loco quodam publico ligna pro foco accendendo allatura, desuper se demittens, incidit in palum seu fissuram ligni, quæ in genitalia adeo profunde intrusa erat, ut vix ingenti vi extrahi potuerit. Sequitur hinc hæmorrhagia immanis, quæ tamen sistebatur, ipsaque ancilla paulo post restituebatur. *Palus vulvæ intrusus.*

§. 10.

Anno 1704. die 1. Septembris nosocomium magnum ad S. Franciscum Patavii femina quædam accessit, Maria dicta, triginta septem annorum, referens, circa finem præteriti mensis Maji seipsam in muliebre pudendum fusum, qualis in filis canabi- *Fusus.*

nabinis ducendis rusticæ uti solent, immisisse, manu vero elapsum tam profunde introcessisse, ut retrahere illum non valuerit; sed post triduum, postquam interea temporis nullum incommodum inde perpessa fuisset, in nate sinistra, trium digitorum distantia ab ano, tuberculum ipsi enatum fuisse, eoque inter eundum disrupto, apicem fusi se conspiciendum exhibuisse, unde ipsamet mox extrahere illum studuit; quod cum impossibile ipsi esset, re cum matre deliberata, hæc magna cum violentia & multo subsequente sangvine fusum extraxit. Quo facto Chirurgum accessit, qui eandem spatio viginti dierum sanavit, juxta verba Philippi Masieri *vid. Ephemer. Acad. Nat. Cur. Cent. III. & IV. Obs. 36. p. 85.* ubi, quid dictus Autor de hujus relatione judicet, Benevolus Lector reperiet.

§. 11.

Ignis ex vulva.

Ignem ex osculo & pudendo mulieris ejectum fuisse, apud Petrum Borellum *Histor. med. Cent. 2. Obs. 69. p. 169.* legere licet, ubi etiam, Baconem ventrale mulieris scintillans vidisse, addit. In Thuringia ex utero mulieris cujusdam, difficili partu laborantis, tam ingentem cum fragore flammam, surrexisse, ut videretur bellicum tormentum excussum, atque pueri nates & obstetricis manus una opera ambustas esse, ex Cornelio Gemma refert Thomas Bartholinus *de Luce Homin. cap. 18. p. m. 158.* qui etiam *pag. 156. seq.* locum Julii Obsequentis de Pompeji Elvii, Equitis Romani, filia, e cujus locis inferioribus, secundum Johannem Rhodium, ignis emicuit, explicat. Non solum autem in sexu femineo, sed etiam masculino, idem evenisse narratur. Inquit enim Johannes Benedictus Sinibaldus *Geneantrop. Lib. IV. Tr. 2. cap. 3. pag. 457.* se audivisse interdum salaces quosdam juvenes œstro libidinis percitos, qui dixerint, e suis pudendis fervidum pnevma quasi flammam emicasse.

§. 12.

Vulva duplex.

In monstris quandoque duplicem naturam seu vulvam reperiri annotarunt Autores. Puellæ enim bicipitis duplici vulva

natæ

natæ ex Julio Obſequente meminit Caſparus a Reies *Elyſ. jucund. Quæſt. Camp. Qu.* 48. *n.* 2. *p.* 591. vid. Jul. Obſeqv. *de Prodig. cap. III. p.* 103. Ejusmodi partus monſtroſi meminit etiam Licetus juxta verſionem Gallicam *Lib.* 2. *cap.* 10. *p. m.* 85. *ſeq.* Berne vid naitre en ſon ſein une petite fille, qui n'avoit à la verité qu'un teſte, mais deux parties poſterieures de corps, & autant de parties honteuſes. Et alium infantem quatuor manibus pedibusque totidem, capite & ventre uno, binoque membro femineo natum, ex Jacobo Rueff *de mulier. Lib.* 5. *cap.* 3. allegat Paulus Zacchias *Quæſt. med. legal. Lib.* 7. *Tit.* 1. *Qv.* 8. *n.* 34. *fol. m.* 600. Attamen præter aliam monſtroſitatem mulierem quandam duplici natura fuiſſe inventam ibidem refert Zacchias. Puellæ duas vulvas habentis, unam alteri ſubjectam, meminit Petrus Borellus *Cent.* 2. *Obſ.* 83. *p.* 181. Duplicem vaginam duplici orificio patentem mulierem Hafnienſem habuiſſe refert Thomas Bartholinus *Anatom. Lib.* 1. *cap.* 30. *p.* 281. De muliere duplici natura vid. Jul. Obſeqv. *de Prodigiis cap.* 113. *p.* 107. In femina maxime laſciva vulvam duplicatam invenit etiam Ambroſius Stegmannus *M. N. C. Dec. III. An.* 7. *&* 8. *Obſ.* 35. *p.* 57. Scilicet in Coriana quadam, clitoridem perforatam habente 1) clitoris monſtroſa ſua excreſcentia & magnitudine non ſolum in utrisque lateribus craſſiores efficiebat nymphas, ſed & longitudine & craſſitie ſua ovum columbinum ferme ſuperante meatum urinarium tegebat. 2) Loco meatus urinarii, in ſtatu naturali crasſitiem alias calami ſcriptorii obtinentis, fiſſura deprehendebatur, quæ latitudine duos, & longitudine quatuor transverſos digitos præter propter æquabat. In hujus fiſſuræ orificio meatus urinarius naturali craſſitie præditus conſpiciebatur; & ſub hac fisſura vera uteri vagina loco & partibus ſuis legitimis dotata deprehendebatur. Sic Anel Chirurgus Gallus pudendum mulieris annos natæ triginta obſervavit duplicatum, quorum unum ad naturalem ſitum poſitum erat, & huic transverſalis digiti interjecto ſpatio ſuperincumbebat rima alia, quæ ad vaginam

ean-

eandem rimæ inferioris hiabat; fassa autem ultro erat ipsa mulier, per utramque rimam virum adjunxisse, *vid. Ephemerid. Acad. N. C. An. 9. Obs. 75. p. 169.* Si proinde mulier vulva unica prædita insatiabilis dicitur, quid de his mulierculis, duabus vulvis lascivientibus, dicetur? quærit ibidem Antonius Vallisnerius. *in Lacertis.* Lacertæ duplici vulva donantur intercedente interstitio disjuncta, cui duplex uterus respondet, uti observavit Johannes Jacobus Harderus *Apiar. Obs. 21. p. m. 87.* *in Cancris.* Et cancros fluviatiles, & paguros seu cancros marinos, feminas, duas habere vulvas, monstrat Lucas Antonius Portius *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obs. 19. p. 54.* *in Rajis.* Rajas duo foramina vulvæ habere ex Hier. Cardano refert Paulus Zacchias *Quæst. Med. legal. Lib. VII. Tit. I. Quæst. 8. fol. 600.* de caniculæ piscis vulva bifida v. Mus. Calceolarian. *Sect. I. fol. 66.*

§. 13.

Per vulvam vaticinium. Per pudenda olim feminas fuisse vaticinatas, de Pythia, sacerdote Apollinis, notum est, idque à Chrysostomo asseri, scribit Johannes Jonstonus *Thaumatogr. natur. Class. 10. cap. 5. Art. 3. p. 467.* Et ex Cælio Rhodigino Joannes Bodinus *de Magor. Dæmonom. Lib. 2. cap. 3. p. m. 142.* mentionem facit puellæ, cujus in corpore spiritus fuit Pythonicus, res præsentes & occultas vere per pudenda responsans & de futuris persæpe mentiens. Ipsius autem Ludovici Cælii Rhodigini verba *Lection. antiqv. Lib. 8. cap. 10. fol. 295.* ita sonant: Philochorus de vaticiniis mulieres vocat ἐγγαστριμύθους. Id ne quis fabulosum risu excipiendum putet, testatum volumus, tempestate hac, immo vero hæc prodente me, fuisse in patria mea mulierculam humili loco, Jacobam nomine, ex cujus ventre immundi spiritus vocem, prætenuem quidem, sed tamen, ubi vellet, dearticulatam & prorsus intelligibilem, audivi ipse, verum & innumeri alii, non Rhodigii modo, sed & tota fere Italia. Quando futuri avida potentum mens sæpe accersitam ventriloquam, ac omni exutam amictu, ne quid fraudis occultæ lateret, inspectare ac audire concupivit.

vit. Cincinnatulus dæmoni nomen erat. Hac ille appellatione gestiens inclamanti subinde respondebat. Si de præteritis aut præsentibus scitareris, quæ reconditissima forent, responsa dabat sæpe mirifica. Si de futuris, semper mendacissimus. Sed & inscitiam suam nonnunquam murmure incerto vel bombo verius ignorabili retegebat. De hoc γαστριμαντείας genere ita scribit Johannes Wierus *lib. 2. de magis infamib. cap.* 14. *Oper. p. m.* 140. qui hoc divinationis genere obsidentur, Ventriloquos ab Augustino, ab Aristophane ἐγγαστριμύθους appellari diximus: nec aliter prolata fuisse vaticinia tum Pythonicorum, quorum in Sacris Literis fit mentio, tum Pythiarum apud Delphos. In mulieribus enim sonus horum vaticiniorum ex genitalibus edebatur & audiebatur. Nec enim alia via ex Pythiis Delphicis dæmon pronunciare solitus fuit, quam diductis feminibus per ingven. Quin & Tertullianus affirmat, se ventriloquas vidisse feminas, e quarum pudendis vocula quædam, dum sedebant, excitabatur, respondebatque sciscitantibus. Ejusmodi mulierem Andronico Imperatori, ex Imperatoribus Græcis, excidium suum & interitum prædixisse refert Christophorus Crusius *de Tortur. Part. II. cap.* 22. *§.* 42. *fol.* 93.

§. 14.

Varia adhuc circa vulvam annectenda occurrunt, v. g. pruritus vulvæ a variis causis, & quidem primario a seri vel urinæ circa hanc partem stagnantis acrimonia, uti in mercatoris filia sexenni observavit Johannes Schmidius; hæc scilicet puella manibus pudenda continuo fricabat, atque ob rei turpitudinem a parentibus sæpius corripiebatur &c. vid. *M. N. C. Dec. I. An.* 4. *&* 5. *Obs.* 157. *p.* 199. *vid. etiam Obs.* 47. *p.* 42. *it. An.* 3. *Obs.* 24. *p.* 198. Fatigaverat quandam illustris prosapiæ feminam aliquot annis, postquam Lue venerea a marito infecta fuisset, pruritus circa muliebria, tandem & in ipsis pudendi penetralibus admodum molestus; qui sub solstitium brumale recrudescens per integram hyemem indignis modis ægram exercuit, atque ad æqui- *Vulvæ pruritus.*

H noctium

noctium vernum intolerabili cruciatu affecit; solo autem topico ex aqua clara & ponderosa & pulvere candido, in fundo vasis residente, ferociam hujus pruritus compescuit Empiricus quidam, accepto quingentorum Imperialium sostro, juxta verba Baldassaris Timæi a Güldenklee *Lib. 6. Cas.* 17. *p. m.* 277. Quædam virgo duodecim annorum furore uterino aliquali laborans, valde pruriensque continuo manibus genitalia scalpebat, teste Ambrosio Stegmanno *M. N. C. Dec. III. An.* 1. *Obs.* 13. *p.* 29. *seq.* In puella octenni, elegantis formæ, & præclarorum parentum filiola, partium genitalium seu vulvæ pruritum, qui alias in ejusmodi puellis rarum symptoma est, hic vero per annum fere duravit, & præsertim circa vesperam & noctu exacerbabatur, observavit & curavit Simon Scholtzius, *vid. M. N. C. Dec. I. An.* 4. *&* 5. *Obs.* 47. *p.* 42. Mulier quædam vulvæ pruritu adeo divexata, ut per prurientem genitalium uredinem aspersa & asperius affricta parti favilla restingvere necesse haberet, Ambrosium Paræum consuluit, qui eam ungvento Ægyptiaco curavit. vid. Paræi *Op. Lib.* 23. *cap.* 64. *fol.* 538. Uteri ingenti pruritu per sexennium vexabatur femina, septem supra triginta annos nata, cum fœda pollutione seu seminalis eruptione, juxta Jo. Manard. *Epist. Med. Lib.* 13. *Epist.* 5. *fol. m.* 296. In sexagenariæ uteri pruritu diuturno & fere incurabili in utroque femore in parte domestica digitis infra uterum cauteria cum euphoria imposuit Zacutus Lusitanus. *vid. Prax. Med. admirab. Lib. II. cap.* 92. *f.* 64. Vetula septuagenaria salacissima, labiorum ac colli uteri pruritu intolerabili laborans, ingente viventium ascaridum turma excreta a pruritu liberabatur, teste Nicolao Guilielmo Beckers *M. N. C. Dec. I. A.* 8. *Obs.* 75. *p.* 121. Pruritum vulvæ pertinacem, & quatuor annos durantem, in muliere triginta octo annorum, & quidem ad dextram vulvæ partem & adeo sævum, ut scalpenti non cederet, atque femina manibus partem scalpendo dilaniaret, observavit Rodericus à Fonseca *Consult. Med. Tom. II. Consult.* 68. *p.* 388. Mulier tenuis fortunæ, lacticiniis aliisque cibis crudioribus

bus adſveta, per tres annos incredibilem ſentiebat pruritum & fervorem circa genitalia ſubſequo dolore rodente & igneo quaſi ac urente, per aliquot dies continuante: tandem per muliebria ingenti aſcaridum, caſei vermiculos imprimis apprime referentium, copia excluſa, dolor quidem & pruritus aliquatenus remittebant, omnis tamen moleſtia non auferebatur &c. juxta obſervationem Benjamin Scharffii *M. N. C. Dec. I. An.* 9. & 10. *Obſ.* 7. *p.* 44. Femina quinquagenaria, nupta, ſed ἄπαις, vaſto obeſoque corpore de incredibili vulvæ prurigine diu noctuque à quatuordecim annis moleſta conquerebatur. Nullum iis locis exanthematis aut peregrini coloris veſtigium; & vero vaginæ magis primordia, quam ingvina hortumque piloſum infeſtare prurigo videbatur &c. vid. Joh. Nicol. Pechlin. *Obſ. Lib.* 1. *Obſ.* 28. *p.* 56.

§. 15.

Vulvæ inflammationem atque abſceſſum a lapſu annotavit Johannes de Muralto in ruſtica quadam, viginti tres annos nata, & jam ſeptimo menſe gravida, quæ præceps per ſcalas & ex alto lapſa vulvam magno cum dolore vulneravit. Mox ſecutus eſt tumor & inflammatio, denique abſceſſus; quo pertuſo pus effluxit. Tandem ulcere, more aliorum ulcerum, curato prægnans conſveto tempore partum feliciter enixa eſt. In puerperio ſitis afflixit, & vulva iterum intumuit &c. *vid. M. N. C. Dec. II. An.* 1. *Obſ.* 108. *p.* 261. Mulier quædam xenodochialis, anno ætatis ſeptuageſimo tertio, cum ante ſeptem & viginti annos poſt laborioſum partum ponderoſam calcis molem, marito ſuo alutario adjuvante, in officinam portaret, ex improviſo uteri prolapſum paſſa eſt; ad quod malum corrigendum magnum globum cereum, ſex uncias cum duabus drachmis pendentem, per novennium in vagina uteri geſtavit, ſicque uteri exitum coercuit: Cum autem hic globus ob ponderis gravitatem moleſtiam pareret, patiens alium ex cupro rotundum, uncias duas pendentem, confici curavit, quem ſatis magnum impetuoſe in

Vulvæ inflammatio.

vulvam intrusit, & octodecim annos in vagina uteri gestavit: Postquam autem globus hic ab urinæ acrimonia exesus & corruptus erat, ob calcanthosam & æruginosam suam acredinem, claustrum muliebre in tantum læsit, erosit & exulceravit, ut multa sanies ac materia purulenta affatim cum magno fœtore, non sine dolore ac molestia, quotidie prodiret, quem fœtorem, dolorem, sordidumque saniei profluvium dicta femina diutius tolerare non poterat, teste Eberhardo Gockelio *ibid. An.* 5. *Obs.* 54. *p.* 103. Uxor cujusdam pistoris Amstelodamensis ob partum difficilem incidit in vulvæ intestinique recti gangrænam adeo enormem, ut multi existimarent afflictam brevi e vivis excessuram, sanitati tamen restituta fuit. vid. Frider. Ruysch. *Obs.* 59. *p. m.* 76.

§. 16.

Fungus vulvæ.

Fungos quandoque in vulva enasci, cautaque per Chirurgum excisione opus habere, docet Nicolaus Tulpius *Obs. Lib.* 3. *cap.* 33. *p. m.* 249. Matrona pia, inquiens, ac verecunda, lacessita aliquandiu ab immodico menstruorum profluvio, incidit tandem in urgentem urinæ difficultatem; & ex illa quasi in vera partus conamina; a quibus licet nihil expelleretur solidi, dilatabatur tamen inde usque eo angustum vulvæ os, ut obstetrix in auxilium vocata potuerit illic sentire fungum vulvæ tam firmiter, basi sua adnatum, ut nulla vi inde dimoveretur. Qua propterea desperata, itum fuit ad Chirurgum, qui explorata convenienter tumoris natura scalpellum in sinum pudoris dimisit, atque fungum hunc uteri magnitudine sua ovum gallinaceum æquantem feliciter excidit. Aliud exemplum idem Autor *l. a. cap.* 34. *p.* 251. adducit. Ut de aliis vulvæ excrescentiis, cristis, condylomatibus in praxi & apud Autores occurrentibus nil dicam.

§. 17.

Per vulvam excrementa.

Per vulvam non modo fœtum, sed etiam lochia, menses, urinam & alias uteri impuritates prodire, supra diximus; præter

ter naturam etiam quandoque fæces inteſtinales per eandem viam excerni obſervamus, & quidem modo in infantibus, quibus inteſtinum rectum, ano a nativitate clauſo, in vulvam inſeritur; modo etiam in adultis, quibus interſtitium ſeu paries inter vulvam & inteſtinum rectum a variis cauſis eroditur vel dilaceratur, ita ut urina ſimul per poſteriorem, & excrementa alvina quoque per anteriorem partem egerantur. Quæ ut exemplis probemus, ſequentes obſervationes allegare liceat. In puella ſemeſtri, ano imperforato nata, officium ani natura labiis pudendi crediderat, eo enim loco, ubi ſecundum naturam labiorum ambitus ſubtus vagina coit, orificium inteſtini recti deliteſcebat, per quod fæces alvinæ egredi deprehendebantur, teſte Philippo Jacobo Hartmanno *M. N. C. Dec. II. An.* 10. *Obſ.* 159. *p.* 249. *ſeq.* Puella Torgenſis, ſartoris filia, novem ſeptimanarum, gutturis inferioris expers, omnia excrementa per vulvam excrevit, de qua vid. Dan. Sennert. *Pract. med. Lib. IV. Part.* 1. *Sect.* 1. *cap.* 1. *p. m.* 7. Wittebergæ mulier, δυςοκίᾳ graviter decumbens, tandem infantem mortuum peperit, e cujus abdomine aperto uterus & inteſtinum rectum naturali nexu in unum coivit, ut ex inteſtino in uterum, & ex hoc in illud via ſatis ampla conſpicienda fuerit. *vid. M. N. C. Dec. I. An.* 1. *Obſ.* 108. *p.* 250. Puellam clauſo ani meatu natam, atque octavo quoque die, & quidem usque ad decimum ſextum ætatis annum, recrementa ex naturalibus dejicientem, ſe vidiſſe ſcribit Antonius Benivenius *Obſ.* 86. *p. m.* 255. De puella cum ano imperforato nata, cui inteſtinum in pudendum deſinebat, per quod fæces nunquam non excernebat, vid. Ephemer. Academ. *N. C. Cent. V. & VI. Obſ.* 56. *Schol. p.* 88. Puella octo circiter ſeptimanarum, cui natura ani loco maculam tantum in carne dura, tanquam vulneris ſanati veſtigium, delinearat, excrementa per vulvam emittebat, & ita quidem, ut Zacharias Fürſt, cum, diducta nonnihil vulva abſterſisque excrementis, naturæ iſtuc aberrantis compendium accuratius perluſtraret, ipſe adverteret, incurvato flexu inteſtinum

in infantibus.

rectum suum in vulvæ parte inferiore sortitum esse exitum, per quem molestam semper fæcum sarcinam expellendo deponeret. *vid. M. N. C. Dec. II. An.* 3. *Obs.* 112. *p.* 225. Bina ejusmodi exempla, alterum in puella rustica, alterum in nobili, observare licuit, de quibus *in Chylolog. cap.* 9. §. 36. *p.* 668. prolixius egi.

§. 18.

In adultis.

In adultis vero talis vitiosa excrementorum per vulvam rejectio non tam frequenter ab ani clausura & vitiosa intestini recti insertione, quam ab aliis causis dependet, quales sunt utplurimum erosio & exulceratio, vel etiam dilaceratio intestini recti; quandoque enim in partu difficili ab imperitis obstetricibus interstitium dictum ungvibus vel alio modo dilaceratur, uti Haffniæ cuidam puerperæ accidisse scribit Thomas Bartholinus *Histor. anat. Cent. II. Hist.* 63. *p. m.* 248. scilicet puerpera advocaverat obstetricem non satis exercitatam in his sacris, quæ in difficultate partus constitutam misere dilaceravit. Fœtum enim extrahere aggressa, linteamine caput strinxit, ut vi ex angustiis maternis eliceret; successit quidem rudior operatio, sed sive ungvibus, sive fœtus calcitratione, perruptus fuit communis paries inter uteri vaginam & rectum intestinum. Hinc non solum fæces alvi per vulvam prodiere, sed & lotium præter voluntatem: Sex hebdomadibus hæc via excrementis patuit, quam natura ipsa solidavit, & ad anum suas remisit sordes, lotio tamen adhuc, ob sphincterem vesicæ læsum, non cogitanti exstillante. Ejusmodi foraminis ad pollicis crassitiem, per quod flatus & excrementa ex vagina uteri ad vulvam proruerunt, meminit etiam Christophorus Voelterus *Schol. Obstetr. Part. II. cap.* 7. *Obs.* 3. *p. m.* 190. Ob partum difficilem uxor cujusdam pistoris Amstelodamensis in vulvæ & intestini gangrænam tam enormem incidit, ut brevi e vivis excessura videretur. Post gangrænæ separationem foramen vulvæ repertum fuit tantum esse, ut facillime nux juglans, viridi cortice obducta, per illud ad intestini recti cavitatem inseri potuisset: unde fæcibus alvinis dabatur

a) partu difficili.

batur locus, ut ex inteſtino recto ad vulvam nullo negotio tranſirent, juxta Fred. Ruyſch. *Obſ.* 59. *p. m.* 76. *ſeq.* Aliud rarum exemplum in femina, cui poſt partum difficilem inteſtina per uteri cervicem, ulnæ unius & ultra longitudine, propendebant, ex quibus reſciſſis fæces cum urina per vulvam prodibant, vid. apud Joh. Rudolph. Salzmannum *Obſerv. anat. p.* 16.

§. 19.

In mercatoris filia ſexenni dyſenterica poſt applicationem enematis non tantum liquor injectus per pudenda rurſus effluere, ſed etiam ob eroſum, ſine dubio ab acrimonia, inteſtinum rectum, per alvum excernenda, per genitalia communi facto meatu exire conſpiciebantur, referente Johanne Schmidio, *M. N. C. Dec. I. An.* 3. *Obſ.* 24. *p.* 198. Poſtquam mulier quædam diutino tempore purulenta fœtidaque manifeſtiſſima exulcerati uteri ſigna per pudenda excreverat, poſtremo quoque alvi excrementa per eundem locum demiſit, annotante Antonio Benivenio *Obſ. med. cap.* 11. *Annot. p. m.* 156. Meretrix quædam ex venere præpoſtera ulcus in inteſtino recto, vaginam penetrans, cum excretione ſtercoris per vulvam patiebatur, uti refert Petrus de Marchettis, *Obſ. med. chir. p. m.* 135. *Obſ. poſthum.* 5. ubi curam reperies. Alia uxor utero ac inteſtino recto, a fluxu albo cum lue venerea eroſis, parte anteriore fæces reddidit, poſtica lotium, ordine naturæ inverſo, juxta Joh. Rhod. *Cent. II. Obſ.* 91. *p. m.* 99. Mulier quædam valde cholerica poſt ſuperatam tertianam ad extremam maciem devenerat, & ſemper de intolerabili acrimonia & intenſo urinæ calore ac fæcum alvinarum, quoties emitteret, conquerebatur, ut etiam, ad cohibenda excrementa & præcavendos dolores, omni fere cibo potuque famelica abſtineret. Tandem ſupervenit diarrhœa, quam cum intempeſtive reprimeret, irritata natura omnem impuritatem, κάτω alias eliminandam, magno impetu per pudenda eructavit, ſeu ſcybala alvina per vulvam rejecit. Tertio die deceſſit. Uti ex ore Erneſti Stangii refert Chriſtianus Franciſcus Paullini *M. N. C.*

ab eroſione & exulceratione.

Dec.

Dec. II. An. 7. *Append. p.* 135. Femina quædam Chriſtianſtadienſis diu olidos borborygmos per naturalia reddidit, mater tamen ex eo liberorum duorum, juxta Olai Borrichii obſervationem *Act. Hafn. Vol. III. Obſ.* 40. *p.* 74. *ſeq.* ubi annectit; ſcilicet propter viciniam abſceſſus inteſtini recti nonnunquam ita erodunt veſicam, ut, quod e poſtico amandari foras ſolet, parte antica erumpat &c. Mihi tamen hi borborygmi fœtidi potius a læſione interſtitii inter inteſtinum rectum & vaginam uteri, quam ab eroſione veſicæ, procedere videntur, quia in feminis veſica non immediate inteſtino recto annectitur. Uxor nobilis viri cum per quatuor annos cum lotio & ſtercore ſangvinem emitteret, ac parum de hac re ſollicita eſſet, quia nullum dolorem inde ſentiret, tandem, corroſis ac perforatis inteſtinis, per vulvam ſtercora miſere emittere cœpit, quæ ſic, nullo præſidio conferente, fœde conſpurcata longam vitam duxit ſecundum Amat. Luſitan. *Curat. med. Cent. II. Cur.* 10. *fol. m.* 140. Vidua, ſexaginta quatuor annorum, aliquandiu immenſum fluxum hæmorrhoidalem paſſa, tandem illo areſcente in doloroſam ani incidit exulcerationem cum ipſius inflammatione & intumeſcentia, unde hoc ſe arctius conſtringente fæces parcius per inferius guttur ſeceſſerunt, donec nihil amplius hac via conſveta excerneretur. Tandem exeſo utero & inteſtino recto fæces alvinæ per integrum annum & ultra, cum fœtore moleſtiſſimo feminæque perenni cruciatu, indeſinenter per vulvam excernebantur, juxta obſervationem Georgii Abrahami Mercklini *M. N. C. Dec. III. An.* 7. *&* 8. *Obſ.* 213. *p.* 360. *ſq.* In villica quadam, per aliquot annos fluxum menſium paſſa, demum per ſeſquiannum continuo ex utero ſangvis, deinde per aliquot tempus multum fœtidi puris ſangvine mixti, tandem vero fæces liquidæ per dimidium, ante obitum ejus, annum profluxerunt, nec amplius per ordinariam viam quicquam excrementorum ſeceſſit. Poſt hujus defuncti ſubjecti aperturam Ido Wolfius inter alia inteſtinum colon, quo loco uterum tangere ſolet, ipſi firmiter ad-

natum

natum obſervavit. Per longitudinem diſſectum hoc inteſtinum foramen dedit conſpiciendum, vel tres digitos capiens, quod cum uteri cavitate communicans magnam vim fœtidiſſimi puris & fæcum concluſerat, & excretionis iſtius præternaturalis cauſa fuerat. Inſuper paulo inferius in inteſtino recto ſimile foramen, ſed anguſtius, idem Wolfius obſervavit, cum priori reſpondens &c. v. Ido Wolfii *Obſ. Chirurg. medic. Lib.* 1. *Obſ.* 46. *p.* 146. & 151. *ſeq.* Ante aliquot annos capillamentarii Gallici *Obſervatio.* uxor per aliquod tempus in inteſtino recto inſignem ardorem, atque verſus uterum dolorem gravativum cum diuturna alvi ſuppreſſione paſſa fuerat, cum ipſius mater, meo juſſu, immiſſo in ægrotantis filiæ anum digito, rem altius indagatura, ibidem impedimentum aliquod, tumorem ſcilicet ingentem, totamque inteſtini recti cavitatem ſeu ſpatium adimplentem, ſe offendere diceret. Quapropter ſtatim per Chirurgum, ob metuendam paſſionem iliacam, fomentationes, epithemata & cataplaſmata maturantia, item enemata emollientia, tum vaginæ uterinæ, tum inteſtino recto, quantum fieri poterat, applicari curabam, ſicque poſt aliquot dies disrupto tumore ſeu abſceſſu, factoque in pariete, inter anum & vaginam uteri, magno ſatis foramine, excrementa alvina ſimul per vulvam, atque urina cum fæcibus per anum excernebantur. Paucas tamen poſt ſeptimanas huic feminæ, tunc temporis triginta circiter annos habenti, plenaria ſanitas reſtituebatur.

§. 20.

Diximus circa principium antecedentis paragraphi, fæcum *Ab æni imperforatione.* alvinarum per vulvam excretionem in adultis frequentius ab eroſione, exulceratione ac perforatione inteſtinorum dependere; dantur nihilominus etiam atretæ, quibus inteſtinum rectum, uti paulo ante de quibusdam puellis diximus, non ad locum ordinarium ſeu podicem tendit, ſed in pudendum muliebre inſeritur, & quæ fæces per vulvam excernunt. Quod ſi vero conſideramus, in infantibus tale excernendis fæcibus

 deſti-

destinatum foramen adeo angustum esse, ut in ipsa excretione vix calami scriptorii crassitiem admittat, sicque vix fæcibus infantum mollioribus sufficientem exitum concedat, sane mirandum, ejusmodi angustam viam, licet etiam tempore eandem aliquatenus magis dilatari concedamus, in feminis adultis, quæ facillime fæcum crassitie & induratione laborant, respectu dilatationis intestini recti, pro induratorum excrementorum expulsione sufficienter extendi & ampliari, taliterque constitutas feminas tot annos supervivere posse. Virginem nihilominus honestam Herbornensem, excrementa per muliebria clauso ano excernentem, vitam tunc temporis jam ad viginti aliquot annos produxisse, refert Martinus Johannes Haesbart *M. N. C Dec. II. An.* 10. *Obs.* 75. *p. m.* 132. Et de femina rustica, itidem viginti aliquot annorum, cujus podex ex vitiosa conformatione erat occlusus, intus tamen ad vaginam uterinam desinens, ita ut excrementa alvina per vulvam excerneret, vide Benj. Bened. Petermann. *Obs. med. Dec. II. Obs.* 2. *p. m.* 23. *seq.* Puellam etiam, cui anus imperforatus erat, & intestinum rectum in pudendum desinebat, per quod fæces nunquam non excernebat, vitam ad annos sex & forte ulterius produxisse, ex Minadoo refert Henricus Vollgnadus *M. N. C. Dec. I. An.* 1. *Obs.* 11. *Schol. p. m.* 36.

§. 21.

Vulvæ clausura. Ad historica pertinet, quod de vulvæ occlusione refert Rodericus a Castro *de Natur. Mulier. Lib.* 1. *cap.* 3. *p.* 9. inquiens: Reperiuntur in felici Arabia nationes non procul a Regno Preciosi Johannis, juxta Babel Melec urbem, natione Arabes, secta Mahumetani, apud quas filiolarum vulvæ consuuntur, medio relicto foramine. Et Caspar Bauhinus *Theatr. anatom. Lib.* 1. *cap.* 10. *p.* 137. in margine ex Linscoto scribit: Incolas Pegu puellis infantibus pudenda filo consuere ad usum naturæ duntaxat relicto exiguo foramine. Ex Johanne Riolano idem confirmat Casparus Theophilus Bierlingius *M. N. C. Dec. I. An.* 2. *Obs.* 208. *p.* 310. inquiens: Moris erat apud nigrorum nationem,

quæ

quæ hymeni, utpote fragili labilique ſepimento, minus confiſa validioribus certioribusque præſidiis filiarum virginalia munire aſſolebat. Etenim puellis, ubi primum natæ erant, pudenda conſuebat, ſed ita, ut urinæ liberior meatus non interciperetur.

§. 22.

Loco autem ſuturæ etiam nonnullæ nationes pudenda muliebria fibula claudunt, de qua infibulatione in tractatu de Virginitate Benevolus Lector plura reperiet.

§. 23.

Occluſio in Atretis.

Vulva quandoque a variis cauſis variisque modis obſtipatur, & ita quidem, ut vel tota vulva perfecte occludatur, vel tantum unum vel alterum foramen parvum pro menſium effluxu reperiatur. Sæpe etiam talis occluſio non modo in vulva ſeu labiis, vel etiam in hymene ſic dicto, ſed in ipſa quoque uteri vagina deprehenditur; de qua tamen materia, ſeu de atretis alibi capite peculiari de Conceptione agemus.

§. 24.

Vulva nimis ampla.

Econtra vero nonnullis feminis vel natura & affluxu humorum, vel a frequentiori Veneris exercitio cum onobelis vel bene mutoniatis, vel etiam a partu, vulva eſt nimis ampla, hinc tales perſonæ, inprimis furtivi amoris ſuſpectæ vel conſciæ, pro varia intentione variis medicamentis atque ſophiſticationibus ejusdem coarctationem promovere tentant. Ejusmodi medicamenta apud Practicos plurima reperiuntur, inprimis a Simone Paulli *Quadripart. Botanic. Claſſ. II. p.* 17. pro hoc ſcopo decoctum Alchimillæ virginibus ſuſpectis familiare eſſe ſcribit: Sunt, inquiens, nonnullæ defloratæ pudicitiæ virginum, quæ, ubi jugum paſſæ ſunt, ſolerter norunt decocto Alchimillæ, quod inſeſſus forma uſurpant, ſibi conciliare doloſam ςενοχωρίαν, ac obſignata quaſi natura mentiri illibatam caſtimoniam & florem virginitatis. De auriculis urſi idem Paulli *p.* 26. ex Anonymo hæc allegat: dit ſelve cruydt wort in Italien ghebruyckt van

die jonge dochters, die voor Maghden willen genomen worden, ende ſulcks niet en zyn; Want het heeft een byſter vordrogende ende engmakende Kracht. De radicis conſolidæ majoris virtute adſtrictoria ſequentem hiſtoriam refert Philippus Hoechſtetterus *Obſervat. medicin. Dec. III. Caſ. 5. p. m. 136.* Hoc ſecretum adſtrictorium noverat ruſtica ſerva ſponſa, quæ ante nuptias uſa eſt ſolio aquæ, in qua hæc radix decocta fuit, ut antrum virginale, amico olim Polyphemo pervium, anguſtius arctaret. In quod cum & hera inſediſſet inſcia, maritus jam matrem ſubito virginale clauſtrum recepiſſe miratur, metamorphoſin hanc a balneo proveniſſe ſuſpicans, ſponſam enim arctatorio medicamento forte uſam fuiſſe. Inquirere igitur incipiunt, reperiunt in ſacculo radicem, quam Pharmacopœo oſtendunt, nomen & facultatem audiunt, ſcortum ſponſam eſſe pronunciant, quæ ſponſo pro naturali antro virginali artificioſum arte leonina obtrudere conabatur. &c. vid. etiam Petr. Foreſt. *Obſ. med. Lib. 28. Obſ. 55. Schol. f. m.* 708. * Nicol. Venett. de la Generation *de l'homme Part. 2. chap. 2. p. m.* 102. De hac amplæ vulvæ correctione agemus etiam D. v. in Tract. de Sophiſticatione.

§. 25.

Vulvæ uſus. Denique de vulvæ uſu medico pauca annectere liceat, cumque talis humanæ vulvæ uſus pro hoc ſcopo nondum mihi innotuerit, de brutorum tantum vulvis meminimus, eaſdem tam pro cibo, quam pro medicamentis in uſu nonnullis eſſe. Nam Gvido Pancirollus *Rerum memorabil. Part. prior. Tit. 51. p.* 241. vulvas ſuillas cibis atque deliciis veterum ex Plinii epiſtola annumerat, qui oſtrea & vulvas porcarum appoſitas ait, quæ in magnis habebantur deliciis. Hinc Apicius Cœlius *Tract. de Obſoniis & Condiment. ſive Art. coquinar. Lib. 7. qui Politeles, id eſt, ſumptuoſus appellatur cap.* 1. *p. m.* 183. inprimis de vulvarum ſuillarum ſterilium præparatione agens, inter alia inquit: Vulvam ut toſtam facias, in cantabro involve, & poſtea in muriam mitte, & ſic coque. In quem locum Gabriel Humelbergius *Vulvæ ſuillæ.*

ad nomen Polyteles, ſumptuoſus, ita commentatur: Inſcriptus eſt hoc nomine liber præſens ab impenſarum & obſoniorum, quæ in ipſo traduntur, copia & multitudine expoſita, ſuillo potiſſimum pecore, ut quo ganeæ nullum plus præbuerit materiæ, & cujus condiendæ ſtudioſa ſemper fuerit gula. Scilicet vulvæ ſuillæ quondam miro ſtudio a gulæ proceribus condiebantur, erantque lautiſſimi cibi apud Romanos. Præſtabat autem materna, hoc eſt, ſus gravida, quæ porcaria appellabatur. Nam triplici nomine comprehendebatur, ſcilicet ejectitiæ, porcariæ & virginis ſive ſterilis. Celſus boni ſucci eſſe teſtatur, & inter res ſtomacho idoneas & aptiſſimas numerat, præcipueque ſteriles, hoc eſt de ſue virgine. De qua Martialis *Lib.* 13. *ep.* 56.

Te fortaſſe magis capiet de virgine porca,
Me materna gravi de ſue vulva capit.

Verum vulva ſterilis non in omni ſue virgine grata erat, ſed in caſtrata tantum. Circa hanc vero caſtratarum porcarum vulvam quærit Martinus Liſter, editor hujus Apicii, *p.* 186. ſi vulva recidatur in caſtratione, ad ſterilitatem inducendam, ubi vulvam habebimus? in his itaque uber ſive abdomen, ſumen dictum, pro vulva accipiendum eſt. Circa hæc Liſteri verba monendum, noſtro tempore porcarum caſtrationem non æque per vulvæ reciſionem, ſed potius per utriusque ovarii, facto in ingvinibus foramine, extractionem atque reſectionem fieri, & quidem in porcis non adeo tenellis, ſed ſatis jam adultis, ut hoc modo tota vulva intacta remaneat. Noſtro quoque tempore vulvæ ſuillæ minutim inciſæ farciminibus immiſceri, & quandoque joci cauſa certis perſonis exhiberi ſolent. Ex quo tamen joco, poſt farciminis eſum patefacto, inter amicos non infimæ plebis hactenus fideles odium fere irreconciliabile ortum memini.

§. 26.

Ratione uſus medici a vulva porcina exſpectandi pro certo *in urinæ incontinentia.*

remedio in incontinentia urinæ habetur Valentino Andrea Mœllenbroccio, qui *M. N. C. Dec. I. An.* 2. *Obs.* 21. *pag. m.* 36. ita scribit: Contra urinæ incontinentiam multa ab Autoribus commendantur remedia, e. g. vesica suilla combusta, leporum testiculi, guttur galli tostum & exsiccatum, cineres erinacei combusti, medulla lapidum, pulvis piscium, in ventre lucii piscis repertorum, exsiccatorum &c. sed nullum præstantius & certius non semel inveni pudendo suillo, quocunque modo cocto vel assato, atque a B. D. Johanne Michaelis sæpius comprobato. Ipse autem Michaelis *Prax. Clin. gener. Part. I. libr.* 4. *cap.* 42. *p. m.* 196. pudendum suillum in farcimine comedi posse inquit. Eodem medicamento quoque usus est Samuel Ledelius. Fœtum enim excludebat mortuum mercatoris Grimbergensis uxor, cum partu difficillimo, & tali, qui etiam vesicæ musculos lædebat, ut urina sponte flueret. Post debitam evacuationem corporis & uteri dabat Ledelius pudendum suillum assatum & pulverisatum, cum pauco saccharo dulcoratum, & felix eventus comitabatur consilium datum. Alia femina laborabat incontinentia urinæ per quindecim annos, sed huic nil auxilii erat ab hocce remedio, quia malum erat inveteratum. Rustico, qui etiam per sexennium involuntarie emiserat urinam, ab hoc medicamento aliquid equidem levaminis videbat, sed malum non tollebatur penitus ob eandem forte rationem. *vid. M. N. C. Dec. I. An.* 9. & 10. *Obs.* 150. *p.* 325. Sequentia exempla recenset Jacobus Augustus Hünerwolffius, *ibid. Cent. II. An.* 8. *Obs.* 85. *p.* 148. Vir quinquagenarius mandit vulvam suillam cum parte ventriculi & intestinorum bovis coctam, concisam & cum aceto præparatam, inscius, & urinam continuit. Adolescens octodecim annorum ejusmodi vulvam devoravit in botulo, & opem sensit. Puella sexennis ex galreda consumsit hoc pudendum, & a pudendo malo liberata fuit. Ibidem etiam Poetæ sequentem versum: Nil melius turdo, nil vulva pulchrius ampla. ita explicat: Caro nempe suilla vulvæ contermina esurientibus, ipsum vero os vulvæ lectum mejentibus conducit. Pu-

den-

dendum suillum femininum, quolibet modo coctum, aut præparatum, puellæ octodecim annorum, quæ jam per aliquot annos urinæ incontinentia laboraverat, comedendum Rosinus Lentilius *Miscell. med. pract. Part. I. p.* 196. *seq.* Inquit etiam Fridericus Hoffmannus *Clav. Schrœder. Lib.* 4. *sect.* 1. *p.* 681. Uterum suillum coctum & comestum cum brassica capitata, muria condita, juvare eos, qui urinam continere nequeunt.

§. 27.

Cervæ vulvam contra sterilitatem commendare Johannem Baverium, inquit Johannes Michaelis *l. a. Part. I. L.* 5. *cap.* 34. *p.* 255. *Et p.* 606. *sq.* Decoctum præparat ex vulva cervæ, leporis testibus, vervecis, cum herbis appropriatis, &c. Vulvam seu matricem leporis ad sterilitatem svadet etiam Lævinus Fischerus *Corp. Medic. imper. Lib.* 3. *Tit.* 28. *p.* 628. Vulva leporis, cervæ, scrophæ, testes vervecis & apri, cum appropriatis herbis juxta Phil. Grüling. *Med. pract. Lib.* 4. *Part.* 4. *cap.* 5. *p.* 629. contra sterilitatem primas obtinent partes. Ibidem etiam addit: si recens fuerit vulva, potest fieri decoctum, si exsiccata, infusum vel vinum: Et insuper bina electuaria, quæ pulvis uteri leporini, cervini, atque matricis suillæ ingreditur, communicat. Vid. etiam Christ. Franc. Paullin. *Lycograph. cap.* 3. §. 16. *pag.* 186. *seq.* Idem etiam de *Salv. p.* 328. essentiæ ex utero leporis & cervæ spiritu salviæ extractæ contra sterilitatem meminit. Si leporum vulvæ in cibis sumantur, mares concipi putant, inquit Ludovicus Bonaciolus *de Fœt. format. cap.* 2. *p. m.* 184. De vulvæ leporis ad conceptionem usu Balduinus Ronsseus *de Venat. med. p.* 6. ita canit.

Contra sterilitatem vulva cervæ. Leporis.

Irrita conjugibus veneris certamina si sint,
Et steriles coitus, nec lecti pignora chara
Succedant, leporis frustratim vulva terenda est:
Et postquam solito maduere madore locelli,
Femina virque bibant immersam rore Falerno,
Descendantque citi in veneris certamina læta,
Concipiet, justo & revoluto tempore fœtus
Vagiet exclusus cunis.

§. 28.

§. 28.

felis. De pudendi felini virtute anticolica sequentem observationem annotavit Christianus Franciscus Paullini *Obs. med. phys. Cent. II. Obs.* 11. *p.* 169. *seq.* Industrius artis nostræ cultor, venatoris filius, in Regio Prussorum monte, quamplurimos colicos pulvisculo, vel in aqua veronicæ, seu cum spiritu vini dato, fauste curarat. Rescivi tandem, fuisse pudendum cati sylvestris, mense Majo, luna crescente, exsectum, & a scrupulo uno ad drachmam semis seu integram propinatum.

§. 29.

Quandoque etiam in maribus vulvæ figura hinc apparet, v. g. filioli cujusdam primogeniti penis glans inversa, inque apice, ut naturaliter decet, perforata non erat, sed in regione frænuli per parvulum foramen urina paulisper scaturiebat. In radice penis autem in conspectum se dabat fissura transversa instar vulvæ cum rubicundis labiis, in cujus fundo e duobus orificiis copiosior, quam a glande urina propullabat, annotante Johanne Christiano Bautzmanno *M. N. C. Dec. III. An.* 7. *&* 8. *Obs.* 26. *p.* 49. *seq.* Sic juvenis quidam ætatis annorum duodecim in medio crure, & quidem in parte silvestri vel externa, prope ilii os vulvam sortitus erat, non modo labellis & rima conspicuam, sed etiam pilis obductam, omnibus numeris, quantum ad extra promittebat, absolutam; labiis autem diductis nihil præter subjacentem carnem apparebat, neque ullum pervium foramen conspiciebatur. vid. Paul. Zacch. *Quæst. med. leg. Lib.* 7. *Tit.* 1. *Qu.* 9. *n.* 12. *fol.* 603. In puello hermaphrodito partes viriles in loco naturali, vulvam seu vaginam uterinam in ano casu deprehendebat Christianus Mentzelius juxta *M. N. C. Dec. I. An.* 8. *Obs.* 8. *p.* 8.

§. 30.

Exsectio vulvæ. Ad historica pertinet, quod refert Jean Mocquet in *Itinerario Libr.* 4. *p. m.* 267. Es war der König in Siam gar ein ernsthaffter strenger Mann, darbey ein grausamer Tyranne, so nicht viel wi-

driges

driges erdulden kunte. Denn als derselbige auf eine Zeit, bey seiner annoch glücklichen Regierung, einen andern seiner Nachbarn mit Krieg zu beziehen vorhabens, verschrieb er die Höchsten und Grösten seiner Lande, deren Haupt er selbst seyn wolte. Weil aber etliche zugegen, die, auf Angeben ihrer Weiber, eine ertichtete Unpäßlichkeit an sich nehmen musten, damit sie immerzu zu Hause bey den Ihrigen bleiben möchten; ließ der König dero Frauen vor sich fordern, ihnen, in Gegenwart ihrer Männer, ihre weibliche Schaam abschneiden, selbige denen Männern auf das Vorhaupt hefften, und, nachdem sie durch die Stadt zu einem öffentlichen Schauspiel herum geführet worden, ihnen den Kopf abschlagen; darzuthun und zu erweisen, daß die Männer Männer, und sich von ihren Frauen nicht beherrschen lassen sollten.

§. 31.

Lapidem, qui hysterolithos vocatur, eo quod muliebre pudendum figura exprimit, sibi a Christophoro Goje e Norvegia transmissum esse, refert Olaus Wormius *Musei libr. 2. cap. 13. fol. m. 83.* Et Philippus Jacobus Sachsius in *Dissert. responsor. ad Joh. Dan. Major. de mirand. lapid. natur. p. 62.* inquit: Quidam lapis hysterolithos vocatur, qui pudendum muliebre repræsentat, eadem plane forma, qua moneta illa mirabilis Margarethæ Daniæ, Norwegiæ & Sueciæ reginæ, a me anno 1649. Argentorati in rarioribus monetis refertissimo Antiquario D. Johannis Jacobi Luckii visa, quod reges Norwegiæ & Sueciæ ferro superasset, in opprobrium sexus masculini hanc argenteam monetam, ex parte rotundam, hysterolithon & pudendum muliebre exacte referentem, fabricari curasse, referebatur. ***Hysterolithos.***

SECTIO II.

DE PUDENDI MULIEBRIS PARTIBUS INTERNIS.

CAPUT I.

De Clitoride.

§. 1.

Partes pudendi internæ.

HIs de partibus pudendi muliebris externis, ſeu iis, quæ prima fronte ſine labiorum apertura conſpicuæ ſunt, præmiſſis, ad illas accedimus, quæ diductis labiis, vel divaricatis cruribus, ſub aſpectum veniunt, uti ſunt clitoris, nymphæ, carunculæ myrtiformes, & orificium vaginæ uterinæ, quibus a nonnullis meatus urinarius atque hymen addi ſolent.

§. 2.

Clitoris.

Prima pars ſit nobis clitoris, ſeu illa ſuperior pudendi muliebris interni pars, quæ juxta Philipp. Verheyen *Anat. Tract. II. cap.* 29. *p.* 200. corpuſculum teres & glandiforme eſt, figura & ſubſtantia parvum penem referens. Hanc partem olim veteribus Anatomicis, uti ex Johann. Riolan. *Anthropograph. Lib. II. cap.* 35. *fol. m.* 189. atque veterum Autorum lectione patet, nymphæ nomine cognitam fuiſſe, exinde quoque videmus, quia clitoridis reſectionem ſub nomine nymphotomiæ deſcribunt, de qua paulo infra pluribus agemus; pro evitanda autem confuſione clitoridis appellationem cum recentioribus retinere malumus. Et quia apud Autores clitoris modo in maſculino, modo, & quidem ſæpius, in feminino genere reperitur, eorundem verba uſurpare volui.

§. 3.

Clitoridis inventores.

Hanc partem etiam veteribus fuiſſe incognitam, nonnulli cre-

credunt, hinc ejus inventionem ſibi ipſi adſcribit Realdus Columbus *de re anatom. Lib. II. cap.* 16. *p. m.* 447. *ſeq.* impoſito quoque alio nomine. Ita enim eandem deſcribit: Proceſſus bini, ab utero exorti, prope id foramen, quod os matricis vocatur, extra abdomen exeunt, ſupra pubem aſcendunt, deſinunt autem in particulam quandam excelſam in vulvæ apice circumvolutam, ſupra id foramen, unde lotium exit, & hæc, Lector candidiſſime, illa præcipue ſedes eſt delectationis mulierum, dum venerem exercent, quam non modo, ſi mentula fricabis, ſed vel minimo digito attrectabis, ocius aura ſemen hac atque illac præ voluptate vel illis invitis profluet. Hanc eandem uteri partem, dum venerem appetunt mulieres, & tanquam œſtro percitæ, virum appetunt, ad libidinem concitatæ, ſi attinges, duriuſculam & oblongam redditam eſſe comperies: adeo ut neſcio quam virilis mentulæ ſpeciem præ ſe ferat. Hos igitur proceſſus atque eorundem uſum cum nemo hactenus animadverterit, ſi nomina rebus a me inventis imponere licet, Amor Veneris vel dulcedo appelletur. Non dici poſſet, quantopere admirer, tot præclaros Anatomicos tam pulchram rem, tanta arte effectam, tantæ utilitatis gratia, ne olfecerint quidem. Econtra vero Gabriel Fallopius *in Obſervat. anat. Oper. Tom. I. fol.* 420. clitoridis inventionem præ reliquis Autoribus ſui temporis ſibi vindicat, ſimul tamen concedendo, hanc pudendi partem aliis adhuc vetuſtioribus Anatomicis jamdum innotuiſſe. Ipſius autem verba ſic ſonant: Avicenna 3. *lib. fen.* 21. circa finem meminit cujusdam partis in pudendo muliebri ſitæ, quam Virgam vel albathara vocat. Hanc Albucaſis *Lib.* 2. *cap.* 71. Tentiginem appellat, quæ ſolet aliquando ad tantum incrementum pervenire, ut mulieres hanc habentes coeant cum aliis, veluti ſi viri eſſent. Anatomici vero noſtri penitus neglexerunt, neque verbum quidem de ipſa faciunt. Particula hæc eadem, quam Græci κλητορίδα vocarunt, virili peni reſpondet, & ex duplici nervo conſtat, intus ſpongioſo, atque atriori craſſiorique ſan-

 gvine

gvine referto, ut in viris, totum hoc pudendum, quia parvum est, & latitat in pingviori pubis parte, ideo Anatomicos etiam latuit, atque ita latuit, ut ego primus fuerim, qui superioribus annis idem patefecerim; & si qui alii de hac re locuti sunt, aut scripserunt, scias quod ipsam aut a me, aut a meis auditoribus accepere, neque tamen ob id rem ipsam bene norunt: Quamvis autem, secundum Fallopii ex Avicenna & Albucasi allegata verba clitoris jamdudum ante Columbi tempora Anatomicis fuerit nota, hinc etiam Jean Palfyn *dans la description anatom. de Part. de la Femme Part. I. p. m.* 8. scribat, que Columbus se glorifie mal a propos d'avoir decouvert le premier, puisque Avicenne *l. 3. fen.* 21. *Tr.* 4. *Paul. Æginet. Lib.* 6. *cap.* 70. & plusieurs autres ont parlé de cette partie avant luy; quinam tamen ex his duobus Autoribus, Gabriel Fallopius, an Realdus Columbus clitoridis memoriam ex antiquitate prior eruderaverit, mea quidem sententia, ex ipsorum scriptis erui poterit, siquidem Fallopius allegatas observationes Anatomicas, anno 1562. Parisiis & Venetiis in 8. Columbus vero Tractatum suum de Re anatomica anno 1559. Venetiis in fol. & ita tres ante Fallopium annos ediderit; nisi antiquior istius editio extaret. Item Johannes Riolanus *Opusc. Anat. nov. pag. m.* 477. in descriptione clitoridis reprehendit Johannem Veslingium, quantum, inquiens, ex relatione tua de clitoride conjicere possum, ipsam ex alieno scripto describis, nunquam a te accurate investigatam & demonstratam. Quem tamen Veslingium defendit Dominicus de Marchettis *Anatom. cap.* 7. *p. m.* 78. *seq.* inter alia addens, Veslingium clitoridem melius describere, quam Riolanum.

§. 4.

derivatio. Vocabulum clitoris, Græcis κλειτορὶς, nonnullis Autoribus derivatur ab obscœno verbo κλειτορίζειν, quod secundum Caspari Bauhini *Theatr. anatom. Lib.* 1. *cap.* 40. *p.* 135. est lascivire, vel hac particula lascivius contrectata semen effundere, & juxta Benjam. Hederic. *Lexic. Græc. p.* 1073. myrtum muliebrem contrectare.

Gerar-

Gerardus Blasius in *Vesling. Syntagm. anat. cap. 7. p. m.* 103. Verbum *κλειτορίζειν* explicat lascivius tractare, quo notatur scelestus mulierum contactus, quo se invicem ad voluptatem & seminis ejaculationem instigant, & tales Fricatrices appellantur. Nonnullis, imprimis Lambecio *κλειτορίζειν* per verbum puellitari redditur. v. Joh. Riolan. *Anthropogr. Lib. 2. c. 35. f.* 188. ubi plures denominationes reperies. vid. etiam Isbrand. de Diemerbr. *Anat. Lib. 1. cap. 26. fol. m.* 152. Mihi tamen hoc verbum *κλειτορίζειν* seu *κλετοριάζειν* potius a nomine *κλειτορὶς*, hocque a verbo *κλείω*, claudo, obsero cum Johanne Scapula *Lexic. Græco-Latin. fol. m.* 800. derivandum videtur. Latine etiam quidam Autores clitoridem, columellam, virgam, virgam muliebrem, œstrum veneris, contemptum virorum, maniam, dulcedinem amoris, sedes delectationis, tentiginem, libidinis sedem ac irritamentum, mentulam, uvulam, caudam, symptoma turpitudinis, nonnulli etiam nympham vocant &c. v. Joh. Georg. Simon de *Impot. cap. 2. Th. 2. p.* 22. *Nomina.*

§. 5.

Locus seu situs clitoridis, secundum modo dicta, est in superiori pudendi interni parte super urethra, vel uti Guernerus Rolfincius *de Part. Genital. Part. 2. cap. 42. p.* 193. scribit, sita est clitoris supra & in apice rimæ majoris, qua nymphæ coeunt, ante mentum urinarium. Hinc strepitus, dum excernunt urinam feminæ quædam, præcipue virgines: Urina enim per vias strictiores expulsa fortius ipsi allisa sibilum excitat majorem. Vel juxta verba Caspari Bauhini *l. a.* clitoris processus est parvus, in superiore, anteriore & media pubis parte pingviore, in rimæ majoris apice, ubi nymphæ conveniunt, virili membro respondens situ, substantia, compositione, spirituum repletione & erectione; differens vero ab eo longitudine & canali communi. *Situs.*

§. 6.

In descriptione autem Anatomica virgæ hujus femineæ nonnunquam Autores differunt, siquidem secundum Johan- *descriptio.*

nem Riolan. *Anthropogr. fol.* 88. in clitoride quatuor ſunt ligamenta, duo majora & longiora, ſpongioſa intusque nigricantia, quæ a tubere iſchii prodeunt: alia duo candida brevia, a ſymphyſi oſſium enata, prioribus ſupertecta ſunt. Ab his ſimul unitis clitoridis corpus conflatur. Præterea quatuor obtinet muſculos, ut penis virilis eidemque inſervientes; duo ſuperiores rotundi longioribus ligamentis inſident, & ab eodem loco prodeunt, alii duo inferiores lati & carnoſi a ſphinctere podicis prodeuntes, & pudendi labra perreptantes, ad clitoridem aſcendunt: quin etiam exilia vaſa per clitoridem currentia notantur. Denique, ut nihil deeſſet in iſto pene muliebri, extremum clitoridis in modum balani exornatum eſt, quod tamen non eſt pervium, & pellicula tanquam præputio contegitur. Attamen huic Riolano in tantum contradicit Dominicus de Marchettis *Anatom. c.* 7. *p.* 79. ubi Veslingium contra Riolanum his verbis defendit: Quatuor muſculos Riolanus clitoridi aſſignat, & poſtea corpora ſpongioſa: quod falſum eſt, quia in illa parte non, niſi aliqua caro, non clitoridi, ſed vicinis partibus, unita apparet, quam, ſi ſecare volumus, & in muſculos dividere, totam dilaceramus. Deinde caro, quam muſculos Riolanus appellat, non continuatur clitoridi, ſed vaginæ videtur annexa: unde potius dicamus, eſſe portionem carnoſam in externa parte ipſius vaginæ, quam muſculum clitoridis. Clitoris igitur tria tantum corpora obtinet: duo a lateribus ſpongioſa, e quibus tertium conſtituitur, quod membrum virile dicitur, & dum mulieres vivunt, majorem habent clitoridem, quia maxima copia ſpirituum abundat, dum vero mortuæ ſunt, parvula & exilis eſt: Vena, arteria, nervique ſupra ipſam a partibus vicinis diſſeminantur, ut ſenſum, vitam & nutritionem habeat. Item dicit Gabriel Fallopius *Oper. fol.* 420. Particula virili peni reſpondet, & ex duplici nervo conſtat. Oritur bifurcato principio ab oſſe utroque pubis, atque in utroque principio dicto muſculum ſatis manifeſtum, parvum tamen pro magnitudine

partis

partis habet, vaſa per dorſum currentia adſunt, quemadmodum in virili membro, deſinitque in quoddam extremum, quod ceu glans videtur contenta quadam pelle veluti præputio, quæ pellis jungit pudendi exterioris gemina illa corpora, quæ a Græcis, præcipue a Sorano, πτερυγώματα vocantur. Secundum Coſmopolit. *Hiſtor. natur. cap.* 16. *p.* 426. conſtat clitoris ex duobus corporibus nervoſis, ſepto, glande, vaſis & muſculis; Quæ quidem omnia eandem habent conſtitutionem, originem, progreſſum & ad erectionem uſum, ut in pene virili. In quibusdam tamen ab ipſo differt: Primo magnitudine, hæc enim reſpectu illius perexigua eſt, & vix ad craſſitiem minimi digiti inflari poteſt. Secundo bifurcata ac intra pubis pingvedinem deliteſcentia principia corporum nervoſorum, duplo longiora ſunt, quam portio per ſeptum unita; cum econtra in pene partes unitæ quadruplo longiores ſunt bifurcatis. Tertio clitoris caret urethra, & prominens glans ejus foramine, nam cœcam tantum foveolam habet. Quarto binos tantum muſculos clitoris habet, ab inferiore ſede oſſium pubis enatos, ac in principia corporum nervoſorum inſertos; pudendi tamen labia ſupra glandem clitoridis angulo acuto juncta ei quoddam quaſi præputium efformant. Hæc Coſmopolitæ verba deſumta ſunt ex Franciſci Stockham. *Microcoſmograph. cap.* 7. *p.* 82. *ſeqq.* Corpora dicta nervoſa, quousque notabiliter a ſe invicem diſtant, Anatomicis vocantur crura clitoridis. vid. Philipp. Verheyen *Anat. Tr. II. cap.* 29. *p.* 201. Plura de clitoridis ſtructura, ſubſtantia, figura, muſculis, nervis & vaſis vid. Guern. Rolfinc. *l. a. cap.* 42. *p.* 193. *ſeq.* Petr. Dionis *Anatom. Demonſtr.* 4. *p.* 237. *ſeq.* Regner. de Graaf *de Organ. Mulier. cap.* 3. *p. m.* 178. *ſeq.* Caſp. Bauhin. *Theatr. anat. lib.* 1. *cap.* 40. *p.* 135. *ſeq.* Isbr. de Diemerbr. *Anatom. lib.* 1. *cap.* 26. *f. m.* 152. Thomas Bartholin. *Anat. lib.* 1. *cap.* 34. *p.* 291. Severin. Pinæus *de Virginit. Not. cap.* 4. *p.* 39. *ſeqq.* Paul. Zacch. *Quæſt. med. leg. lib.* 7. *tit.* 1. *quæſt.* 9. *fol.* 603. Joh. Riolan. *Enchirid. anatom. lib.* 2. *cap.* 37. *p.* 183. Philipp. Verheyen. *Anat. Part. II.*

cap.

cap. 29. *p.* 201. *seq.* Francisc. Plazzon. *l. a. p.* 111. Fel. Plater. *de Corp. struct. p.* 160. Joh. Georg. Simon. *de Impotent. cap.* 2. *Th.* 2. *p.* 22.

§. 7.

Clitoris ossea. Ratione substantiæ clitoridis rarissimis observationibus annumerandum, quod de clitoride osseo refert Thomas Bartholinus *Histor. anat. Cent. III. Hist.* 69. *pag. m.* 137. his verbis: Venetiis scortum erat, Italis quibusdam meis amicis satis notum & familiare, cujus clitoris osseus extans amasios in amplexu impediebat lædebatque, ut sæpius inflammatione oborta Chirurgorum imploraverint auxilium, a multis tamen visitabatur ob formæ elegantiam haut cottidianam. Idem Autor *Epist. medic. Cent. III. Epist.* 94. *p.* 407. se Venetiis osseam clitoridem satis prolixam vidisse meminit. Et *Anatom. Lib.* 1. *cap.* 34. *p.* 293. inquit, in hoc scorto Veneto clitoridem fuisse osseam, jam abscissam, ob cujus duritiem membra amantium fuerint inflammata.

§. 8.

Clitoridis magnitudo. Quantitas seu magnitudo hujus partis non modo in infantibus, sed etiam adultis feminis utplurimum est exigua, & instar vulvæ non relaxatæ, hinc etiam columella dicitur; imo in defunctis mulieribus vix emicat propter molem exiguam, quæ concidit dissipatis spiritibus; eandem tamen etiam in cadavere viginti quatuor annorum publice in Theatro anatomico se clarissime demonstrasse refert Isbrandus de Diemerbroc *l. a. f.* 153. econtra in viventibus, cum omnia calore atque spiritibus turgent, præsertim in libidinosis & venerem voluptuose exercentibus manifestius cernitur; sicque juxta Reald. Columb. *Anat. Lib.* 9. *cap.* 15. *p.* 448. hanc partem, dum ad venerem stimulantur mulieres & tanquam œstro percitæ virum appetunt ad libidinem concitatæ, attinges, duriusculam & oblongam redditam esse comperies; adeo ut nescio quam virilis mentulæ speciem præ se ferat; Inquit etiam Guernerus Rolfincius *l. a.* clitoridem manibus lascive tractatam copioso spiritu influente, in libidinosis, una cum circumstantibus aliis, parum erigi.

§. 9. Vi-

§. 9.

Videtur itaque mentula muliebris ſeu clitoris titillationis venereæ atque voluptatis gratia conſtructa, hinc etiam Johannes Riolanus *l. a.* eandem amorem veneris vel dulcedinem appellavit; aliisque clitoris præcipuum voluptatis venereæ & delectationis mulierum habitaculum ſeu ſedes in coitu eſſe ſtatuitur. Juxta Guernerum Rolfinc. *l. a. p.* 192. magna delectationis pars in congreſſibus clitoridi adſcribitur. Et ſi blande pulpoſis digitorum apicibus tractetur in iis, quæ pruriunt, non ſolum voluptas quædam excitari, ſed etiam ſemen moveri poteſt. Imprimis autem ſecundum *Coſmopolit. Hiſt. nat. cap.* 16. *p.* 427. vel potius veri Autoris Stockham. *p.* 84. libidinis ſedes clitoris eſt ob exquiſitum glandis ſenſum, cujus attactus ac inflatio ad neceſſarium in venerem æſtum, primum & vehementiſſimum irritamentum eſt. Hanc delectationem veneream Isbrandus a Diemerbroc *l. a. fol.* 152. *ſeq.* a nervulo dorſum clitoridis omnesque pudendi partes excurrente derivat, talemque nervulum exquiſitiſſimum ei ſenſum & in actu venereo titillationem jucundiſſimam conferre, maxime vero talem voluptuoſam titillationem in ejus tentigine ſeu glande perficere, ſcribit. Et Jean Palfyn *dans la deſcript. anatom. des Parties de la Femme p. m.* 8. Le clitoris eſt le principal ſiege du plaiſir & de l'appetit venerien aux femmes, & que l'on pourroit nommer la fougue & la rage de l'amour. C'eſt la, que l'Autheur de la nature a mis le trone de ſes voluptes, comme il a fait dans le gland de l'homme, c'eſt la, qu'il a place le chatoüillement exceſſif, en qu'il a établi le lieu de la laſcivité des femmes: Car dans l'action de l'amour le clitoris ſe remplit de ſang & des eſprits, & par ſon gouflement ſe roidit en ſuite, comme la verge de l'homme. Ipſiſſima hæc verba etiam in Nicolai Venette *Tractatu Gallico de la Generation de l'homme Part. I. cap.* 1. *Art.* 3. *p. m.* 20. leguntur. Et *pag.* 21. *ſeq.* idem Autor clitoridi alium adhuc adſignat uſum: Cette partie, inquiens, eſt a la matrice ce que la lüette eſt aux pou-

Uſus.

Plagium.

poumons; & le clitoris avec les caroncules corrige l'air froid, qui pourroit incommoder la matrice; il empeche, en mesme temps, qu'il n'y entre quelque chose d'étranger. Secundum Felic. Plater. *Struct. Corpor. hum. fol.* 60. clitoris pruritum in his locis eximium efficit, & forte carunculas, quibus pellicula utrinque jungitur, ne dependant, sustentat.

§. 10.

Causa voluptatis. Quod autem in hac pudendi parte tanta amoris dulcedo atque titillans voluptas a mulieribus sentiatur, absque dubio divina ordinavit sapientia, ut non modo prima vice ad coitum jugumque matrimoniale invitentur & alliciantur, sed postmodum etiam, ob varia gestationis & partus tempore perpessa incommoda maximosque dolores a nova cohabitatione non penitus deterreantur, sed illorum oblitæ hac dulcedine ad pugnam veneream denuo stimulentur, sicque genus humanum eo melius propagetur. Secundum Philipp. Verheyen. verba *l. a. p.* 202. titillatio clitoridis sentitur, ut mulier minus ponderet incommoda, quæ nuptis obvenire solent. Caspar Bauhinus *l. a.* mentem suam ex Galeno ita exprimit: Natura, quæ optasset, si fieri posset, suum opificium immortale, omnibus animalibus & concipiendi instrumenta, & ipsis instrumentis eximiam quandam voluptatis effectricem tribuit, quo nullum animalis genus pereat, sed incolume semper sit & superstes: quod sane necessarium videtur, ut homines concitato coitu, alioqui actione turpissima, ad generis conservationem oblectentur: quæ voluptas a seminis contactu ejusque calore moderato ac benigno vias nerveas ac maxime sentientes transeunte caussatur. Et revera, inquit Regnerus de Graaf *l. a. p.* 182. nisi hæ pudendi partes tam exquisitissimo delectationis & tanti amoris sensu præditæ essent, nulla mulier tam molestam novem mensium gestationem, laboriosissimam & sæpe exitialem fœtus exclusionem, plenam solicitudinibus & curis liberorum educationem, in se suscipere vellet. Imo absque processibus ex utero

ex-

exortis, dehinc ſupra pubem aſcendentibus atque in particulam illam excelſam in vulvæ apice circumvolutam deſinentibus, neque mulierem aliquam in veneris amplexibus delectationem percepturam, nullosque fœtus concepturam fuiſſe ſcribit Realdus Columbus *l.a.p.* 448. De uſu clitoridis ita ſentit Jean Palfyn *deſcript. anatom. part. mul. p.* 13 Nous dirons, qu'en ſuite du ſang de la chaleur & des eſprits, qui ſont donnez au clitoris en quantité, il doit étre capable de ſe dilater quelque fois; que par le ſentiment fort ſenſible, qui eſt attaché a ſon gland, il doit étre propre à donner de l'amour, cauſer cette douceur de venus & cet agreable chatouillement, qui doit ſe rencontrer dans le congrés; quoy, pourroit on nous faire accroire, que les femmes vouluſſent s'expoſer à porter durant neuf mois un ſi peſant fardeau à ſouffrir les douleurs de l'accouchement & à ſe chagriner du ſoin, qu'elles prennent pour bien elever leurs enfans, ſi l' Autheur de la nature n'avoit pas imprimé un ſentiment de douceur a toutes les parties du pudendum.

§. II.

Nonnunquam tamen clitoris, quæ in ſtatu naturali tantæ eſt exilitatis, ut viſum vel tactum fere fugiat, in ſtatu præternali atque tentigine in magnam ſatis molem, in adultis præſertim, excreſcit, ita ut etiam absque labiorum pudendi diductione aut crurum divaricatione conſpectui ſe offerat. Rariſſime talia exempla in infantibus occurrunt, quale nihilominus annotavit Regnerus de Graaf *de Mulier. Organ. cap.* 3. *p. m.* 176. & quidem in infante recens nato, cujus clitoris tantam cum membro virili ſimilitudinem referebat, ut cum obſtetrice una vicinæ mulieres ac peritiores alii illum judicarint maſculum, & maſculino nomine in Baptiſmo inſigniri juſſerint. Hanc naturæ tamen fraudem poſt mortem detexit accurata harum partium diſſectio. Absque dubio hæc puella, ſi adulta fuiſſet, pro hermaphrodita ab imperitis haberi potuiſſet. Ante quadraginta aliquot annos Lipſiæ in

Clitoris magna.

in infante.

Obſervatio.

in diversorio quodam plateæ, a fœno nomen habentis, alebatur puella circiter triennis, ad fabæ magnitudinem extra vulvæ labia prominentem habens clitoridem, quæ absque dubio a crebriore ejusdem partis vellicatione vel titillatione a quodam Equitum Magistro ab infantia ipsi assveta, in tantam molem excreverat. Thomas Bartholinus *Histor. Anat. Cent. I. Hist. 65. p. m.* 100. mentionem facit puellæ in Fionia natæ, pueri speciem præ se ferentis, quia propendens clitoris membri virilis similitudinem monstrabat. Hinc masculum Erasmi nomen infanti inditum. Cum ætate vero exsiccata prominentia & contracta apertius sexum professa, Annæ nomen priori adjunxit, vocataque fuit Anna Erasmia, mater demum liberorum. In puella octenni satis magnam clitoridem se vidisse scribit Nicolaus Venette *de la Generat. de l'homme cap.* 1. *art.* 1. *p. m.* 21. j'ay vû une fille de huit ans, qui avoit deja le clitoris aussi long, que la moitié du petit doigt; & si cette partie croist avec l'âge, comme il y a de l'apparence, je me persvade, que presentement elle est aussi grosse & aussi longue, que cette de la femme, que Platerus dit avoir vûe, qui l'avoit aussi grosse & aussi longue, que le col d'une oye. Clitoridis incrementum Ægyptiis & Arabibus ab infantia malum endemium est, & Ægyptii hanc pseudo-virgam nupturis virginibus exscindere consveverunt. Secundum Johann. Vesling. *Syntagm. anatom. cap.* 7. *pag. m.* 203. enorme atque inutile clitoridis incrementum, in puellis Arabes, quicquid hujus immodestius prominulum conspicitur, abscindere protinus vel inurere coguntur.

§. 12.

in adultis. Frequentius in adultioribus feminis clitoridem in majorem molem procrescere, & in quibusdam ad penis magnitudinem augeri, sequentes Autorum testantur observationes. Minimo digito in longitudine & crassitie parem clitoridem se vidisse scribit Johannes Riolanus *Anthropogr. Lib.* 2. *cap.* 35. *fol.* 188. Regnerus de Graaf *l. a. p.* 175. extraordinario naturæ lusu in adultio-

ultioribus obſervavit clitoridem inſtar digiti internodii propendere, ita ut absque labiorum diductione aut crurum divaricatione facillime conſpiceretur. Ibidem etiam *pag.* 176. ex Plazzono refert, clitoridis cujusdam partem externam in tantam magnitudinem fuiſſe productam, ut quatuor digitorum longitudinem æquaret. Vid. ipſius Franc. Plazzon. *de partib. Generat. Lib.* 2. *cap.* 3. *p. m.* 111. *qui cap.* 13. *p.* 157. in honeſta virgine iſtam partem ad dimidii digiti longitudinem prominentem ſe vidiſſe refert. Clitoridem mira magnitudine prominentem in virgine quadam Gallica, furore uterino laborante, obſervatam legimus in Johannis Michael. *Oper. Prax. Clinic. Caſ.* 22. *p.* 556. Isbrandus de Diemerbroc *Anatom. Lib.* 1. *cap.* 26. *fol.* 153. ſcribit, ſe in muliere quadam Manfurtenſi, lictoris uxore, clitoridis longitudinem & craſſitiem mediocris mentulæ virilis vidiſſe; quod incrementum ei fieri contigerat, poſtquam ter quaterve peperiſſet. Plura exempla collegit etiam Johannes Schenckius *Obſerv. medic. Lib.* 4. *fol. m.* 544. *ſeqq.* ubi inter alia honeſtæ & pudicæ matronæ meminit, in cujus ſinu muliebri clitoridem ex ejusdem pubis oſſis regione pronatam & per pudendi rimam minoris digiti ſui dimidii longitudine & ejusdem circa baſin craſſitie, ſed apicem verſus tenuatiore videre contigit. Nupſerat hæc quinto marito nondum triceſimum quintum annum egreſſa, atque diligenter percunctanti Schenckio liberrime confitebatur: Carunculam hanc etiam flaccidam & corrugatam, citra libidinis imaginationem ullam, ducta quantitate extra pudendum ſubinde prominere; atque in congreſſu cum marito aut aliis venereis conceptibus, imo vero ſolo veſtium contactu mentulæ inſtar ſæpe inflari, turgere atque erigi, & ad venerem irritare. Fuit autem ei a primis pueritiæ annis familiare, digitis hanc carunculam ſubinde verſare, ex quo cum ſuavem in ea ætate titillationem perſenſiſſet, ex conſuetudine poſtmodum factum fuiſſe, ut vel dormiens quoque manuum alteram ad pubem compoſitam contineret. Atque hujus occaſione nympham vel potius

 clito-

clitoridem ex frequenti nimirum tractatione ad turpem hanc formam excrevisse arbitrabatur. Scorto mediæ ætatis, carnosi & fusci habitus, parte postica mariscis, antica ulceribus obsita cum Gonorrhœa, clitoris dimidii digiti longitudine propendebat, teste Johanne Rhodio *Obs. Cent. III. Obs.* 42. *p.* 139. Et pagina sequenti inquit idem, se aliam clitoridem ejusdem magnitudinis conspexisse, quæ in tumorem desinebat, pilæ lusoriæ parem, undiquaque verrucosam. Clitoridem propendentem & tensum in femina solo suffitu olei olivarum in laterem candentem successive effusi, se aliquando curasse, scribit Georgius Wolffgangus Wedelius *Prax. Clinic. Sect. I. cap.* 1. *p.* 16. In uxoris cujusdam, a prima puella maxime salacis, post primum partum defunctæ pudendis insigni magnitudine prædita fuit inventa, & tanta quidem, ut fere virum fuerit mentita prodigiosa venus, juxta observationem Sigismudi Schmideri *Ephemer. Acad. Nat. Cur. Cent. III. & IV. Obs.* 156. *p.* 354. 356. Quandoque etiam in puerperis a partu difficili clitoridem incrementum sumere, testatur Ambrosius Stegmannus *M. N. C. Dec. III. An.* 4. *Obs.* 112. *p.* 232. Hic scilicet ad illustrem puerperam, opinione sua, prolapsu uteri ex partu difficili laborantem, vocabatur, quæ uterum ad ovi anserini magnitudinem propendere, & exinde intra duos dies nullam emisisse urinam dicebat. Obstetrix autem referebat, se ejusmodi uteri procidentiam suis nunquam vidisse oculis, cum uterus non prolapsus sit ex vagina, sed ex consveto meatu urinario. Quærebat hinc Stegmannus ex ipsa puerpera: num forsitan hanc procidentiam alio tempore etiam observaverit. Jurabat illa cum illustri marito, per vitam, nisi ab altero post partum difficilem die, usque ad hoc tempus non observasse. Ex omnibus igitur circumstantiis & indiciis recolligebat Stegmannus, clitoridem, utpote subtilem nervosam partem in partu difficili, per obstetricum continuam circa hanc partem tractationem ac titillationem, esse inflammatam & in tantam molem tumefactam, cum ipse particulam hanc non simplici vice in parturien-

turientibus erectam viderit, & idem a curiosis obstetricibus observatum ipsique relatum sit. In salacioribus mulierculis clitoridem collum anserinum & crassitie & longitudine aliquando æquare, ex Riolano allegat Joh. Georg. Simon *impotent. conjugal. cap.* 2. *Thes.* 2. *n.* 8. *p.* 22.

§. 13.

Interdum nimia clitoridis excrescentia incessum impedit, uti Johannes Helwigius *Obs.* 138. *p.* 378. in rustica quadam Bavarica observavit: huic enim clitoris in tantum excreverat, ut longitudinem dimidii cubiti æquaret, in crassitie vero pollicem viri robusti, atque sic impedita vix erecta incedere aut munia sua domestica exquisitim obire posset. ***Incessum impedit.***

§. 14.

Ob clitoridem magnam mulieres quoque in viros mutatæ creduntur, dum circa pudendum muliebre membrum aliquod, priapi figuræ persimile, latitare deprehenditur, quod cunctis mentulæ virilis conditionibus prorsus respondet, adeo ut præditum sit ligamentis, nervis, venis, arteriis, musculis, præputio, glande, ne quid omnino desideretur. Quamvis autem non negandum, clitoridem, tam secundum hactenus dicta, quam præsertim paulo post sequentia, in feminis interdum longe prominere, instarque penis distendi, moxque flaccescere, ut adeo penem virilem mentiatur, ejusque loco confricatricibus seu mulieribus incubis in coitu nefando cum aliis feminis inserviat, sicque facillime rudioribus imponere possit: Ideo tamen minime sequitur, talem clitoridem, licet nimis quoque extensa sit, in verum penem seu instrumentum virile, multo minus feminam in marem mutatam esse, uti sequenti exemplo probat Vitus Riedlinus *Linear. medic. Annno* 1697. *Mens. Septembr. Obs.* 15. *p.* 290. *seq.* de clitoride instantibus mensibus turgente. Clitoris, inquit, uti naturaliter forma penem refert, nec ferme nisi magnitudine ab eodem differt, sic in nonnullis interdum adeo excrescit, ut & pro hermaphroditis habeantur, & sat scele- ***an sexus sit mutatus.***

ste,

ſte, quod virorum eſt, præſtare tentent tali clitoride inſtructæ, fricatrices inde nominatæ. Aliis ejusdem protuberantia metum injicit, dum ad conjugium ineundum ſe propterea ineptas fieri credunt; ſic nuper quædam ſat formoſa virgo, cum primo menſes inſtarent, clitoridem tantum auctam notavit, ut non parum perterrita matri & indicaverit & monſtraverit, quæ majori terrore percuſſa jamjam filiam genus mutaſſe firmiter credens, rem mihi detexit, & meum conſilium imploravit, puellæ pudicitia inſpectionem mihi non concedente; ut tamen & aliis feminis monſtraretur, ſvaſi, quæ idem, quod mater, retulerunt, ſimul tamen viſum ipſis penem ſic deſcripſerunt, ut clitoridem a ſangvine menſtruo exitum quærente & turgente inflatam eſſe, ego nullus dubitaverim, medicamenta itaque menſes moventia, in uſum trahere cœpi; quibus ad votum poſt trimeſtre operantibus, clitorideque imminuta penis imaginarius diſparuit, & virgo omnem triſtitiam inde conceptam depoſuit, docens, in ejuscemodi caſibus a præcipiti judicio nos abſtinere debere, ne nos riſui, alios vero ignominiæ immeritæ exponamus. De qua materia plura in *Spermatol. noſtr. cap.* 13. §. 46. *ſeq. p.* 704. *ſeq.* reperies. *vid. etiam Caſp. a Reies Qv.* 57. *p. m.* 717. ubi inquit: Sexus falſæ mutationis hanc fuiſſe cauſam putant quidam Autores; quorum tamen opinio licet vera ſit, quatenus ad clitoridis augmentum & tentiginem ſpectat; tamen inſufficiens videtur hæc cauſa, ut mulier in virum tranſiiſſe crederetur, & habitum mutare virilemque induere; quia multæ ſunt feminæ, quæ aucta hujus partis magnitudine laborant, & tamen coeunt, & ſuum ſexum recognoſcunt. Deinde cum de aliquibus dicatur, uxores duxiſſe & filios generaſſe, aliter quam membro virili uti non poterant, minime vero cauda aucta & inflata; quia per hanc ſemen in vulvam immittere non poterant, &c. Tales perſonas ſemper pro feminis eſſe habendas, monſtrat Paulus Zacchias *Quæſt. M. L. Lib.* 7. *Tit.* 1. *Qv.* 8. *n.* 5. *f.* 593.

§. 15. Quan-

§. 15.

Quandoque etiam feminæ, quibus longior est clitoris vel etiam extra pudendi labia prominet, in infantia, ex obstetricum errore vel ignorantia, pro maribus seu pueris habentur, atque in baptismo nomine virili insigniuntur, quale exemplum paulo ante §.11. ex Regnero de Graaf recensuimus; in ætate vero adulta hermaphroditi judicantur, (qualia exempla plura in Spermatologia nostra *cap.* 13. §. 16. *seq. p.* 576. *seqq.* adduximus,) cum tamen ad hermaphroditismum penis verus & perforatus requiratur; in dictis autem feminis clitoris tantummodo extraordinariam longitudinem acquisiverit, aut circa clitoridem substantia quædam carnea vel cutanea peniformis, medicisque cauda (de qua paulo post) excreverit. Quare talis excrescentia peniformis, sive sit clitoris, sive cauda, bene inspicienda atque examinanda est, an in illa præputium & glans, præsertim autem perforatio reperiatur, per quam urina & semen excernatur. Quod nisi fiat, talis persona ad veros hermaphroditos referri non potest, sed ad sexum femineum pertinet. Interim tamen illas mulieres, in quibus præter partes genitales, sexui feminino proprias, quoque clitoris prægrandis, licet imperforata, simulque in pudendi labiis testiculi masculini reperiuntur, ad hermaphroditas feminas libenter referimus, quia ex utroque sexu, licet imperfecte, participant. vid. etiam Nicol. Venett. *de la Generat. Part.* 4. *Art.* 3. *cap.* 4. *p. m.* 611. Talem hermaphroditum in Gallia prope Andegavum vidisse scribit Isbrandus de Diemerbroc *Anatom. Lib.* 1. *cap.* 26. *fol. m.* 154. qui circum os, instar viri, totus barbatus erat, sed tamen muliebri vestitu utebatur, suaque genitalia pro vili pretio conspicienda exhibebat. Huic superiore pudendi parte clitoris excreverat ad medii digiti longitudinem & mentulæ virilis crassitiem, cum glande, frenulo & præputio, uti in viris esse solet, excepto, quod fissura glandis non esset pervia: Inferius meatus urinarius & vagina uteri adstabant, ut in mulieribus; in singulis pudendi labiis unus testis

an signum hermaphroditi?

M conti-

Admonitio ad obstetrices. continebatur. Hanc distinctionem bene notent obstetrices, ne a clitoridibus longis, penemque seu membrum virile æmulantibus, decipiantur, talesque feminas pro hermaphroditis judicent, uti aliquot ante annos Sonderslebiæ accidit, ubi meretrix, quæ ex se editum partum enecarat, captiva tenebatur, cujus venter a duabus juratis obstetricibus inspiciebatur, & ipsa hermaphrodita dicebatur, cum utriusque sexus genitalibus sit prædita. Præfectus autem ejusdem loci harum effatu non contentus vocavit duos medicos in consilium, qui, bene perspectis genitalibus, illam non hermaphroditam, sed puerperam renunciarunt, cum clitoridem ad spithamæ longitudinem prominentem deprehenderint. Terrefacta hinc infanticida medicorum judicium verum reddidit, in nuperrimo partu difficili hunc accepisse tumorem & clitoridis protuberantiam, juxta observationem Ambrosii Stegmanni *M. N. C. Dec. III. An.* 4. *Obs.* 112. *p.* 232. A partu autem talem clitoridis excrescentiam interdum oriri, §. 12. ex eodem Stegmanno & Diemerbroccio adduximus.

§. 16.

Tribades. Quamvis autem feminæ taliter clitorisatæ, ut hæc columella officium penis præstare possit, hermaphroditæ non sint; interdum tamen tanta ejusdem partis productione abutuntur, atque cum aliis ejusdem sexus personis instar virorum coeunt ac mutuis congressibus se polluunt; talesque feminæ, quæ cum aliis lascivius atque illicite versantur, & juxta Cæl. Aurelian. *de Morb. chronic. Lib.* 4. *cap.* 9. *p. m.* 544. utramque venerem exercent, mulieribus tamen magis, quam viris misceri festinant, & easdem invidentia seu æmulatione pene virili sectantur, vel, juxta Gerardi Blasii *Commentar. in Joh. Vesling. Syntagm. anatom. cap.* 7. *p.* 103. scelesto clitoridis contactu se invicem ad voluptatem & ejaculationem seminis instigant, Græcis τριβάδες & Latinis Fricatrices, confricatrices, fictrices, subigatrices & subagitatrices appellari solent. vid. etiam Casp. Bauhin. *de Hermaphrod. Lib.* 1. *cap.* 4. *p.* 39. item Joh. Georg. Simon. *de Impotent. cap.* 2. *Th.* 2. *p.* 21.

§. 17. Talis

§. 17.

Talis tribas fuit Baſſa, de qua Martialis *Lib.* 1. *Epigr.* 58. tanquam de femina virum mentiendo cæteras mulieres fricante ita cecinit: *Tribadum exempla.*

Quod nunquam maribus junctam te, Baſſa, videbam:
 Quodque tibi mœchum fabula nulla dabat.
Omne ſed officium circa te ſemper obibat:
 Turba tui ſexus, non adeunte viro:
Eſſe videbaris (fateor) Lucretia nobis:
 At tu proh facinus, Baſſa, fututor eras.
Inter ſe geminos audes committere cunnos,
 Mentiturque virum prodigioſa venus.
Commenta es dignum Thebano ænigmate monſtrum:
 Hic, ubi vir non eſt, ut ſit adulterium.

Cum celebris poetria Sappho promiſcue tum pueros tum puellas arderet, adeoque inſanis amoribus diffamata eſſet, partim tribas dicta, partim Horatio atque Auſonio appellitata fuit maſcula, quod marium vices in puellis obiret, juxta Joh. Petr. Lotich. *Præfat. in T. Petron. Arbitr. Satyric.* Hujus Sapphus vatis ancillæ erant Amythone, Teleſippa, Megara, Athys, Cydne, quibus ipſa ad libidinem ſuam explendam abutebatur, eas ſubando more virili, uti refert Johannes Riolanus *Anthropograph. Lib.* 2. *cap.* 35. *Oper. fol. m.* 188. Ejusmodi exemplum annotavit etiam Nicolaus Tulpius *Obſervat. med. Lib.* 3. *cap.* 35. *p. m.* 253. Scilicet Henrica Schuria, mulier virilis animi, pertæſa ſexus ſui induit veſtes viriles, & profecta in militiam, meruit aliquandiu in obſidione Sylvæ Ducis. Sed demum reverſa accuſabatur perditæ libidinis ob clitoridem extra ſinum pudoris adeo interdum ſeſe offerentem, ut conata fuerit non ſemel libidinoſius laſcivire cum aliis mulieribus, imo illas ita atterere ac fricare, ut cuidam, cujus deſiderio impenſe flagrabat, usque adeo placuerit deteſtanda ipſius impudicitia, ut niſi per leges ſtetiſſet, lubens ipſi nupſiſſet. Habuit autem hac τϱιβὰς naturalia ſua,

M 2 ſaltem

ſaltem quoad externam faciem, haud aliter conformata, ac aliæ mulieres; ſed intus percipiebatur evidenter (uti teſtabantur tres obſtetrices) paulo ante urinæ iter, glandulosa aliqua caruncula, quam clitoridem vocant medici, in ſalaci hac fricatrice ad dimidiati digiti longitudinem accedens & craſſitudine ſua haud male colem puerilem referens. At vero, licet clitoris hæc foris nullum ſui perpetuo faceret indicium: apparebat tamen interdum, præſertim ubi vel difficulter micturiret, vel percita veneris œſtro raperetur impenſius in illicitam hancce cupidinem; quo tempore dicebatur hæc glandula extra naturalia ipſius protuberare, vel ad inſtar dimidiati digiti, vel interdum etiam longius, prout vel majore vel minore in mulieres exardeſceret amore. Scribit etiam Dominicus Panarolus *Pentec. IV. Obſ.* 4. *p. m.* 112. ſe meretricem, aliarum mulierum tribadem, ſicut ore proprio fatebatur, propriis oculis vidiſſe, cui clitoris ita producta & tenſa fuit, ut pueri duodecim annorum mentulam æmularetur; cui tentigo illa continua fricatione ad talem magnitudinem excreverat. Urſula Catharina Blumentau, virago, mentulam ſuam extra pudendum adeo interdum prominentem habuit, ut etiam auſa fuerit aliquando cum puellis libidinoſius κλιτορίζειν easque τρίβειν. Pœnas tandem promeritas verita ex patria aufugiebat, teſte Chriſtiano Franciſco Paullini *M. N. C. Dec. II. An.* 5. *App. p.* 63. Tali mentula prædita quoque fuit Helena quædam Antverpiæ, quæ illa ſua parte tum in lupanaribus multas exercebat meretrices, tum alibi non paucas virgines vitiabat. Imo eo inſaniæ venit, ut Paſtori ſe ſiſteret, petens contrahere cum certa filia matrimonium. Quamobrem Paſtor accuſavit eam apud Epiſcopum & Magiſtratum, quod virum tegeret habitu muliebri. In carcerem ergo compingitur, & juſſu Magiſtratus viſitur, atque inſpicitur a Medicis Chirurgisque, ſed virile nihil comperiunt. Ita nempe hæc particula non ſtimulante libidine ſe contrahit. vid. Fortunat. Plemp. *Fundam. Medicin. Lib.* 2. *Sect.* 5. *cap.* 9. *fol.* 139.

§. 18. Ta-

§. 18.

Taliter mentulatæ feminæ in ejusmodi coitu perverso cum aliis feminis etiam spermatizare seu semen emittere nonnullis creduntur Autoribus, qui tamen in diversas abeunt sententias; alii enim dictum sperma ex clitoride prodire affirmant, alii negant. Inquit nimirum Paulus Zacchias *Quæst. med. leg. Lib.* 7. *Tit.* 1. *Quæst.* 8. *n.* 24. *fol.* 598. Tritum est, feminas nonnullas invicem inire, & semen in alias ejaculari, quod ne suspicemur per consvetas sibi vias, nempe per vasa seminaria suo sexui concessa, illis contingere, audiamus, quæ Alsaharavius *Pract. Tract.* 25. *cap.* 1. dicebat, & quidem inquit: Antiqui dixerunt, quod hujusmodi carnem (loquitur autem de clitoride) in tantum est possibile crescere, ita quod aliquæ spermatizant cum ea, ut mares, & agunt cum aliis mulieribus: cui dicto consonat Avicennæ dictum *lib.* 3. *fen.* 20. *Tract.* 1. *cap.* 44. ubi mulieres, quæ desiderium coeundi cum maritis explere non possunt, quod segniores sunt in semine emittendo, dicit cum aliis mulieribus coire remque veneream habere, quo sese inter se subagitantes semen expellant: & licet non dicat Avicennas, eas per clitoridem semen emittere, non desunt tamen alii, qui id concedant, &c. Imo ipse Zacchias ibidem feminas clitoride insignes per eam, ut viros, spermatizare addit. Inquit etiam M. Antonius Ulmus *Physiolog. Barb. hum. Sect.* 3. *cap.* 22. *fol. m.* 229. Nulla est pars pudendorum muliebrium, quæ adeo exsuscitet coeundi appetitum infandum, atque nympha seu clitoris, ut leniter molliter contrectata etiam summo digito eliciat muliebre semen. Et Sev. Pinæus *de not. Virginit. Lib.* 1. *cap.* 4. *p.* 42. scribit: Mirum non est, si Autorum quidam Neotericorum clitoridem œstrum veneris & dulcedinem amoris appellaverint: siquidem visæ sunt earum quædam, quæ, cum blande tractaretur ista productio, semen ocyssime emiserunt. Hæc enim est pars, qua mulieres libidinose invicem abutuntur in confricationibus, unde confricatrices appellantur. Scilicet putabant veteres, feminas iisdem

Tribades an semen emittant?

affirmatur.

dem cum viris gaudere partibus genitalibus, nisi quod solo situ differant. Cum proinde penis virilis in glande sit perforatus, talem perforationem etiam in glande mentulæ muliebris præsupponebant sibive fingebant. In qua sententia veteribus etiam ex recentioribus nonnulli assentiuntur, quorum satis notus Autor Isbrandus de Diemerbroc *Anatom. Lib.* 1. *cap.* 25. *Edit. Lugdun.* 1679. *in* 4*to. p. m.* 151. ita scribit: Ad crura clitoridis perveniunt vasa deferentia; sed anne illa vasa ingrediantur hæc crura, vel in ea aperiantur, semenque in ea effundant; an vero sub iis adhuc alius ductus seu canalis lateat, urethræ virili respondens, semenque ex vasis deferentibus excipiens & ad tentiginem deferens, nondum satis compertum, neque illud ab ullo Anatomico quæsitum aut animadversum legimus, forte quia corpora muliebria, imprimis quæ in media libidine repentina morte interempta sunt (in quibus hoc commodissime inquiri posset) raro secanda occurrunt; vel quia de exili hac particula, quæ in sectione protinus in conspectum non incurrit, inquirenda nemo hactenus cogitavit. Ratio tamen subministrat, talem particulam cavam (quæ in demortuis omnino concidit) seu canalem, instar urethræ virilis adesse debere, quæ semen ad tentiginem seu virgæ muliebris glandem deferat: Præterea cum mulieres confricatrices venerem cum magna libidine ac voluptate cum aliis feminis exerceant, procul dubio etiam semen per penem effundunt: sed per quam quæso viam, nisi in virga existat talis canalis urethræ virili respondens? Idem Autor etiam *ibidem cap.* 23. *p.* 135. hanc sententiam variis rationibus defendit, addita quoque experientia, scilicet quia salacibus maximeque libidinosis mulieribus per clitoridis frictionem manu factam, semen provocatur & foras exsilit, sicut viris ex frictione penis; deinde annectit sequentem observationem: Mulier quædam non infimæ sortis mihi conquesta est, se in prima juventute libidinis stimulos sentientem, sæpissime istam particulam digito fricare, sicque semen sibi summa cum voluptate pro-

vocare

vocare solitam fuisse; sed progressu temporis hanc malam consvetudinem in morbum abiisse, ita ut tandem, si pudendum, sive a pulvinari, cum sederet, sive a propria bracca, cum ambularet, sive alio quocunque modo, nonnihil fricaretur, mox ipsi invitæ semen efflueret, neque illud ad voluntatem retinere posset, &c.

§. 19.

Sequentem observationem recenset Paulus Zacchias, *Quæst. med. Legal. Lib.* 1. *Tit.* 1. *Quæst.* 9. *n.* 16. *fol. m.* 603. cumque pro certo affirmare nolit, illam feminam fuisse hermaphroditam, quia in ea re dubium aliquod inter celebriores medicos insurrexit; fortasse eorundem nonnulli hanc personam pro femina nimis mentulata habuerunt; ideoque hanc Historiam hoc loco inserere liceat. Scilicet muliercula quædam partes genitales ita habebat constitutas: Intra uteri labra supra meatum urinarium, versus internum uteri osculum procedendo, carnosa quædam moles conspiciebatur, speciem virilis membri præ se ferens, crassitudine virilis mentulæ mediocris crassitiem excedens, longitudine, cum exerta erat, quinque transversorum digitorum quantitate: in summitate corpus apparebat virilis membri glandi respondens, sed præputio destituebatur, cujus vicem ipsa uteri pterygomata supplere videbantur, a parte superna collosæ erat substantiæ, ita ut suspicio irrepserit, ne ex ulceribus cicatrices contraxisset, quod illa inficiabatur. Glans, ut ita dicam, transversaliter perforata erat, sed orificium minimum pene digitum admittebat; per hoc nulla urina reddebatur, sed per meatum, unde cæteris feminis solet effluere. Menstrua illi partim per hoc ipsum orificium, partim sub eo, ex intimiore & inferiore uteri parte prodibant; nam sub hac carnea mole pervius erat meatus valde exilis, qui indito in ejus molis orificium per siphonem vino, mulso, aut alio quovis liquore, conspicuus fiebat, per eum enim is liquor ex parte cum flatu quodam prodibat. Nymphæ hinc inde ab uteri labris admodum

Casus dubius.

dum exiles erant. Moles hæc, quicquid esset, intra pudendi labra delitescens vel tussiente, vel ridente muliercula ad duorum digitorum transversorum quantitatem foras exiliebat (quod forte uteri corpus esse denotare posset) cum vero arrigebatur (quod contra, non esse uteri corpus, testari potest) tensa ac dura, ut retulerunt, evadebat & in majorem molem excrescebat. Ea mulieres alias se compressisse fatebatur & per illam semen emisisse. Tunc temporis per glandis hujusce orificium veluti Gonorrhœam patiebatur, & in ipsa glande ulcuscula apparebant, nullo dolore insignia, nam Chirurgus absque ulla mulieris molestia & foras molem illam manu educebat & intro impingebat. Licet autem, juxta superius dicta, allegatus Autor hanc personam pro hermaphrodita judicare noluerit; quodsi tamen, juxta sequentem Autoris relationem, in hac femina præter hanc peniformem excrescentiam carnosam alia quoque clitoris, licet minima, adhuc fuerit reperta, dictam molem, mea quidem sententia, non tam pro clitoride, quam pene virili, non legitime formato, ipsamque personam pro hermaphrodito judicandam credo, cum inprimis dicta moles perforata atque liquoris cujusdam excretioni apta fuerit: quod in vera clitoride non observatur: hinc etiam illæ feminæ, quæ, ob nimis longam clitoridem, a seipsis & aliis vulgo pro hermaphroditis habentur, clitoridem autem perviam non habent, proprie non hermaphroditis, sed mentulatis, seu magnam clitoridem, per quam tamen nullum semen emittitur, habentibus, sunt adscribendæ. vid. etiam Spermatolog. nost. *cap.* 13. §.72. *pag.* 651. *seq.*

negatur.

§. 64.

Clitoris non est perforata

Veram autem clitoridem nunquam perforatam esse, etiam alii Autores defendunt. Scribit enim Guernerus Rolfincius *de Partib. genital. Part.* 2. *cap.* 42. *p.* 193. Glandem æmulatur clitoridis capitulum ex cupula prominentem. Exprimit etiam glandem capitulum hoc virilem ex præputio emicantem. Præputium constituit membranula ex alarum conjunctione nata.

Fora-

Foramen in eo a nobis non obſervatum. Juxta Regnerum de Graaf. *l. a. p.* 179. Clitoris nullam, ut penis, urethram vel ſimilem canalem habet. Et ſecundum Joh. Riolan. *Anthropogr. l. a p.* 188. virga muliebris omnibus fere partibus conſtat, quibus virile pudendum: Extremum Clitoridis in modum balani exornatum eſt, quod tamen non eſt pervium. Caſparo Bauhino *Theatr. anat. lib.* 1. *cap.* 40. *p.* 135. clitoris eſt proceſſus parvus, in rimæ majoris apice, virili membro reſpondens ſitu, ſubſtantia, compoſitione, ſpirituum repletione & erectione: differens vero ab eo longitudine & canali communi. Caput ipſius tentigo dictum tenuiſſima cute nympharum conjunctione veluti præputio tegi videtur; foramen habet, non tamen pervium. Idem etiam ſentit Thomas Bartholinus *Anatom. lib.* 1. *cap.* 34. *p. m.* 292. Extremitas, inquiens, vel caput clitoridis prominens inſtar glandis (reliqua parte deliteſcente) tentigo dicitur, foramen habens uti penis, ſed non pervium. Et Vopiſcus Fortunatus Plempius *Fundam. Medic. lib.* 2. *cap.* 9. *fol. m.* 139. inquit: Clitoris meatum non habet, per quem ſemen vel ſemini ſimile effundatur. Juxta Petri Dionis *Anatom. demonſtrat.* 4. *p. m* 237. Eædem partes, quæ virilem virgam conſtituunt, clitoridis etiam compoſitionem ingrediuntur: Hujus extremum glandi illius ſimile eſt, niſi quod perforatum non ſit; quamvis meatuli quoddam veſtigium in eo cernatur; & ſecundum J. Caſe *Compend. anat. p.* 178. clitoris urethra & glans foramine caret. Eadem verba leguntur etiam Coſmopolit. *hiſtor. nat. cap.* 16. *p.* 426. nimirum clitoris caret urethra, & prominens glans ejus foramine, nam cæcam tantum foveolam habet. De tribadibus earumque ſpermatiſatione ita loquitur Jean Palfyn *deſcript. anat. des part. de la Femme p. m.* 14. Il ſe preſente icy un doute conſiderable à reſoudre; ſavoir ſi les tribades, qui ſe joignent à d'autres femmes, jettent auſſi de la ſemence par leur verge clitorale; il y a beaucoup d'apparence, que cela ſoit impoſſible, d'autant que ces femmes n'ont point d'urethre au clitoris, ni quoy que ce ſoit de

semblable, & que par la fente il ne peut passer aucune semence, parce qu'il n'en ont point, si ce n'est que l'on veille prendre pour la semence des femmes la liqueur, qui est contenue dans les œufs. Imo ipse Isbrandus de Diemerbroc *editionis* novæ *Lib.1.cap. 26.fol.*152. suam sententiam, paulo ante pro affirmativa spermatisationis tribadum adductam, mutat, atque clitoridis apici foramen oblongum, instar foraminis penis virilis, sed non pervium, inesse scribit. Et Johannes Benedictus Sinibaldus *Geneanthrop. cap.*13.*p.*444.*seq.* ita sentit: Illud nullatenus præterire alto silentio fas est, quod nimirum, licet mulieres clitoride ad obscœnam venerem utantur, per illam tamen neque seminis, neque alterius cujuspiam humoris vel minimum emittunt, sed sterili conatu calcant, perinde ac si digito lascivirent pudendumque tererent; cum enim particula ista sit quid præter naturam adnatum, non potest ulla ratione seminalium vasorum productiones excipere, quæ ad naturalia duntaxat pudenda diriguntur, utpote in mulieribus ad uterum, in viris ad penem: ut proinde mirari subeat Riolanum, & cum eo candidissimum Paulum Zacchiam, qui contrariæ sententiæ subscribere videntur, multis adductis auctoritatibus. Solus Alsaharavius id palam annuere videtur, qui tamen, si rite verba perpendantur, ex antiquorum potius opinione loquitur; inquit enim: Antiqui dixerunt: Forte in illo contactu tribades polluuntur ab utero, vasque paticæ, quæ succumbit, mulierculæ, aliquo respergunt humore, salivaque fœdant aphrodisia, & inde decipi potuerunt veteres, existimantes, rorem illum genitalem a clitoride, tanquam a virga manasse. Hanc imperforationem clitoridis longioris ac rigidæ in binis feminis observavit Cornelius Solingen. *v. ejusd. Oper. Chirurg. P.*3. *c.*27. *p.m.*310. in edit. Belgica, *p.*211.

§. 21.

Clitoris a pene distinguenda.

Quodsi proinde in clitoride sic dicta foramen reperiatur, per quod liquor spermaticus prodeat, tunc talis clitoris a Chirurgis vel Medicis accuratius esset inspicienda atque indaganda, annon pars ista potius si te penis sive perfectus, sive imperfectus, ipsaque

que tali mentula dotata femina pro hermaphrodito ſit judicanda, quibus quandoq; ſperma emittere contingit. Hinc neſcio quo referam obſervationem, quam Ambroſio Stegmanno vir quidam omni exceptione major ac artis medicæ optime gnarus ſancte retulit: Eſſe nimirum illuſtrem, ex tertio matrimonio tum viduam, & undecim liberorum matrem ſumme veneream, cujus clitoris ampliſſimo gaudeat orificio, tantaque colli veſicæ cavitate & longitudine, ut membrum virile, quod quale & quantum in coitu perceptibilioris & acutioris delectationis gratia, illæſa veſica & mictione, admittat. Jactitaſſe quoque laſcivam hanc quartillam: ſe per vitam non meminiſſe virginem, & longiori vice in hoc quam in conſveto loco celebraſſe coitum, parvulam continuo hanc partem contrectaſſe, ampliorem in cerea ætate incredibilem ob titillationem priapo feciſſe, cum paribus ſe inquinaſſe & juxtim magisque prodeuntibus annis cum majoribus ſeſe miſcuiſſe. *vid. M. N. C. Dec. III. An.* 4. *Obſ.* 112. *p.* 233. De ipſiſſima hac perſona idem autor, Ambroſius Stegmannus *ibid. An.* 7. *&* 8. *Obſ.* 35. *p.* 57. hæc refert: Cum ante aliquot ſeptimanas laſcivam hanc Corinnam ex inflammatione meatus urinarii & obſtructione urinæ totali graviter decumbentem viſitare, & mirum hoc phænomenon manibus & oculis indagare data mihi fuerit poteſtas, operæ pretium eſſe duxi, exactius jam curioſus illius ſtructuram, cum plane aliam deprehenderim, depingere. Sita itaque erat clitoris conſveto ſuo loco in ſuperiori nimirum pudendi parte. Situs erat meatus uninarius ſupra vaginæ orificium inter Nymphas. Aſt 1) clitoris monſtroſa ſua excreſcentia & magnitudine non ſolum in utrisque lateribus craſſiores efficiebat nymphas, ſed & longitudine & craſſitie ſua ovum columbinum ferme ſuperante meatum urinarium tegebat. 2) Loco meatus urinarii, in ſtatu naturali craſſitiem alias calami ſcriptorii obtinentis, fiſſura deprehendebatur, quæ latitudine duos, & longitudine quatuor transverſos digitos præterpropter æquabat. In hujus fiſſuræ orificio meatus urinarius naturali craſſitie præditus

conſpiciebatur, qui jam ob nimiam inflammationem tantum excitabat dolorem, ut laſciva hæc vix eſſet ſua, nec ego interiorem hujus fiſſuræ ſubſtantiam ob exinde ortum tumorem rite indagare poſſem. Sub hac fiſſura vera uteri vagina loco & partibus legitimis dotata deprehendebatur.

§. 22.

Tribades liquorem emittunt,

Quamvis autem a mentulatis ſeu in quibus clitoris in nimiam molem excrevit, & quæ ab hermaphroditis bene diſtingvendæ ſunt, ob ejus imperforationem nullus liquor, neque ſpermaticus neque alius per hanc partem emitti poſſit, annon tamen a talibus feminis, bene clitoriſatis, talique parte, inſtar virorum, aliis mulieribus ſceleſte cohabitantibus, in hoc actu laſcivo liquor aliquis, licet non ex clitoride, ſed ex lacunis vaginæ, tempore orgaſmi venerei effluere posſit, minime negamus; Quem tamen liquorem nequaquam pro ſemine femineo, quod tantummodo in ovulis continetur, agnoſcere debemus; de dicto autem lacunarum humore paulo infra pluribus agemus.

§. 23.

non imprægnant.

Utrum vero ejusmodi tribas ſeu incuba, quæ paulo antea cum marito coitum celebravit, aliam feminam ſeu ſuccubam virili ſemine imprægnare poſſit, non immerito dubitandum, etiamſi Amatus Luſitanus *Obſerv. Cent. 7. Curat.* 18. *p.* 711. id nobis perſvadere conetur, & quidem ſequentibus verbis: Duæ mulieres Turcicæ vicinæ multis coitibus, incubis & ſuccubis, ſeſe contaminabant polluebantve, quarum altera vidua erat, altera vero virum habebat. Cæterum, quum ſemel vidua ad coitum irritata alteram conjugatam ad coitum incitaret, & forte ea hora a marito, cum quo rem habuerat, diſcedentem, ſubcuba eſt facta; quo in coitu amplexuve poſt multam frictionem, attrectationemve ac ſeminis ejaculationem, uterus ſubcubæ viduæ, ingenti appetitentia, ſemen non ſolum mulieris incubantis, ſed virile, non multum antea in ejus utero relictum, ſuxit, a quo ſemine prægnans facta eſt, firmante ipſa variis juramentis habitis &c.

Hanc

Hanc hiſtoriam omnino falſam ac fictam a muliercula iſta esſe, ut probrum ſuum inhoneſto velamine contegeret, judicat Paulus Zacchias *Quæſt. med. leg. Lib.* 3. *Qv.* 8. 9. *n.* 17. *f.* 285. De ſuſpecta Amati fide vid. etiam Caſp. a Reies *Camp. Elyſ. Quæſt.* 41. *n.* 23. *p. m.* 502.

§. 24.

Tribadum coitus Deo diſplicet,

Nefandum hunc tribadum cum aliis feminis coitum ſummo DEO maxime diſplicere, teſtatur ipſius Apoſtolus Paulus ad Roman. *Cap.* 1. *verſ.* 26. Propterea gentiles tradidit DEus fœdis affectibus; nam & feminæ illorum transmutarunt naturalem uſum in eum, qui eſt præter naturam. Tales ſcilicet feminas gentilium tanquam fœdas ſcrofas, ob clitoridem ſeu mentulam muliebrem inſigniter prominentem, petulcas ſeſe commiſcuisſe, explicat Chriſtianus Franciſcus Paullini *M. N. C. Dec. II. An.* 5. *App. p.* 62. Ubi addit: Dicas, gentilium feminas tantum non omnes in illicitam hanc raptas libidinem, qui ergo in omnibus potuerit prominere clitoris? reſpondeo: majorem fuiſſe illis, atque noſtratibus mulieribus, ut itaque accedente ſummo veneris œſtro, facile excreverit.

§. 25.

lege humana prohibitus.

Pœna.

Attamen dictas fricatrices ſeu tribades talem illicitam venerem etiam ſecundum humanas leges non impune exercere, partim ex ſuperioribus conſtat, ubi tribadem Antverpianam a magiſtratu in carcerem compactam atque a medicis inſpectam ex Vopiſco Fortunato Plempio *fol.* 139. & aliam pœnas promeritas veritam ex patria aufugiſſe, ex Miſcellaneis Naturæ Curioſorum adduximus, partim etiam ex aliis autoribus, medicis æque ac Jure Conſultis, & quidem easdem gravi & nonnunquam capitali pœna affici, hoc loco inſerere volumus. Inquit nimirum Nicolaus Tulpius *Obſ. med. Lib.* 3. *cap.* 35. *p.* 255. Hoc impudicum mulierum genus ſcribit celebris Juris Conſultus Joannes Paponius morte puniendum. *L.* 22. *Tit.* 7. *areſt.* 2. ſed hæc tribas Henrica Schuria, clementiorem nacta judicem cædebatur duntaxat virgis, & relegata in exilium, ſeparabatur longiſſime a nequitiæ

ſuæ conſorte, videlicet illa vidua, quacum libidinoſius vixerat. Qua utique punita, ſed in urbe retenta, videbatur abunde diſſolvi illicitus deteſtandæ libidinis thalamus. Rodericus a Caſtro *de Natur. Mulier. Lib. I. cap. 3. p.* 10. Ulisſiponæ ob ſimile fœdiſſimum ſcelus aliquot mulieres publice puniri ſe vidiſſe ſcribit; quo autem pœnæ genere, dictus Autor non addit. Ad quæſtionem, qua pœna puniantur virgines ſeſe fricantes? ſequentibus verbis reſpondet Henricus Kornmannus *de Virginit. cap.* 48. *p.*134. *ſeq.* In fœdo illo & contra ſexus naturam mulierum inter ſe coitu ejusque pœna Clarus *lib.* 5. *ſentent.* §. *Fornicatio num.* 28. *verſu inter mulieres . adducit. l. fœdiſſimam* 20. *C. ad. l. Jul. de adult.* ut & Petrus Binsfeld *in tractat. de confesſion. malefic. C. Dubium hic moveri poteſt. verſic. cum nihil efficiatur*, *circa med. p.* 228. in eadem eſt ſententia, in qua lege pro hoc crimine impoſitam pœnam mortis eſſe volunt, & dicit Clarus eſſe communem opinionem, allegans Antonium Gomezium *ſuper legem* 80. *Tauri. num.* 34. ubi maxime, quod ſalvo excellentiſſimi D. Practici judicio dictum eſſe volo, hallucinatus mihi videtur, nam nullo verbo mulierum inter ſe coitus meminit ea lex, ſed de illis mulieribus, quæ ultro ſe ſtupro dedunt, ut & gloſſa ibi tenet, loquitur, id quod patet a contrario in iis verbis: Non earum, quæ per vim ſtupro compreſſæ ſunt. Ubi opponuntur per vim ſtupratæ, & quæ ultro ſeſe proſtituunt; quæ oppoſitio non procederet inter per vim ſtupratas & inter ſeſe coeuntes. Dicitur igitur fœdiſſima nequitia *in pr. d. l.* earum, quæ pudorem ſuum alienis libidinibus proſternunt, eo quod ultro poſcunt, quod alias ab ipſis rogatur, & ut gl. exponit, quæ mulier ſponte committit ſtuprum cum aliquo. Quo vero modo illa fricatio fiat, tacere quam exprimere melius eſt, ne virginibus memoria & cogitatio ejus rei daretur. *Gomez* plura refert, quibus id opus a virginibus exerceatur. Nicolaus Bœrius *Deciſion. Burdegalenſ. Deciſ.* 316. *n.* 14. *fol.* 660. hæc habet: Quid de duabus mulieribus actum venereum facientibus & ſe corrumpentibus (& iſtam quæſtionem

nem vidi in curia venire) & videtur quod non puniendæ, ut patet *ex d. Juven. 2. Satyr.* loquendo in personam mulierum

Tædia non lambit Cluniam, nec Flora catallam.

in contrarium, quod pœna ultimi supplicii puniri debeant. *leg. fœdissimam in principio C. de adult.* secundum unam lecturam *gloss. argum. l. cum vir eod. titut.* quam sequitur Cyn. qui dicit, quasdam mulieres fœdissima nequitia tentare, quæ libidinem suam exercent in alias mulieres, easque insectantur, ut viri, sicut de quibusdam maledictis fertur. Sic enim dicebatur de Francisca Lestaige & Catharina dela Maniere, civitatis Aquensis, de hoc accusatis & *cum gloss. transeunt Albe. de Rosa & Salic. ubi Alber. alleg. text. cum gloss. in authent. de non eligen. secundo nuben. §. cum igitur. circa sicolla.* 1 *in ver. luxuriantur.* quæ dicit luxuriam committi, si mulier cum alia femina agat, *per d. l. fœdissimam & per text. in auth. ut non luxurientur contra naturam.* Sed quia duæ supradictæ mulieres reprobaverunt testes: fuerunt relaxatæ, & quæ condemnatæ fuerant; ad quæstionem per Seneschallum Landarum in sede Aquensi. Christophorus Crusius *de Tortur. & Indic. delictor. Part. 2. cap. 18. de Sodom. n. 9.* scribit: Dixi in sexu eodem feminam cum femina sodomiam exercere, quod flagitium qualiter perpetretur, scire non proficit, ut dicit *l. 31. C. de adult.* Obscurum id haud fuit Martiali, quod arguit hic versus in epigrammatibus:

Miraris monstrum Thebano ænigmate dignum,
Hic ubi vir non est, ut sit adulterium?

n. 10. recensetur historia a Busbequio, Oratore Cæsareo, de moribus Turcarum in epistolis, quod mulier decrepita & annosa in balneis publicis amore juvenculæ nudæ apparentis, contra naturam capta, & postquam prece aut pretio non vicisset puellam, quantum insania postulavit, sexum ementita mutato vestium vultu pro viro se gessit, sese parentibus puellæ insinuans & ambiens matrimonium puellæ, cujus voti tandem compos facta est, peractis vero nuptiarum ritibus & comperta sexus veritate, publice anus accusata, damnata & in vicinum mare projecta & suffocata est.

§. 26.

juxta alios autores.

Juxta verba Jacob. Menoch. *de arbitrar. Judic. Quæstionib. & C ∫uſ. Caſ.* 286. *n.* 36. *fol.* 407. Quintus Coitus contra naturam eſt, qui dicitur contra naturam naturæ ipſius ſexus, ut quando duæ mulieres inter ſe actum venereum faciunt, fricando & ſe corrumpendo: non enim hoc eſt ſecundum naturam naturæ mulieris, quæ eſt ut cum maſculo coeat. *ita gl. in l. fœdisſimam C. ad l. Jul. de Adult. & in §. cum igitur. in auth. de non eligen. ſecun. nup. Cyn. in d. l. fœdisſimam & ibidem Albe. & Salice. & idem affirmarunt Card. in Clem. unica. q.* 13. *de conſan. & affinit. Decius in l.* 1. *n.* 9. *C. de ſecun. nupt. Alc. lib.* 10. *parer. c.* 11. *Bœrius in Quæſt.* 316. *in fi.* qui teſtatur, in ea curia Burdegalenſi hoc de crimine accuſatas fuiſſe duas mulieres, & alios caſus referens Anto. Gomez. *in d. l.* 80. *num.* 34. affirmat, hanc eſſe communem opinionem: quam declarat procedere, quando duæ ipſæ mulieres ſimul coeunt, non ſimpliciter fricando, ſed imponendo aliquod inſtrumentum materiale lineum, vel vitreum: ſi vero ſimplex fricatio intervenit, debent ſecundum eum puniri citra mortem, quod ego pro judicis arbitrio intelligo, & Gomezium ſecuti ſunt *Jul. Clarus in d. §. fornicatio verſ. inter mulieres & Petrus Grego. in libr.* 36. *Syntagma. c.* 14. *n.* 2. ſic etiam intelligi & declarari poteſt *Didac. in optione de ſponſal. in* 2. *par. c.* 7. *§.* 5. *n.* 7. *in fi.* cum dixit has mulieres ſimul coeuntes puniri debere pœna extraordinaria. Proſperi Farinacei verba *Oper. Criminal.* Part. 5. *Qu.* 148. *Tit.* 16. *Ampliat.* 6. *fol.* 712. ſic ſonant: Si femina agat, ut vir, in aliam feminam patientem, tunc etiam intrat pœna ſodomiæ & mortis, *ſecundum Salycos in l. cum vir. verſic. & idem dicas, ſi femina agit in feminam. C. ad l. Jul. de adult. Cynan. in l. fœdisſimam, vera. alio modo. C. eodem.* Ubi propterea dixit, quod ſunt quædam mulieres fœdiſſimæ nequitiæ, teniæ, quæ libidinem ſuam exercent in alias mulieres, easque inſectantur, ut viri, ſicut de quibusdam maledictis publice ſuo tempore ferebatur, *& ibi etiam Odofred. num.* 2. *verſiculo, quitur & alio modo. Salycet. nume.* 1. *verſiculo ſecundo*

cundo

cundo cum alia muliere. Angel. de malefic. in verbo, che hai adulterato la mia donna, num. 51. *Boerii Dec.* 316. *num.* 14. *Pract. Conr. rubr. de Sodomi. num.* 4. *Vers. videtur etiam. & in rubr. de stuprat. post. num.* 3. *Jodoc. in pract. crimin. c.* 96. *num.* 10. *& sq. Ant. Gomez in l. Tauri* 80. *num.* 34. *Menochius de arbitrar. quæst. lib.* 2. *Casu* 286. *num.* 47. *in addition. Petrus Caball. resolut. crimina. Cas* 19. *num.* 14. *Thomas Sanchez in Tractatu de matrimon. lib.* 10. *titulo de divort. disp.* 4. *numero* 5. Limita hanc XVII. ampliationem non procedere, quando mulier se corrumpit cum alia femina sola fricatione; secus quando agit aliquo instrumento materiali ligneo aut vitreo. Primo enim casu intrat pœna extraordinaria; secundo autem casu pœna mortis ordinaria, secundum Antonium Gomez. *in l. Tauri.* 80. *numero* 24. ubi propterea testatur, ita alias apud eum fuisse servatum, in quibusdam mulieribus se corrumpentibus sine ullo instrumento, quod fuerunt fustigatæ. Benedictus Carpzovius *Pract. Rer. criminal. Part.* 2. *Quæst.* 76. *de pœna sodomiæ regul.* 2. *f.* 210. inquit: Qui venere abutitur cum hominibus coeundo contra naturam, usu naturali relicto, capite truncandus est. Hoc crimen vere esse Sodomiticum, indubitatum est apud omnes. Idque tripliciter committitur: Primo quando masculus venerem exercet cum masculo, &c. Secundo si mulier abutatur venere cum muliere, in eamque libidinem suam exerceat, *l. fœdissim. ubi gloss. & Salyc. C. ad leg. Jul. de adult. Ord. Crimin. Carol. art.* 116. *in verb.* Weib mit Weib. *ubi Mat. Steph. D. Paulus in c.* 1. *ad. Rom. v.* 26. *Ibi: nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam. Nic. Boer. Dec.* 316. *n.* 14. *Pr. Conr. rubr. de Sodom. n.* 4. *Jo. Damhoud. d. c.* 96. *Ant. Gomez. in l. Tauri* 80. *n.* 34. *Pet. Caball. res. crim. Cas.* 19. *n.* 14. *Farin. d. q.* 147. *n.* 40. *Jac. Menoch. de arb. jud. q. l.* 2. *Cas.* 286. *n.* 47. *Ang. Aret. in tract. malef. in verb. che hai adulterato la mia donna n.* 51. Tertio: Quando vir cum femina præposteram venerem exercet, cognoscendo eam non membro debito, aut non debito modo, &c. Prolixe etiam de hac materia agit Jacobus Mollerus *de Cornut. & Hermaphrod. cap.* 6. *p.* 185. *sq.* *item.*

185. *seq.* ex quo adhuc sequentia annectemus: Usus, inquit, membrorum a natura concessorum, non potest cuiquam in crimen imputari, dum exercentur in eum finem, ad quem natura produxit, nec fiat contra praecepta Dei. Nec refragatur quicquam *l. foedissimam.* 20. *C. ad. L. Jul. de adulter.* quam regulariter interpretantur de femina agente tanquam vir, sicut *d. l. cur vir.* de mare patiente tanquam femina. Aliqui putant hunc textum intelligendum de femina incuba cum viro succubo agente, per vas tamen naturale, quod innuere videtur Farinacius *Quaest.* 148. *n.* 43. Sed haec opinio rejicienda est, quia licet hoc laudabile non sit, crimen tamen non est, imo & culpa caret, ut probat Thomas Sanchez *de matrimonio l.* 9. *Disp.* 6. *num.* 3. Alii interpretantur de tribade, nempe femina, quae tanquam mas in alia femina venerem explet, sive id fiat fricatione, sive clitoride, sive alio materiali instrumento, de quo *gloss. in d. l. foedissimam.* Julius Clarus *in §. Fornicatio. numero* 25. Farinacius *d. Quaest.* 148. *n.* 35. *&* 40. Tiraquellus *ad L.* 9. *Connubial. numer.* 107. Petrus Gregorius *in Syntagm. Jur. univers. lib.* 36. *cap.* 14. *n.* 2. Carpzov. *in Pract. crim. Qu.* 76. *n.* 17. ubi distinguendum putat Laurentius Mathaeu & Sanz. *in tract. de re criminal. dict. controv.* 48. *n.* 46. nam si femina clitoridem naturaliter aptum ad generandum habuerit, cum ad generationem ordinetur, non esse crimen credit; si fricatione, extra ordinem puniendam esse; si cum instrumento ligneo vel vitreo, poenam capitalem infligendam, ex doctrina Antonii Gomesii *l.* 80. *Taurin. n.* 34. quem fere omnes sequuntur; Licet Antonius Matthaeus absolute poena ordinaria teneri dixerit. De ultima autem specie textum interpretatur Dionysius Gothofredus *in d. l. foedissimam.* Sed quamvis superior doctrina cum adducta distinctione approbanda sit, non tamen interpretatio dicti textus probari potest, quia verba ejus non congruunt mulieri agenti, sed patienti foedissimam venerem. Nam imperator Diocletianus & Maximinianus sic dicunt: *Foedissimam earum nequitiam, quae pudorem suum alienis libidi-*

bidinibus prosternunt: namque de feminis pudorem prosternentibus, hoc est, prostituentibus, ut in *l. palam. ff. de rit. nupt.* vel subjicientibus, at *in c. venient. de accusat.* dicitur; quæ omnia patientis sunt, non agentis, & sic potius referendum ad meretrices vel feminas plurimorum stupra patientes, ut Dionysius Gothofredus in eodem textu interpretatur. Vid. etiam Joh. Georg. Simon. *Delineat. Impotent. conjugal. cap. 2. Thes. 5. n. 7. seqq. p. 50. seq.* Crudele genus pœnæ recenset Jan Mocquet *Itinerar. Lib. 4. p. m. 267.* inquiens: Als ein gewisser König zu Siam in Erfahrung kommen, daß seine Beyschläfferinnen und Neben-Frauen, derer eine grosse Anzahl, unter sich zuweilen durch Nachahmung der männlichen Natur, in Geilheit sich belustigten, so die Schönsten von dem Lande, die er nur bekommen kunte, hat er sie für sich bescheiden, einer ieden zum Zeichen ihrer Unkeuschheit, ein natürliches Glied auf die Stirne und beyde Backen brennen, und also lebendig ins Feuer werffen lassen.

§. 27.

Nefandi etiam tribadum coitus, quod scilicet viros ineant, meminit L. A. Seneca. *Epist. 95.* ita scribens: Feminæ virorum licentiam æquant, non minus pervigilant, non minus potant, & oleo & mero viros provocant, atque invitis ingesta visceribus per os reddunt, & vinum omne vomitu remittunt, (vel juxta editionem Parisiensem, remetiuntur,) æque nivem rodunt solatium stomachi æstuantis. Libidine vero nec maribus quidem cedunt, pati natæ, dii illas deæque male perdant: adeo perversum commentæ genus impudicitiæ. Viros ineunt. Hunc tamen Senecæ locum correcturus Marcus Antonius Ulmus *Physiolog. Barb. human. Sect. 3. cap. 22. fol. m. 234.* suspicans esse mendum in contextu, ita scribit: Viros a mulieribus iniri, quis asserere unquam valeat? neque interpretari licet alicui, tunc id esse verum, quando femina haud supina, sed prona concumbit, detestatur namque Seneca vitium infandum. Atqui fellare nemo dixerit hoc esse. Insuper ut αἰδοίῳ δερματίνῳ feminæ uterentur in viros, non foret istud fœminis potius quam & pueris pecu-

an mulieres viros ineant?

 liare,

liare, quapropter non absque ratione dubitari posse arbitror, an subsit mendum? utensque ingenio dicerem, aut expungendam esse vocem *viros* veluti superfluam, aut dicendum *ut viros imitantes ineant*. Optio sit alterutrius accipiendæ, vel afferatur melior & doctior. Justi Lipsii commentarius ad hæc Senecæ verba (*viros ineunt*) sic sonat: Flagitium & fœditas mihi quidem ignota, & apage a viris ipsis, meo voto. Utne hoc patiamur? Nego recte scribi, quo enim sensu? Ut feminæ in equo sedeant, quod brevibus puellis Ovidius concedit? Atqui nec illud schema est, quod sic merito exsecretur Seneca: & vel ita ineuntur, non ineunt. An ad Ligures aut Fellantes referas? non convenit hoc verbi, de ineundo: nec feminarum etiam ista magis, quam virorum. Mihi lubet corrigere, viri sunt, ineunt: & ad tribades referre. Illæ profecto virum agunt: & de istis Clemens Alexandrinus: καὶ γυναῖκες ἀνδρίζονται παρὰ φύσιν, γαμούμεναι τε καὶ γαμοῦσαι: Et feminæ viri sunt contra naturam & nubunt, & item ducunt uxores. Non persequor, nec retego stygiis tenebris dignam fœditatem. Possit & legi: Virosæ ineunt, quæ virum quærunt, virum agunt, v. L. Annæi Senecæ *Oper. Editio Paris. in folio* 1613. *fol.* 429. Hunc Senecæ locum Matthieu Chalvoet in versione sua Gallica *p. m.* 232. ita reddidit: Quant à la Paillardise, elles (les femmes) ne voudroyent rien quitter aux masles, n'estans nées que pour souffrir. Les dieux & les deesses les façent mal-heureusement mourir d'avoir trouvé une si perverse façon d'impudicité de monter sur les hommes. Nihilominus vero sententiam Senecæ de ejusmodi coitu perverso confirmare videtur Paulus Zacchias *Quæst. med. legal. Lib.* 7. *Tit.* 1. *Quæst.* 8. *n.* 24. *fol. m.* 598. & quidem non modo observatione, sed etiam responsione ad Ulmi explicationem. Ipsius verba sic sonant: Redit mihi in mentem id, quod mihi superioribus annis bona fide enarratum est: mulierem nobilem, cui puer quidam inserviebat, ejus pueri amore aliquando detentam, quæ non tam ab eo iniri, quam ipsum mascula venere inire ardebat: habebat enim mentulam

tulam muliebrem minimo digito virili & crassiorem & longiorem; hanc multoties cum eo congressam, ut libitum est, lassatam non satiatam, desiderio nequaquam expleto recessisse, quod semen forte ea ratione non posset emittere: Itaque ad naturæ viam semper regredi coacta, comprimendam se illi tradebat. Sic mihi narratum est, nec mihi hoc aliter, quam ex aliena narratione constat, nam lectori hæc pro veris imponere absit, licet difficilia non videantur. Ad hujus tamen rei confirmationem facit illud Martialis *Lib. 7. n. 66.*

Pædicat pueros tribas Philenis,
Et tentigine sævior mariti
Undenas vorat in die puellas.

Deinde pergit allegatus Zacchias: Scio Ulmum Patavinum hoc pro impossibili habere, & idcirco Senecæ locum emendasse nixum, quod non visum illi, Senecæ dictum ullam sortiri verisimilitudinem: sed apponamus hic Senecæ verba, ut sensus illorum promptius patescat. *Dii illas*, inquit, *deæque omnes male perdant, adeo perversum commentæ genus impudicitiæ, viros ineunt.* Ulmus igitur illud, *viros ineunt*, accipit pro eo, quod supra de muliere illa nobili & servulo retulimus, & quod de Phileni Martialis, hoc est, quod mulieres viros ipsos pronos supergredientes, clitoride penis vice usæ, mascula venere ineant. At hoc absque dubio verisimile non est, cum paucæ admodum tam insignem clitoridem obtineant, ut id perficere possint: at Seneca de vitio feminis sui sæculi familiari verba facit, præterquam quod idem clitoridis situs ad hoc obstaret: illud ergo, *viros ineunt*, non aliud mea sententia importat, quam subjacentes ac supinos viros supergredi, eoque modo venerem exercere, quod vitium & feminis nonnullis & viris familiare est, sed non sine eorundem virorum periculo. Non est ergo, quod Ulmus Senecæ locum emendare, ut inverisimilitudinem devitet, tantopere laboret: apud ipsum tamen plura vide scitu digna ac pulcherrima, quantum argumenti turpitudo permittit. Hæc Zacchias. Sane, nisi Seneca

per allegata verba coitum nefandum intellectum voluerit, vix tot tantaque feminarum sui temporis vitia simul apposuisset. Et quamvis pronæ & superjacentes feminæ, mentula etiam longissima dotatæ, viros supinos proprie inire nequeant, fortasse feminæ istæ maxime lascivæ atque salacissimæ, sive clitorides ordinariæ, sive extraordinariæ longitudinis habuerint, ejusmodi coitum nefandum cum viris exercuerunt. Quocunque autem modo nefandum illud delictum fuerit commissum, ad illa pertinet, de quibus scribit Apostolus Paulus, *ad Roman. capit.* 1. *v.* 26. Feminæ illorum mutaverunt naturalem usum in eum, qui est præter (vel juxta Sebast. Schmidii versionem, contra) naturam. *παρὰ φύσιν.*

§. 28.

Clitoris magna audit etiam cauda.

Porro circa nimiam clitoridis excrescentiam adhuc monendum venit, quod, si clitoris vel mentula muliebris naturalem magnitudinem excedat, nonnulli medici eandem caudæ nomine appellare, e contra vero alias excrescentias præternaturales, ejusdem loci, pro clitoridibus habere soleant; cum tamen inter clitorides nimis prominentes & inter caudas sic dictas, tam ratione substantiæ, quam loci, figuræ, effectus &c. magna sit differentia. Est enim clitoris magna, nympha veteribus dicta, incrementum præternaturale ipsius clitoridis, seu partis pudendi hactenus descriptæ, in loco ordinario, partim ex substantia membranacea & cartilaginea, partim ex musculosa constans, virilis mentulæ figuram referens, atque in extremitate habens glandem imperforatam, quæ tempore orgasmi venerei, perinde ac in viris crescit & erigitur, adeo ut tales mulieres, uti hactenus dictum, apud alias feminas virorum officium, pro viribus, subire tentent; post pruritum autem finitum clitoris magna interdum iterum decrescit, vel ad minimum erectionem perdit. Cauda vero est excrescentia quædam præternaturalis, substantiæ mollioris & quasi carnosæ, vel instar carnis luxuriantis, modo circa eundem clitoridis locum, modo in alio ab illa paulum distante loco exorta, os

pudendi

pudendi muliebris occupans, atque interdum in tantam molem excrescens, ut non tantummodo maximam clitoridem adæquet, sed etiam longe superet, caudæque instar tum tempore appetitus venerei, tum etiam continuo absque erectione & incremento in eadem magnitudine extra vulvæ labia promineat, vel intus lateat, sicque coitum sæpe impediat.

§. 29.

Hanc differentiam confirmant etiam alii autores; Scribit enim Hieronymus Mercurialis *de Morb. Mul. Lib.* 4. *cap.* 30. hos morbos ratione loci differre: si enim talis caro supra alas uteri, ubi pudenda committuntur, in quo loco est urinarius meatus, augeatur, appellatur hic morbus nympha, & κλήτοϱις, item ὑπόδεϱις. Si vero caro non gignatur circa uterum, sed solummodo in orificio ipsius, fit morbus, qui dicitur a Græcis κέϱκος & κέϱκωσις, Latinis cauda, vel ægritudo caudata, vid. Israel Spach. *Gynæc. fol. m.*286. Juxta Guerner. Rolfinc. *de Part. genital. Part.* 2. *c.*42. *p.* 193. excrescentiam nymphæ nonnulli vocant, cum κλείτοϱις protuberat, caudam vero, cum carnosa substantia simul excrescit. Daniel Sennertus *Pract. Lib.* 4. *Part.* 1. *cap.* 2. *p.* 10. caudam a clitoride ita distinguit: in clitoride coitus desiderium & libido augetur, & vestium attritus libidinem proritat; in caudata autem affectione seu carnea excrescentia feminæ coitum abhorrent, atque præ dolore tolerare nequeunt. Secundum Jacobum Primerosium clitoris peni respondet, cauda vero virilis membri effigiem non habet, sed est massa informis, quæ viri coitum impedit, nec illum mulieres tolerare queunt; in clitoride autem acrius in illum feruntur. vid. Theoph. Bonet. *Polyalth. Tom.* 3. *fol.* 2. Juxta Zacut. Lusit. *de med. princip. Histor. Lib.* 3. *Hist.* 8. *fol.* 466. differunt caudæ & nympha seu clitoris magna, quod illa intus juxta urinarium meatum, hæc vero in uteri orificio sit adnata. De cauda ita scribit Petrus Dionis *dans le Cours d'operations de Chirurgie Demonst.* 3. *p.* 196. *sq.* On appelle cercosis une excroissance de chair, qui sortant de l'orifice de la matrice le bou-

Differentia inter clitoridem & caudam.

che & le remplit; elle est quelquefois si longue, qu'elle ressemble à une queuë de renard; c'est ce qui lui fait donner ce nom derivé de Kerkin, qui veut dire tromper, parce que la queuë leur sert à tromper les autres animaux. Et juxta verba Albucasis *Lib.* 2. *c.* 71. Caro nascitur in orificio matricis aliquando, donec impleat ipsum, & fortasse egreditur ad exteriora, secundum similitudinem caudæ, & propter illud nominant ægritudinem caudatam, & quandoque magnificatur in quibusdam mulieribus, adeo donec expanditur, sicut in viris, & pervenit usque ad coitum. vid. Zacut. Lusit. l. a. v. etiam Marc. Aurel. Severin. *de efficac. Medic. Part.* 2. *cap.* 94. *fol. m.* 120. & Joh. Jonston. *Medicin. pract. Lib.* 10. *Tit.* 11. *cap.* 1. *Art.* 1. *p. m.* 624. Juxta Mich. Bernh. Valentin. *Chirurg. Sect.* 3. *cap.* 9. *p.* 392. cauda vulvæ est nihil aliud, quam Grecorum κέρκωσις, dum substantia quædam carnosa ab uteri osculo prodit, & pudendum muliebre replet, quod aliquando exterius progressum caudæ figuram refert. Caudam cum clitoride confundere videtur Joannes Varandæus *de morb. mul. Lib.* 1. *cap.* 13. *fol.* 562. Cauda, inquiens, est proprie excrescentia illa, quæ instar membri virilis contingit in mulieribus, dum processus ille parvus secundum naturam & leviter tantum inde prominens in media & pinguiore pubis parte superpositus, & e directo respondens meatui urinæ, qui in pudendum inseritur, ita augetur, ut erigi instar penis & insigniter prominere valeat.

§. 30.

non semper attenditur. Sæpissime autem talem differentiam inter clitoridem magnam atq; caudam confundi, testantur sequentes observationes, siquidem notam illam excrescentiam instar colli anserini, a Platero observatam, plerique autores pro exemplo clitoridis nimium excrescentis adducere solent. Inquit autem Felix Platerus *Observ. medic. Lib.* 3. *p. m.* 667. In Pudendi rimæ divisæ superiori sede, supra meatum urinarium, ubi clitoris eminet, cuidam urbis nostræ ex bona familia feminæ, excrescentia quædam enata, adeo excrevit, ut collum anserinum amplitudine & longitu-

dine

dine exprimeret. Hanc obſervationem multi autores, uti modo dictum, magnis clitoridibus annumerant; cum tamen potius pro excreſcentia carnoſa ſeu polypoſa judicanda ſit; hinc etiam ipſe Platerus nihil certi ſtatuens ita ibidem pergit: An clitoris ſic adaucta fuerit, vel aliud ſarcoma, non licuit, cum nollet hoc mihi oſtendere, diſcernere; ex contactu tamen illius, quem non niſi locis vicinis bene tectis concedebat, carnem referre cognovi. Econtra ſequens obſervatio, quam Zacutus Luſitanus *de Prax. medic. mirab. Lib.* 2. *Obſ.* 91. *Oper. fol. m.* 63. recenſet, atque talem excreſcentiam pro cauda judicat, potius clitoridibus magnis erit annumeranda. Ita autem ſcribit Zacutus *l. a.* Quando caro in uteri orificio progignitur, lædens coitum & impediens ingreſſum & egreſſum ſeminis, priſci caudam ſeu caudatam ægritudinem nuncuparunt, quoniam caro hæc ab uteri ore ita propagatur, ut muliebre pudendum repleat, & foras caudæ modo promineat, & virile membrum mentiatur. Horribilis affectio eſt & odioſa, nam concubitum & conceptionem impedit. Hac moleſtiſſima ægritudine erat affecta illuſtriſſima & honeſtisſima virgo, quæ obortis lacrymis ſæpe apud me conqueſta eſt, ut illam a tanta anguſtia liberarem. Nam ſolo veſtium contactu quidpiam in ore uteri mentulæ inſtar multoties inflari, turgeſcere atque erigi ſentiebat, & laceſſita venereisque imaginationibus illaqueata ad venerem irritari cogebatur. Tanto malo obſita, quo anima vel ſepties in die cum libidinis conceptu DEum graviſſime offendebat, & metu perculſa, ne in graviora damna laberetur, meam pro hoc fœdo vitio propulſando opem, dato prius fidei & ſilentii juramento, obnixe expoſtulabat. Explorantes uterum, carunculam corrugatam inveniebamus, ex pubis osſis regione prognatam, & per pudendi rimam, digiti dimidii indicis longitudine, & aliquali circa baſin craſſitie erumpentem, in cujus extremo quidpiam aderat glandi ſimile, præputii inſtar, tenuiſſima cute contectum, rugoſum, flaccidum & laxum, ſine meatu ullo, qui in viris excernendo ſemini eſt dicatus. Hanc

P carun-

carunculam, cum ipsa erat veneris stimulo agitata, ita extuberare fassa est, ut extra rimam penis instar penderet. Quis autem ex signis paulo ante adductis non videt, hoc caudæ exemplum potius ad clitorides, antecedens vero ad caudas esse referendum?

§. 31.

Exempla caudæ. Liceat autem pauca adhuc ejusmodi sarcosis, seu caudæ exempla adducere: Anno 1662. d. 30. Maji Lipsiæ subjectum femininum cultro anatomico explorabatur, quod ob nimiam lasciviam & adulterium commissum decollatum erat. Illius desiderium neque a marito, neque ab aliis satiari, vel ab ullo ingravidari poterat. In dextro latere arteria spermatica bifida reperiebatur. Extra collum uteri pendebat excrescentia carnea circa interius colli orificium adnata, longitudine digitum minorem, crassitie vero lumbricum ferme æquans, quæ uteri collum exacte claudebat, & loco obstaculi erat, ut nullum semen uterum ingredi potuerit, referente Casparo Theophilo Bierlingio *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obs. 208. p. m. 311.* Phymate seu tuberculo quodam oblongo in angustiis matricis nobilis quædam & generosa domina usque adeo afficiebatur, ut ejus impedimento difficilior redderetur marito initus, malo hoc clam detecto, consilium ob conjugis molestiam cum pudore rogabat a Johanne Wiero, uti in observationibus suis *Lib. 1. Oper. pag. m. 942.* recenset. Ad caudas absque dubio referenda est excrescentia illa clitoridis, cujus meminit Johannes Helwigius *Obs. 138. p. m. 378.* scilicet rusticæ cuidam Bavaricæ clitoris in tantum excreverat, ut longitudinem dimidii cubiti adæquaret, in crassitie vero pollicem viri robusti, atque sic impedita vix erecta incedere aut munia sua domestica exquisitim obire posset. Idcirco in auxilium vocatus chirurgus unico inflictu mulieri huic clitoridem usque ad pubem abscidit. Cum vero clitoris ad dimidii cubiti longitudinem vix excrescere possit, potius hanc pro excrescentia carnosa, cum præsertim ob impeditum incessum semper in eadem magnitudine mansisse videatur, clitoris econtra post orgasmum in tan-

tum

tum decreſcat. Amatum Luſitanum caudam ponderis viginti quinque librarum vidiſſe, refert Theophilus Bonetus *Polyalth. Tom. 3. cap. 1. f. 3.* Non inepte etiam ad caudas referri poteſt excreſcentia cujusdam carunculæ myrtiformis, cujus meminit Franciſcus Mauriſæus ſeu Mauriceau dans les obſervations ſur la Groſſeſſe *Obſ. 313. p. m. 183.* inquiens: Le 23. Juillet 1682. une femme accouchée depuis un mois de ſon premier enfant, vint chez moy masquée, pour me prier inſtamment de remedier au trop grand alongement, qui s'eſtoit fait d'une des caruncules myrtiformes, par le dechirement de la partie inferieure de la vulve, dans le temps de ſon accouchement, ou elle n'avoit eſté aidée que par une ſage femme, qui luy avoit fait, a ce qu'elle me dit, une extreme violence en cette partie: & comme l'alongement de cette caruncule, qui excedoit d'un travers de doigt, l'eminence des l'évres de la vulve, deplaiſoit fort a cette femme; je ſatisfis ſon deſir en retranchant le ſuperflu de cette caruncule, par une ligature que j'y fis, pour eviter le flux de ſang. Elle fut parfaitement guerie en cinq ou ſix jours, & ſa partie figurée comme elle le ſouhaitoit, per cette operation, que je luy fis, pour ſatisfaire a ſon inſtante priere, ſans m'informer ſi c'eſtoit pour mieux plaire a ſon mary, a qui l'alongement extraordinaire de cette caruncule pouvoit paroiſtre indecent. Quandoque tamen etiam reperiuntur clitorides nimis tumidæ & monſtroſæ, v. g. de clitoridis tumore aquoſo ſequentem obſervationem recenſet Georgius Hieronymus Velſchius *Epiſagm. Obſ. 78. p. 51.* Cum 1655. Antonius Molinetus Patavii tumorum naturam & curationem explicaret, narrabat, tumorem ingentem Venetiis ſibi viſum, seroſo humore plenum & pellucidum ex apice clitoridis enatum, atque fere ad pedes usque propendentem, quem ſimplici amputatione feliciter percuravit, novem libras pondere exæquantem. Item clitoridem in furore uterino φλόγωσιν concipere & manifeſte tumere annotavit Antonius Menjotus, uti ex ipſius Diſſertationibus allegat Thomas Bartholinus *Epiſtol. Medic.*

Cent. 3. *Epist.* 94. *pag.* 407. vid. etiam ejusdem Anat. *Lib.* 1. *cap.* 34. *pag.* 292.

§. 32.

Clitoridis resectio. Cum autem nimia clitoridis excrescentia secundum hactenus dicta non modo in puellis deformitatem causetur, sed postmodum etiam, indies crescendo, coitum mariti impediat seu virile membrum non admittat, solliciti fuere Arabes atque Ægyptii, tale enorme atque inutile clitoridis incrementum, quod ipsis malum endemium est, statim in infantia & ante pubertatem removere, & quicquid ipsius immodestius prominulum conspicitur, abscindere & inurere solent; quam operationem per conductas ad id provectioris ætatis feminas exerceri curant, eamque *Circumcisio* improprie circumcisionem appellant. *v. M. N. C. Dec. II. An.* 5. *Append. p.* 63. Hanc resectionem Ægyptiis puellis Thomas Bartholinus *Anat. Lib.* 1. *cap.* 34. *p.* 293. ob excrescentis clitoridis deformitatem tam necessariam, quam decoram judicat; nudæ enim in Ægypti Alcairo puellæ sine velamine post hanc circumcisionem demum aut matrimonium indusio vestiuntur. Alii hujus circumcisionis adhuc alias allegant rationes; duabus enim vel tribus de causis apud Ægyptios in virginibus clitoridem, ubi multa promineret, excidi solere refert Hieronymus Fabricius ab Aquapendente *de Chirurg. Operat. fol. m.* 277. Primo quod existimarent, hanc partem plus justo prominentem actui venereo incommodam esse, quod in vulvæ orificium incidat & colis ingressum liberum prohibeat. Secundo, quia existimarent, nefas & piaculum esse, mulierem quoque virum agere posse. Tertio, ut modestiores feminas redderent, & inexplebilem libidinem, locis illis æstuosis feminas urgentem, per nymphæ seu clitoridis amputationem, quæ veneris aculeus & tentigo est, refrenarent, nam hæc pars formam colis & substantiam, corporisque proprietatem exacte refert, proindeque & oblectationem & omnem penis actionem habere necesse est. Præter primariam amputationis clitoridis causam, scilicet ne coitum cum viro impediat,

pediat, aliam quoque & quidem secundam Hieronymi Fabricii, nimirum ne tali excrescentia, peniformi scelestè cum aliis feminis abutantur, agnoscit Petrus Dionis *des Operat. de chirurgie Demonstr. 3. p.* 196. Inquit enim dictus autor: Le clitoris croît quelquefois tellement, qu'il devient long & gros, comme la verge de l'homme: cela arrive frequemment aux Egyptiennes. Les Europeennes, qui l'ont plus gros, que les autres, sont appellées des Ribaudes, parcequ'elles en peuvent abuser & se polluër avec d'autres femmes; c'est ce qui en a fait proposer l'amputation, pour ôter à ces femmes le sujet d'une lascivité continuelle: mais il en est peu, qui se soumettent à cette operation; Car si une femme est sage, elle n'en abusera pas; si elle est debauchée, elle ne se privera pas volontairement d'une partie, qui contribue au plaisir, qu'elle trouve dans sa debauche.

§. 33.

An clitoris magna matrimonium impediat?

Quodsi proinde nimia clitoridis & caudæ excrescentia, secundum hactenus allegatos autores, inter alia, cohabitationem viri seu congressum matrimonialem impediat, siquidem juxta Mich. Alberti *Jurisprud. Medic. Part. prior. cap.* 2. §. 29. *p.* 45. clitoris enormi magnitudine prædita congressum maris respuit, oritur

Quæstio:

An feminæ nimia clitoride vel alia excrescentia præternaturali, cauda dicta, laboranti matrimonium sit interdicendum, vel etiam iterum dissolvendum?

Quæ quidem quæstio supervacanea exinde videtur, quia talis prodigiosa clitoridis, ad colli anserini vel dimidii cubiti longitudinem excrescens quantitas, uti paulo ante ex Platero & aliis allegavimus, juxta Guerner. Rolfinc. *de Part. genital. cap.* 42. *p.* 193. nostro seculo raro reperitur. Cum vero nec medicis omnia mulieres vexantia incommoda, imprimis hoc in passu, manifestentur, vel detegantur, fortasse plura ejusmodi, tam clitoridum, quam caudarum majorum exempla dantur, quam revelantur; quapropter circa hanc quæstionem, si quando occurreret, pau-

cis moneo, distinguendum esse inter clitoridis & caudæ molem majorem & minorem. Licet enim clitoris parva tempore orgasmi venerei aliquatenus erigatur, vix tamen omnimodam viri admissionem impediet. Quodsi vero clitoris adeo monstrosæ sit magnitudinis atque simul crassitiei, ut in pruritu ob rigiditatem suam viro cohabitationem irritam aut tædiosam reddere possit; vel etiam si longior atque crassior excrescentia carnea, Medicis caudæ nomine veniens, mentulæ virili ingressum in vaginam uteri penitus occludat, vel ab intra excrescens eundem impediat, tunc, mea quidem sententia, virginibus adeo mentulatis vel constitutis, ob varia metuenda incommoda, ante curationem Chirurgicam, matrimonium dissvadendum erit. Deinde quoad feminas maritatas, seu quæ cum ejusmodi mentulæ muliebris excrescentia jamjam per tempus in matrimonio vixerunt, si quando, ob tale coitus legitimi impedimentum, ab altera parte dissolutio matrimonii expetatur, contra hanc conjugum separationem equidem excipi posse videtur, quod, quamvis interdum clitoris in orgasmo monstrosam magnitudinem acquirat, possibile tamen sit, ut mulieres ita clitorisatæ nihilominus absque magno veneris œstro, sicque sine clitoridis erectione & intumescentia, cohabitationem virilem admittere queant. Porro excipi quoque contra dissolutionem posset, quod fortasse etiam clitoris, nisi sit nimis rigida, tempore coitus in tantum declinari vel in latus reflecti queat, ne actum venereum penitus impediat; ut de coitu averso, (de quo in Spermatologia nostra *cap.* 5. §. 9. *seq. p.* 231. *seqq.* egimus) hoc loco jamjam conjugatis, loco separationis, fortasse admittendo, nil dicant antagonistæ, imprimis si mentula muliebris durante matrimonio in tantam magnitudinem, coitum adversum impedientem, excreverit. Contra has tamen exceptiones respondeo, quantum cohabitationem attinet, quæ cum femina, tali tentigine laborante, absque ipsius orgasmo venereo fieri debet, vix mihi talem possibilem fore credo, siquidem feminæ taliter clitorisatæ maxime sunt libidinosæ,

bidinosæ, atque a solo salaci & frequenti clitoridis attactu tantam excrescentiam sunt adeptæ, hinc etiam statim in præludio venereo, absque dubio ab orgasmo seu salacitate ad clitoridis erectionem stimulantur, ut in ejusmodi feminis coitus sine appetitu venereo (quem quidem in aliis feminis abstemiis quandoque concedo) nonens mihi videatur. Quod pariter ad rigiditatem in clitoride magna erit applicandum. Quod confirmare exemplum videtur nimiæ coitumque impedientis clitoridis, quod Nicolaus Venette *de la Generat. de l'Homme Part. 4. Art. 3. cap. 3. p. m.* 586. sequentibus verbis recenset: Un homme est bien surpris la premiere nuit de ces nôces, quand dans la chaleur de sa passion touchant sa femme avec tendresse, il ressent un membre aussi roide, que le sien, qui luy frappe le ventre. C'est alors qu'estant tout éperdu il sort du lit, & s'imagine ou être ensorcelé, ou qu'on a voulu se railler en luy donnant un homme pour une femme, qu'il avoit choisie. Cependant, à la clarté d'une bougie il apperçoit le visage de sa femme, qu'il appelle avec douceur, mais il n'y a ny caresse ny complaisance, qui le puissent tirer de l'etonnement, où il est, si son ame en revient un peu, ses parties amoureuses n'obeissent pas si tost a sa passion. Neantmoins, comme l'amour est un enfant, on l'appaise enfin, quand on le flate. Les parties naturelles de cet homme sentent donc une seconde fois les atteintes de l'amour; mais il n'a pas si tost fait une secunde tentative, qu'il est aussi surpris qu'auparavant, & ce qui accroist encore davantage son etonnement c'est, qu'il ne peut se debarasser d'entre les bras de son epouse, qui le presse de la poitrine à mesure que sa passion augmente. C'est alors qu'il ne doute plus des charmes; car dans cette occasion par une étrange metamorphose, l'homme devient comme une femme, & la femme prend la place d'un homme: si bien que celuylà à ses parties toutes fletries & toutes moletes par la surprise où il est encore, & celle-cy à les siennes toutes en feu, & est en estat de faire épreuve de sa vaillance. Enfin cet homme estant un peu

revenu

revenu à luy se met en devoir d'examiner la cause de son étonnement, il n'a pas plustot jetté les yeux sur les parties naturelles de sa femme, qu'il apperçoit une verge droite & dure comme la sienne. Il l'interroge la-dessus. Elle luy repond avec assez de pudeur & de sincerité, qu'elle croit, que toutes les femmes sont faites comme elle, & elle luy avouëra veritablement ce qu'elle en a ressenty depuis qu'elle se connoit. Elle luy dit donc, que pandant l'hyver le froid excessif fait presque entierement retirer son clitoris, & qu'en ce temps-là il ne paroist ny plus long ny plus gros, que la moitié du petit doigt; mais que, dés que la chaleur de l'esté se fait sentir, cette partie se grossit & s'allonge extremement, d'où vient, ajoute-t-elle, qu'il ne faut pas s'étonner, si elle est presentement si grosse & si longue, puisque nous sommes dans les plus longs jours, & dans les plus violentes chaleurs. Elle luy avouë encore, qu'elle n'a point vû de femme plus amoureuse, qu'elle, & que, lorsque quelque personne luy plaist, ou que l'amour luy echauffe l'imagination, elle sent, que celle partie s'agite, se roidit & s'endurcit même contre sa volonté: Qu'elle n'a jamais éprouvé avec personne ce qu'elle estoit capable de faire, mais qu'elle s'apperçoit bien maintenant par l'etonnement, & par les transports, qu'elle remarque en luy, que cette partie n'est pas semblable dans toutes les femmes. Le mary s'estant pleinement informé de toutes choses & ayant meurement deliberé sur ce qu'il devoit faire en cette occasion, luy propose de communiquer, son deffaut à quelqu'un de ses amis. Elle y consent aussitost, & le mary en parle incessement à un sage & docte medecin, qui pour satisfaire aux prieres du mary & aux larmes de la femme, se met en devoir de couper cette partie, qui est d'une excessive grandeur. On la lie donc & on la laisse ainsi liée pendant un jour, aprés quoy il survient de si fâcheux accidens, qu'à cause de cela on n'en pût faire extirpation. Quodsi vero feminæ in conjugio jam viventes magnam caudam a variis causis contraxerint, tunc malum patienter ferendum erit. Quod denique coitum

aversum,

averſum, quem alii ſuadere poſſent, attinet, in clitoridis equidem magna excreſcentia ejusque erectione talis coitus faciliorem peni virili aditum atque ingreſſum concedet, vix autem in omnibus excreſcentiis caudatis idem expectandum erit. Quapropter potius eo allaborandum mihi videtur, ut tam clitoridum, quam caudarum excreſcentiæ in tempore & ante matrimonium manu chirurgica tollantur.

§. 34.

Curatio autem ſeu ablatio dicti mali, & quidem tam ratione clitoridis, quam caudæ, a Medico-Chirurgis varie inſtituitur, quorum equidem pleriq; hujus partis reſectionem ſuadent, quæ tamen in dicta parte maxime ſenſibili & nervoſa varia ſymptomata excitare poteſt, quapropter alios clitoridem imminuendi aut extirpandi modos alii docuerunt. Scribit enim Daniel Sennertus *Pract. Medic. Lib.* 4. *Part.* 1. *Sect.* 1. *cap.* 2. *p. m.* 8. *ſeq.* curationem excreſcentiæ clitoridis quod attinet, ſi tantum hæc pars increverit, ut aliquod impedimentum vel turpitudinem afferat, reſecandum eſſe plerique cenſent. Verum cum pars hæc partim naturalis ſit, partim augmentum præternaturale ipſi acceſſerit, & præterea hoc in loco vulnera & ulcera cicatricem difficulter recipiant, tutiſſimum videtur, non ſtatim ad ſectionem accedere, ſed prius, corpore convenienter evacuato, tentare, an augmentum partis ſiccantibus & diſcutientibus prohiberi & imminui poſſit. Deinde ſi hæc non ſufficiunt, cauſtica mitiora, & quæ dolorem non excitant, adhibenda: Si vero nec hoc modo, quod ſuperfluum eſt, tolli poſſit, alio auferendum eſt, quod fit vel ligatura, ſi filo ſerico, vel capillo equino, circa radicem ligetur, & quotidie magis magisque conſtringatur, donec tandem emortuum decidat. Ligaturam vero filo materia cauſtica imbuto, quam nonnulli ſuadent, Felix Platerus ita doloroſam in matrona quadam vidit, ut nullam amplius chirurgiam admittere voluerit, juxta Mich Bernh. Valentin. *Chirurg. Sect.* 3. *cap.* 9. *p. m.* 391. *ſeq.* vid. etiam Theoph. Bonet. *Polyalth. Tom.* 3. *Lib.* 5.

Cura clitoridis magnæ.

cap. 1. *fol.* 3. Locus autem Plateri, in duobus his autoribus non allegatus, extat in Felicis Plateri *Observ. Lib.* 3. *p. m.* 667. ubi inquit: cum femina excrescentia instar colli anserini in pudendo laborans, ut amputaretur, nollet concedere, filo arsenico imbuto chirurgus circumligavit; sed cum magnus dolor inde suboriretur atque inflammatio, eo mox amoto hisce erat occurrendum; quibus sedatis illa nihil amplius adhibere voluit; sed pene quinquaginta annos hoc affectu molestata, & dum marito cohabitaret, tum postea, vidua facta, tandem ætate & morbo confecta obiit. Non immerito etiam monent autores, non statim ad amputationem clitoridis esse progrediendum, sed antea alia medicamenta externa & interna adhibenda, quæ apud Johannem Baptistam Verduccium dans la *Suite de la Pathologie de Chirurgie cap.* 42. *p. m.* 1066. *seq.* reperies.

§. 35.

Operatio chirurgica Clitoridis.

De ipsa autem operatione chirurgica, seu de modo, clitoridem & excrescentias polyposas seu caudas exstirpandi, tam veteres, quam recentiores autores agunt. Ex Aetio amputationem ita describit Daniel Sennertus *l. a.* Virgini in sella locatæ retro assideat adolescens robustus, qui brachia sua poplitibus virginis subjiciat, cruraque ejus ac totum corpus tegat, & tum chirurgus ante ipsam stans forcipe ampliori nympham (i. e. clitoridem) corripiat & per sinistram manum distendat, per dextram vero prope forcipis dentes resecet. Mensuram autem resectionis eandem, quam in columellæ sectione servare oportet, ut ne funditus ipsam resecemus, sed supervacua tantum pars amputetur, &c. Peracta chirurgia, spongia ex vino adstringente aut aqua frigida expressa vulnus detergeatur, &c. Plura vide ibidem. Item Hieron. Fabric. ab Aquapend. *Oper. fol. m.* 277. ubi addit: melius erit tum ad dolorem, tum ad rhyada vitandum, forcipe angustiore ipsam apprehendere sensimque stringere, ut adstrictione sensus hebetetur, inde præcidere. Hanc chirurgiam excisioni polypi plane similem esse scribit Johannes Scultetus *Ar-*

tus *Armam. Chirurg. Tab.* 43. *p.* 102. ibidemque inſtrumentum depingit, quo Hieronymus Fabricius enorme, inutile & damnificum generi feminino clitoridis incrementum abſcindat. Anno 1659. chirurgus & lithotomus Auguſtanus unico inflictu mulieri Bavaricæ clitoridem ad longitudinem dimidii cubiti, in craſſitie vero ad pollicem viri robuſti, usque ad pubem abſcidit, adhibitisque ſangvinem ſiſtentibus ac epuloticis intra breve tempus eam decori naturali reſtituit; pars abſciſſa autem corrugata poſtea brevitate ſua anteriorem pollicis articulum vix æquabat, juxta Joh. Helwig. *Obſerv.* 138. *p.* 378. Petrus Dionis *des operations de chirurgie p.* 169. clitoris longioris curationem ita inſtitui jubet: Si un Chirurgien eſt obligé de retrancher cette partie, il la prendra de la main gauché pour la couper avec un couteau courbe, le plus prés de ſa racine qu'il pourra, evitant de toucher ni a l'uretre, ni aux lacunes, qui ſont autour de clitoris, ce qui cauſeroit, s'il offenſoit ces endroits, un ecoulement involontaire de l'urine, ou de la liqueur ſeparée par les glandes voiſines du clitoris. Cette operation n'eſt pas ſi dangereuſe, que l'on pourroit ſe l'imaginer, parce que ce n'eſt qu'une partie ſuperfluë, que l'on ampute. Il n'y a que le ſang qui en ſort, qui pourroit étonner le chirurgien: mais s'il laiſſe bien degorger les vaiſſeaux, & qu'il mette ſur la playe un gros plumaceau, couvert de poudres adſtringentes, un emplâtre, une compreſſe epaiſſe, & un bandage, qui comprime le tout, il arrêtera bientôt cette liqueur a cauſe que les vaiſſeaux preſſez entre l'os pubis & le bandage ne pourront plus en verſer. Zacutus Luſitanus *de Prax. medic. lib.* 2. *Obſ.* 91. *Oper. Tom.* 3. *fol. m.* 63. curationem nymphotomiæ a venæſectione orſus eſt, cum juvencula eſſet & bono corporis habitu prædita; Poſtquam rite menſtrua fluxerant, quo tempore titillato ultro ob ſanguinis calidiſſimi ardorem, pruritum ſentiebat & caro nimium excreſcebat, chirurgus forcipe leniter curioſeque carunculam apprehendens, novacula radicitus reſecuit. Vulnus adſtringentibus curatum, & ſarcoti-

cis deinde, aptisque linamentis, albo ovi madefactis, citra notabilem hæmorrhagiam feliciter persanatum. Cornelius Solingen *Oper. Chir. Part. 3. cap. 27. p. 310. seq.* feminæ luci expositæ clitoridi nimis elongatæ lemniscum seu tæniam annectit, nodoque obfirmat, deinde prehensis utrisque lemnisci extremitatibus clitoridem antrorsum extrahit, eandemque a parte superiore ad inferiorem usque proxime circa corpus forcipe abscindit, ac denique secundum artem consolidat. Ipsius Cornelii Solingii verba *l. a. p.* 212. sic sonant: Soude men die lange clitoris willem amputeren, wilde eerst voor om de sodanige clitoris een strick leggen, ende een knoop daer op, en trecken soo by de eynden van de strick, de clitoris voorwaers uyt, van de op den rugh, en tegen't ligt leggende vrouwmens, en snyden die digt by't lyff af met een schaer, van boven af na beneden toe te beginnen, verbindende en genesende die quael na de konst. Juxta Johannem Varandæum *de Morb. Mulier. Lib. 1. cap. 13. Oper. fol. m.* 563. uterque affectus tam nympha seu clitoris nimis magna, quam cauda, unicam exposcit curationem, quæ perita artificis manu perficitur. Apprehensa enim tentigine volsettis, rescindatur novacula aut forficibus, quicquid præter naturam excrevit: deinde ubi aliquid sanguinis fluxerit, aduri debet ferro ignito, vel aqua secundaria attingi, oleo vitrioli aut sulphuris, ut sic vulnus hoc constringatur, & altiori cicatrice claudatur, ne amplius repullulare valeat.

§. 36.

Cura caudarum. Ratione curæ caudarum seu excrescentiarum in vulva præternaturalium autores quidam etiam, uti in clitoride, non statim resectionem, sed medicamenta exsiccantia & corrosiva, postea que ligaturam commendant. Inquit enim Jean Baptiste Verduc *dans la Suite de Pathol. de Chirurgie cap.* 42. *p.* 1067. Les excroissances de chair de vagin en forme de queuë donnerent toujours bien de la peine à guerir. Si elles sont petites, on les pourra consumer par des corrosifs, ou par les desiccatifs, &c. Johannes

Wierus

Wierus *Obſ. Lib.* 1. *Oper. p. m.* 942. talem caſum cum cura his verbis recenſet: In affectuum colli matricis catalogo recenſetur phyma, ſive tuberculum quoddam oblongum in iis anguſtiis enatum: quo cum nobilis & generoſa domina usque adeo afficeretur, ut ejus impedimento difficilior redderetur marito initus, malo hoc clam detecto, conſilium ob conjugis moleſtiam cum pudore rogat. Ego auferendum cenſui. At ad ejus inſpectionem non admiſſus, ſciſcitatus vero, num digitis id comprehendi poſſet? illa annuit. Ut itaque fili ſericei duplicati, cereaque firmati, vinculo ad radicem id conſtringeret, indiesque arctius contraheret, donec tandem filo prorſus conſtricto abſciſſum decideret, ſuaſi. Hæc dicto audiens, conſiliumque felici ſucceſſu ſequuta, indicavit poſtea, ſe phyma illud eo modo ablatum ſecuiſſe, & lacteum quiddam emanaſſe. Poteſt vinculum hoc ſericeum etiam efficacius reddi, ſi requirat neceſſitas, ut nimirum antea horas aliquot in aqua ſublimata vel forti ter aut quater maceretur & exſiccetur. Hieronymus Fabricius ab Aquapendente *l. a. f.* 277. ſarcoſis ſeu excreſcentis carnis, ab uteri ore propaginis, & muliebre pudendum replentis, tutiorem intus præciſionem fore exiſtimat inſtrumento polypo præcidendo accommodato. Juxta Joh. Jonſt. *Id. univ. medic. l.* 10. *tit.* 11. *c.* 1. *art.* 1. *p.* 624. curatio caudæ, ſi amputanda eſt, fit vel equino crine, vel filo ſerico, in aqua ſublimata intincto, vel ferro. De exſtirpatione caudæ ita ſcribit Dionis *des Operat. p.* 196. L'excroiſſance de chair ou cercoſis eſt aſſez ſemblable à celle des polypes, auſſi par extirpation en l'arrachant comme le polype avec une pince faite en bec de gruë, ou par ligature, en la liant tout proche ſa racine avec le fil, ou par inciſion, en la coupant entierement avec un couteau courbe, ou avec un ſcalpel. C'eſt au chirurgien a ſe ſervir du moyen, qui lui ſera le plus commode pour emporter cette chair, & il ſe conduira d'ailleurs avec les circonſpections neceſſaires pour en conſumer les racines, & procurer la cicatrice. Plura hiſtorica de mulierum circum- vel potius exciſione vid.

Christ. Franc. Paullin. Philosophische Lust-Stunden 2. Theil *no.* 61. *p. m.* 422. *seqq.* it. Laurent. Heister. *Chirurg. Part.* 2. *cap.* 134. & 136. *p.* 655. *seq.*

§. 37.

Nymphotomia quid proprie sit?

Denique, cum hactenus aliquoties loco clitoridis ejusque amputationis vocabulum nymphæ atque nymphotomiæ usurpaverim, paucis adhuc ex §. 2. hujus capitis monendum restat, talem denominationem non modo veteribus, sed nonnullis etiam recentiorum anatomicorum in usu fuisse, hinc etiam in eorum allegatis, eandem retinere volui, licet proprie dictum non sit, cum non tantum partem ipsam, scilicet clitoridem, cum nymphis, sed etiam curam confundat; siquidem hodiernis anatomicis illa pars, de qua hactenus egimus, tantum clitoris, aliæ autem duæ partes, de quibus mox dicemus, nymphæ vocantur; quapropter, ubi in hactenus dictis nymphotomiæ mentionem feci, hanc operationem non de nympharum, sed clitoridis magnæ resectione intellectam volo. Fricatrices enim non nymphis, sed clitoridibus, alias mulieres fricando, abutuntur, vel juxta Severin. Pinæum *de Not. Virginitat. cap.* 4. *p.* 42. clitoris est pars, qua mulieres parum prudentes, libidinosæ & plus quam brutali impetu percitæ, invicem abutuntur in confricationibus, unde confricatrices appellantur; non autem nymphis, eas mutuo intromittendo in sinum pudoris, ut nonnulli somniarunt, quoniam nympharum corpus est quovis fatuo pene ad id præstandum ineptius, multoque minus propter mollitiem attritioni aut titillationi convenit. Rationem autem, cur veteres clitoridi nomen nymphæ imposuerint, cum tamen sint partes adeo diversæ, hanc reddit Regnerus de Graaf *de Organ. mul. cap.* 4. *p.* 184. quia nymphæ in superiori pudendi parte sitæ incipiendo a clitoride, ejus glandi, licet angustiori principio, tam firmiter uniuntur, ut ejus productiones dici possint, insuper etiam productionem membranosam corrugatam instar præputii clitoridem investientem quodammodo constituunt, adeoque hæ partes accurate conjunguntur;

guntur; quod procul dubio anſam dedit, quare partes adeo diverſæ eodem nomine confundantur.

CAPUT II.

De nymphis.

§. 1.

DEinde ſub labiis pudendi infra clitoridem atque ad latera rimæ minoris, ſeu orificii vaginæ uterinæ, occurrunt duæ prominentiæ, ſeu excreſcentiæ carnoſæ, vel membranoſæ, molles ac ſpongioſæ, figura & colore criſtas ſub gutture galli pendulas referentes, anatomicis nymphæ ſine ala dictæ. *Nymphæ.*

§. 2.

Nymphæ appellari ſolent dictæ partes, quia juxta Caſp. Bauhin. *Theatr. anat. Lib.* 1. *cap.* 40. *p.* 134. primæ ſponſum admittunt, vel ab officio, quod aquis præſint, vel quod juxta Guerner. Rolfinc. *de Part. Genit. Part.* 2. *cap.* 38. *p.* 188. ὥσπερ νομάτων ἐπίσκοποι, ut fontium præſides ſcaturientium urinarum fonti præſint; & ſecundum Petri Dionis *Anat. Demonſtr.* 4. *p. m.* 235. urinam, quæ emittitur, deducant. Regnero de Graaf *de Organ. Mulier. cap.* 4. *p. m.* 184. tales protuberantiæ nymphæ appellantur eapropter, quod aquis e veſica proſilientibus proxime adſtare reperiantur, quandoquidem inter illas, tanquam duos parietes, urina magno impetu cum ſibilo ſæpe & abſque labiorum irrigatione erumpat, vel quod ſint caſtitatis præſides, aut ſponſum primo intromittant. vid. etiam Thom. Bartholin. *Anat. Lib.* 1. *cap.* 35. *p.* 293. Imo mediantibus his nymphis juxta Franc. Plazzon. *de Part. Generat. Lib.* 2. *cap.* 3. *p.* 109. in tantam urina nonnunquam erumpit diſtantiam, ut etiam mares mictionis impetu provocare auſint feminæ. Nonnullis autoribus hæ partes vocantur alæ, Græce πτερύγια, quia ipſarum corpuſcula carnoſo-membranoſa alarum modo expanſa ſunt. Aliis appellantur carunculæ cuticulares, vid. Caſp. Bauhin. *l. a.* Th. Barthol. *l. a.* malunt tamen præſtantes in anatomia viri dictas protuberantias appellare nymphas *Denominatio.*

jux-

juxta Regn. de Graaf *l. a.* Et Rodericus a Castro *de Natur. Mulier. Lib.* 1. *cap.* 3. *p. m.* 10. inquit: Carunculæ cuticulares proprie nymphæ appellantur, ac gallorum cristis similes prope os uteri in cervice astant, quas propterea Poetæ per saltus & nemora satyros quærere referebant, quia in ipsis venereorum deliciæ, quibus illi æstuabant, insunt. De hac nympharum denominatione ita scribit Severinus Pinæus *de not. Virginit. lib.* 1. *c.* 3. *p. m.* 37. *sq.* Quare dictæ particulæ nymphæ appellentur, non satis constat, attamen, quia nymphæ idem quod sponsæ significant, dicemus, nymphas hic merito sic vocari, quoniam hæ sunt primæ, quæ sponsum admittunt in opere peragendo, propter quod sponsalia fiunt, quæ nihil aliud sunt, quam futurarum nuptiarum sancta repromissio, & nuptiarum causa finalis liberorum procreatio: sed nymphæ quasi lympharum numina dicuntur, mutato unico elemento, quia hæc aquis & fontibus præsunt: sic carunculæ, quandoquidem meatui urinario sinuique pudoris ejusque orificio, e quibus, tanquam a fontibus, aquæ & humores sæpe prosiliunt, adstant, magno harum partium & ductuum commodo, ideo jure merito nympharum nomina sortitæ sunt. Adde quod, si latius sumatur nomen nympharum; videlicet pro montium præsidibus, aut arborum diis aut deabus, in pudendis mulierum atque partibus genitalibus earum, aliquid simile inesse, nemo est, qui ignoret, si ossium pubis, partium superpositarum & adjacentium, quasi promontoria & colliculos, nec non pilorum multitudinem spectet, matricisque constructionem, munus & officium, atque arboris cujusdam floridæ, fructiferæque naturam animadvertat, his nympharum nomen maxime convenit. Et præterea has carunculas tanquam deas tutelares, astites, propitias & vindices experietur, quod sanitatis & lætitiæ partium ejus loci omnium, sicut & earundem doloris & mœstitiæ sunt semper participes, judices & consortes. Franciscus Stockhamerus *Microcosmograph. cap.* 7. *p.* 85. Nymphas vocat processus clitoridis, inquiens: quod urina per urethram erumpens ad processus clitoridis alliditur,

ditur, iis nympharum nomen tribuit. Secundum Johannis Riolani *Anthropograph. Lib.*1.*cap.*35.*fol.m.*186. ſententiam, hanc partem criſtatam haud dubie Juvenalis intellexit, eidem criſtæ nomen imponendo, his verſibus:

Callidus & criſtæ digitos impreſſit Aliptes
Et ſummum dominæ femur, exclamare coegit.

Hos verſus, quos Criticos omnes non intellexiſſe refert Riolanus, ipſe ita explicat & corrigit, in ſecundo verſiculo pro & reſtituendo ad, & poſt femur, loco, adjiciendo:

Callidus & criſtæ (i. e. nymphæ criſtatæ) digitos impresſit Aliptes
Ad ſummum dominæ femur: exclamare coegit.

ſcilicet quia criſta, nympha, ad ſummum dominæ femur eſt collocata & abſcondita, quam Aliptes attigiſſet, coegit dominam exclamare.

§. 3.

De harum nympharum ſubſtantia varias circumſtantias annotarunt anatomici. Scribit enim Johannes Riolanus *loc. cit.* Poſt labra intus progrediendo utrimque occurrit alata, ac veluti cartilaginea membranula ſæpius carnoſa, criſtæ pullorum ſimilis, νύμφη Græcis dicta; communiter vix æquat minini digiti latitudinem, ſemper inferiore ſui parte eſt acuminata, ſuperne lata, neque naturaliter deſcendit ultra labiorum dimidiam partem. In virginibus videntur inſtar ligamenti ſuſpendere, ac veluti conſtringere & coarctare cunni, ſive hiatus externi partem inferiorem, quod percipies indito digito, & extrorſum revulſo. Superne angulo acuto junguntur, ubi productionem membranoſam corrugatam, inſtar præputii clitoridem veſtientis conſtituunt. Idem autor etiam *Enchirid. anat. Lib.* 2. *cap.* 37. *p.* 183. inquit: Nympha in juvenibus mollis eſt, progreſſu ætatis & coitu frequenti induratur, & ferme cartilaginoſa evadit. Juxta verba Franciſci Plazzoni *l. a.* ſubſtantia nymphis eſt partim membranoſa, mollis & fungoſa, partim carnoſa; color rubeus inſtar

Nympharum ſubſtantia.

criſtæ galli ſub gutture: numero duæ ſunt, dextra & ſiniſtra, quæ tamen in principio angulo acuto fere junguntur, ubi productionem carneam efficiunt, inſtar præputii clitoridem veſtientis: Juxta Joanni Riolan. *Anthropograph. Lib. 6. cap. ultim. fol.* 410. in partibus externis puellæ recens editæ obſervabis labra pudendi ſubtumida ſine ulla nota nympharum, ſed earum locum intra labra occupat membrana rubicunda, aliquantulum carnoſa inſtar valvulæ ſuperne deorſum protenſa, quæ ſtylo indito elevatur, eoque profundius introducto in veſicam vel in uterum penetrabis. Dubitare poſſet aliquis, num iſta membrana ætatis progreſſu referat verum hymena vel fiſſa degeneret in nymphas, aut effingat iſta carnoſa tubercula, quæ pro carunculis uſurpantur. Secundum Petri Dionis *Anatom. Demonſt. 4. p. 236.* Nympharum ſubſtantia eſt partim carnoſa, partim membranoſa, quoniam conſtant e conduplicata & interiori majorum labiorum cute. Harum amplitudo non ſemper eſt æqualis, contingit enim interdum, unam eſſe altera ampliorem. Imo inter mulieres aliæ aliis has ampliores habent. Ad ſuperiorem rimæ majoris partem protenduntur, ibique coaleſcentes membranulam quandam efformant, quæ clitoridi eſt loco mitellæ. Virgines adeo firmas & ſolidas habent nymphas, ut mingentes urinam cum ſibilo emittant. Hæ mulieribus flaccidæ ac molles ſunt, præſertim poſt puerperia. Gothefridus Bidloo *Anatom. Tab.* 51. nymphas ita deſcribit: Emittit circa glandem clitoris magnitudine maxime variantes, laterales quaſdam protuberantias palеariformes, nymphas vocatas, quæ ad latera urinarii meatus deſcendentes, tenuium inſtar crurum, gracilioribus ſuis fibrulis ipſiſmet affiguntur labiis, oculumque tandem effugiunt. Caſparo Bauhino nymphæ productiones duæ ſunt, utrimque una in principio fere junctæ, quæ ex limbo ligamentoſo cutis in poſteriore parte orificii cervicis incipiunt & inter utrumque labrum deliteſcentes, & ubique fere ſeſe tangentes, ad oſſium pubis commiſſuræ finem aſcendunt, quæ junctæ eminentiam carneam

neam producunt, & ipſum clitoridem inſtar præputii integentes uniuntur, & ad magnæ rimæ apicem prominente linea aſcendunt, &c. Item Franciſco Stockhamero *Microcoſmogr. cap.* 7. *p.* 84. ſunt binæ productiones clitoridis, quæ ab ejus glande in alas paleariformes, ſeu criſtis illis, pullis gallinaceis ſub gutture enaſcentibus ſimiles protuberant, ac intra fiſſuram magnam utrimque ad ejus ferme medium, ubi ſenſim tenuiores factæ, obſcurum finem nanciſcuntur. Juxta Philipp. Verheyen. *Anat. Tr.* 2. *cap.* 29. *p.* 202. alæ ſeu nymphæ ſuo principio ita arcte connectuntur glandi clitoridis, ut ab eadem videantur continuata. Deſcendunt autem a ſummo clitoridis ad latus meatus urinarii usque ad medium circiter orificii vaginæ, ibidemque ſenſim attenuata evaneſcunt. Et ſecundum Isbrand. de Diemerbr. *Anat. Lib.* 1. *cap.* 26. *fol. m.* 151. nymphæ ſeu alæ, Græcæ πτερύγια, ad oſſium pubis commiſſuram (ubi angulo acuto junguntur, & productionem membranoſam corrugatam, clitoridem inſtar præputii veſtientem, conſtituunt) exordiuntur, & circiter ad labiorum dimidiam partem deſcendunt, ubique fere ſeſe tangentes & inferiore ſui parte obtuſo angulo deſinunt. Inquit etiam Nathanael Highmorus *de corpor. hum. diſquiſit. anatom. Lib.* 1. *Part.* 4. *cap.* 4. *fol. m.* 97. Productiones hæ, utrimque una, ex molli & ſpongioſa carne, cute reduplicata tecta, natæ, ad latera externi oſculi cervicis uteri oriuntur, & ſub labiis tectæ ad commiſſuram oſſium pubis aſcendunt, junctæque clitoridem amplectuntur, unde quibus hæc magna eſt, iis alæ majores eſſe ſolent, quæ in ſe collabentes externum cervicis oſculum exacte claudunt. In coitu etiam ſangvine ac ſpiritibus turgentiores ac rigidæ, ut clitoris, fiunt. Et ſequenti modo nymphas deſcribit Regnerus de Graaf *de Mulier. Organ. cap.* 4. *Oper. p.* 187. Subſtantia harum partium aut externa aut interna eſt. Externa ſimillima eſt illi, qua vulvæ & oris labia atque interiores naſi parietes inveſtiuntur. Interna vero nympharum ſubſtantia, quæ mollis & ſpongioſa eſt, ex membranulis & vaſis leniter conflata, expanſioni-

R 2 bus

bus aptissima est: distenduntur vero eodem, quo clitoris modo, quatenus scilicet spiritus animales per nervos, & arteriosus sangvis per arterias supra clitoridis dorsum excurrentes copiosius in partes illas influunt; unde aliquando ita distenduntur, ut nisi virili conatu mulieres adjuventur, dolorem blandioris titillationis loco persentiant. De sebaceis nympharum glandulis non paucis vid. Act. Erudit. Lipf. 1720. *Mart. p.* 146.

§. 4.

magnitudo. Magnitudo nympharum non semper eadem deprehenditur, sed multum variat: in feminis enim pudicis, & quibus clitoris est parva, reperiuntur humiliores, sunt enim ipsius productiones; item in virginibus pudicis minores & raro semidigitum latitudine excedunt. In iis autem, quæ clitoride majori gaudent & venerem cum viris sæpe exercent, vel etiam lasciva emulctione seu protractione atque petulca manu sibi ipsi ex clitoride & nymphis titillationem veneream excitant, crassiores longæ & latæ evadunt. Et quanquam naturaliter ultra externorum pudendi labiorum, sub quibus latent, medium seu dimidiam partem non descendant, ex dicta tamen ratione interdum longius extenduntur. De magnitudine harum partium ita scribit Johannes Riolanus *Anthropograph. Lib.* 2. *cap.* 35. *fol.* 186. Nympha longa est digiti internodio, pro ratione ætatum crassitie & magnitudine inæqualis, in virginibus usque ad decimum sextum circiter annum tenuis est, nec multum lata, adultioribus, præsertim quæ pepere- re, vel virum passæ sunt, crassior & latior evadit. Addit etiam Riolanus, se in quibusdam nymphas defuisse sæpius vidisse. Cui tamen contradicit Regnerus de Graaf *l. a. p.* 185. inquiens, magnitudo harum partium clitoridis magnitudinem utplurimum sequitur, atque proinde multum variat: in virginibus enim & iis, quæ virum non sunt passæ, sæpe vix pollicis transversi longitudinem habent, imo aliquando etiam tam exiguæ reperiuntur, ut nisi clitoridem sursum protraxeris, ejus protensiones vix appareant, adeo ut mirum non sit, quod Riolanus in quibusdam nym-

phas

phas ſæpius defuiſſe ſcribat. In mulieribus vero & iis, quæ partes has petulcis digitis emulgere ac protrahere conſueverunt, aliquando in miram magnitudinem excreſcunt. Sequentem obſervationem recenſet Hieronymus Fabricius ab Aquapend. *de operat. Chir. cap.* 28. *p.* 304. *edition. Patavin. f.* 279. Ego aliquando vidi & curavi virginem imperforatam, quæ vulgo dicitur coperchiata. Hæc ab ipſo natali die membranam, ὑμένα dictam, imperforatam, totumque vulvæ orificium occludentem ſortita eſt; myrtochelides vero ſeu alæ adeo exiguæ erant, ut ferme nullæ apparerent; ſiquidem contrahebantur a continuitate membranæ ejusque tenſione ab interna repletione facta; ubi autem fuit perforata vulva, alæ ſtatim efformatæ ſunt, tanquam laxata ex utraque parte membrana. Et Franciſcus Plazzonus *l. c.* ſcribit: nonnunquam hæ alæ ita excreſcunt, nimirum humoribus illuc affluentibus, vel etiam, ſi digitis frequenter attrahantur, ut ob impedimenta ſequentia & dedecus exciſione opus ſit, quem morbum Ægyptiis familiarem dicit Galenus, quod tamen aliqui de clitoride intelligi volunt. Clitoride exiſtente magna etiam nymphas evadere craſſiores, teſtatur Ambroſius Stegmannus *M. N. C. Dec. III An.* 7. *&* 8. *Obſ.* 35. *p.* 57. ubi clitoridem monſtroſam, in corinna quadam laſciva, ſua excreſcentia & magnitudine in utrisque lateribus craſſiores nymphas effeciſſe refert. Cum proinde, ſecundum ſuperius adducta, Ægyptiorum puellis & virginibus malum quaſi endemium ſit, ut clitorides extra labia pudendi prominentes habeant, quid mirum, quod ob allegatam cauſam, ſcilicet clitoridem magnam, etiam ipſarum nymphæ nimis excreſcant, atque foras propendeant, quæ tamen nunquam congreſſum maritalem impedient, uti de clitoride paulo ante diximus. Incolarum etiam promontorii Bonæ Spei ſive Hottentottorum uxores propendentes ejusmodi nymphas habere, refert Wilhelmus ten Rhyne *de Promont. Bon. Spei c.* 10. *p.* 33 *ſq.* ubi poſt deſcriptionem marium ita pergit: Feminas a maribus deformitate diſtinguas; Illæ hoc ſibi a cæteris

 gentibus

gentibus peculiare habent, quod pleræque earum dactyliformes, ſemper geminas, e pudendis propendentes appendiculas, productas ſcilicet nymphas (ut raro in noſtratibus exemplo prolongata conſpicitur clitoris) geſtent, quas tuguriola (illi ſuo idiomate Krallen vocant, mulieribus fortuito referta) intrantibus magna cum geſticulatione, coriaceum elevando ſupparum, videndas præbent, &c.

§. 5.

extraordinaria.

Non autem tantummodo apud orientales, ſed in propinquioribus & noſtris regionibus talem nympharum excreſcentiam, & quidem vel in utraque parte ſimul obſervatam legimus. Vidit enim Dominicus Panarolus in noſocomio meretriculam ægrotantem, quæ nympham unam tantæ magnitudinis habebat, ut piſcem torpedinem, qui vulgo Italice occhiatella nuncupatur, repræſentaret: Amantes hoc aſpectu in fugam verſi in paupertatem ipſam labi reliquerunt. *v. Panarol. Obſerv. Pentec.* 4. *Obſ.* 3. *p.* 111. Talem nympharum procreſcentiam ſe annotaſſe meminit etiam Regnerus de Graaf *l. a. p.* 168. Non ſolum, inquiens, apud Ægyptios particulas illas, clitoridis magnitudinem ordinarie ſequi ſolitas, in ingentem molem excreſcentes, at in hiſce quoque regionibus obſervavimus, nymphas illas a clitoridis regione usque ad infimam pudendi partem duos digitos latas, & dimidium craſſas, deformiter extra vulvæ labia propendere, neque propterea illas difficilius virum admiſiſſe, unquam potuimus intelligere. Contingit etiam aliquando, ut ſi, alterutra tantum ita præter naturam excreſcat, aut ſi ſint ejusdem magnitudinis, diverſam tamen figuram ſortiantur ſingulæ. Quandoque nymphæ a magno niſu in partu difficilli nimium intumeſcunt, uti annotavit Johannes de Muralto *M. N. C. Dec. II. An.* 2. *Obſ.* 94. *p.* 229. Uxori enim triginta quinque annorum adſtitit, quæ quatriduo ante conſtitutum partus tempus ad labores ab obſtetrice imperita, quæ lancinationes a veris niſibus diſtinguere non valebat, incitata, circa muliebria tantopere intumuit, ut nymphæ u-

trimque

trimque duos pugnos æquarint, vixque ei possibile fuerit præter rupturam partium edere prolem. Tandem enixa est fœtum mortuum, ipsaque sensim restituta. De his nymphis ita loquitur Nicolas Venette *de la Generation de l'Homme. Chap.3. Art.2. p.76.* Les levres & les nymphes des parties naturelles des femmes deviennent quelque fois si longues & si pendantes, qu'il est impossible alors qu'un homme en puisse approcher. Ces sortes d'accidens arrivent souvent aux filles Africaines, si l'on en croit Leon d'Afrique, qui non rapporte, que ces incommoditez sont si communes dans les regions de midy, qu'il y a des hommes, qui allant par les rües des villes de ces contrées-la crient à haute voix: qui est-ce qui veut estre coupée; de mesme qu'en ce pais icy il y a des hommes, qui font connoitre par leur sifflet, l'habitude qu'ils ont à couper les chevaux a bistourner les veaux, & a travailler en fin sur les parties genitales des autres animaux. La honte, qu'on quelque fois nos femmes françoises, lorsque ces replis de la peau de leurs parties naturelles sont excessifs en longueur, les empêche de s'exposer à un chirurgien pour se les faire couper, comme font les vierges Egiptiennes avant que de ses marier. Ces nymphes allongées ont si veritables, que dans l'empire du Prétre Jean, où l'on circoucit les femmes aussi bien que les hommes, l'on en fait une cérémonie. Bina ejusmodi nympharum extra pudendi labia propendentium exempla mihi ipsi observare licuit; alterum quidem in puella sedecim circiter annorum, bubone venereo laborante, cui nymphæ in utroque latere ad pollicis latitudinem inferne per labia propendebant; alterum in ancilla viginti aliquot annorum, quæ post coitum cum homine quadrato, & quidem cursore Italico nimis mutoniato, sæpius reiteratum, ingravidationis suspecta, atque de variis suspectis symptomatibus conquesta in nosocomio nostro curabatur. An vero nymphæ adeo vehementer excrescant & quodammodo indurescant, ut ex earum indecora magnitudine illa oriatur muliebris turpitudo, propter quam viris valde red- *Observatio.*

dantur

dantur ingratæ, uti Johannes Varandæus *de Morb. Mulier. Lib. I. cap.* 13. *Oper. fol. m.* 563. putat, vix fidem meretur, sed hæc turpitudo potius ad clitoridem vel caudam pertinet.

§. 6.

Figura. Nympharum seu alarum figuram gallinaceorum pullorum cristis, quas sub gutture pendulas habent, similem esse, jam hactenus diximus, quod etiam alii autores affirmant, vid. Guern. Rolfinc. *l. a. p.* 188. Secundum Cornel. Soling. *de Operat. Chir. Part.* 3. *cap.* 32. *p. m.* 319. nymphæ sæpe in tantam magnitudinem excrescunt, ut etiam in actu venereo viris impedimento sint, ideoque ab autoribus pterygomata, id est, alæ seu cristæ galli vocantur, quia abintra per labia vulvæ instar verrucarum procrescunt, ut veras gallarum cristas repræsentent. Nymphas atque hymenem confundere videtur Scipio Mercurius Medicus Romanus in tractatu la *Commare oriccoglitrice Libr. I. cap.* 2. *p. m.* 11. sequentibus verbis: della parte vicina alla natura della donna si veggono due pezzetti di carne inequali à punto come le creste dei piccioli polli, dette ninfe, ò himeneo, i quali mentre stanno congiunti insieme sono segno della virginità. Sed juxta Phil. Verheyen. *Anat. Tr.* 2. *cap.* 29. *p. m.* 203. figura fere talis est, qualis dimidiæ mensæ ovalis, secundum longitudinem paulo oblique divisæ, & secundum Guern. Rolfinc. *l. a.* ceu bifores valvæ ante sinum prætenduntur. Quod confirmat etiam Regnerus de Graaf *l. a. p.* 186. figura, inquiens, nympharum naturalis (ea enim sic appellanda est, quæ semper vel utplurimum observatur) nulli magis accedit, quam ovali figuræ, secundum longitudinem per medium divisæ, cujus partes inversæ, si in una extremitate ita jungantur, ut partes ovales ad se invicem accedant, duarum nympharum figuram quodammodo exhibebunt. Ex quibus intelligi potest, illas non male paleari, seu cristis illis, quæ pullis gallinaceis aut gallinis sub gutture enascuntur, comparari posse; eoque magis cum in veneris œstro percitis, simili fere rubello colore gaudeant; in demortuis vero eas magis pallidas & quandoque lividas invenimus.

§. 7. Quoad

§. 7.

Quoad usum nympharum differunt autores; nonnulli enim iisdem, imprimis in virginibus, ligamenti officium tribuunt, ut pudendi externi partem inferiorem circularem veluti constringant. vid. Caspar. Bauhin. *l. a. p.*135. Joh. Riolan. *Anthrop. fol.*187. quod tamen Thomæ Bartholino *Anat. Lib.*1.*cap.* 35.*p.m.*295. verosimile non videtur. Alius usus nympharum est partes internas tueri, meatum urinarium, & quodammodo vaginæ orificium, tegere, ne pulvere, frigore, aut aliis externis injuriis lædantur. vid. Regner. de Graaf *l. a. p.*187. Nymphis commissis, externæ ambientis aeris injuriæ a sinu pudoris arcentur, inquit Joannes Veslingius *Syntagm. anatom. cap.*7.*p.m.*103. item Isbrando de Diemerbroc *Anat. Lib.*1. *cap.*26. *fol. m.* 151. Usus labiorum & nympharum est, ingressum pudendi simul occludere & coarctare, atque uterum ab aeris externi injuriis defendere. Vulgi opinionem esse, quod nympharum usus sit, urinam quasi inter geminos parietes deducere & impedire, ne aer matricem subeat, inquit Petrus Dionis *Anat. p.* 236. Deinde præsunt nymphæ prosilienti urinæ, ut ipsam effluentem dirigant, ne in cavitatem cervicis destillet, juxta Joh. Riolan. *a.l.* ubi pergit: idcirco uteri cervix lotio non rigatur, quemadmodum apud Paphos celebre fanum Veneris erat, in cujus quandam aream, juxta Plin. *Lib.*2.*cap.*96. non pluebat. Hoc tamen, an verum sit aliis judicandum relinquit Regnerus de Graaf *l. a.* Juxta Philipp. Verheyen *l. a.* usus nympharum est, impedire, ne urina, dum emittitur, nimis lateraliter resiliat; vel secundum J. Case *Compend. anat. p.*178. nymphæ ideo proxime ad orificium vesicæ stant, ut prohibeant, ne aliquando in labia illabatur urina. Cui consentit Jean Palfyn *l. a. p.*14. inquiens: La matiere des urines destille entre elles, comme entre deux murailles, avec un effort assés considerable, & quelque espece de sifflement, sans que cette serosité touche & arose les grandes levres. Juxta Felic. Plater. *de Corp. hum. Struct. Tab. de Uter. p.*160. nymphæ labio-

rum instar, ut rima melius occludatur, fungosa substantia efficiunt; & præter hoc, canalis cujusdam instar, præsertim dum mulier inclinans se nonnihil mingit, urinam, ne reliquum corpus commaculet, dirigit. Nonnulli autores etiam nymphis eandem cum clitoride usum, scilicet titillationem veneream, adscribunt, præsertim cum in iis feminis, quibus clitoris in majorem molem pronata, quandoque ab orgasmo venereo erigitur, vel a dictis feminis ad coitum scelestum applicatur, tales nymphæ aliquatenus simul erigantur aut inflentur, atque a frequentiore contrectatione augmentum sumant. Quod Palfyn *p.* 15. confirmat, inquiens, les nymphes suivent toujours la demarche du clitoris, qu'elles embrassent etroitement: de sorte que dés que le clitoris s'eleve, les nymphes se grossissent, & au contraire dés que le clitoris s'abaissent, les nymphes s'affaissent & se compriment. Præterea etiam nymphæ, secundum verba Regneri de Graaf *l. a.* ad majorem voluptatis concupiscentiam inserviunt, quatenus inflata virile membrum comprimendo titillationem adaugeant; hinc forsan a natura ordinatum est, ut post diuturnum veneris exercitium partim laxitati nympharum protuberantia succurratur, quo conjugale vinculum tanto potentius permaneat. Ita sentit etiam Philippus Verheyen *l. a. pag.* 203. Usus, inquiens, nympharum est leni compressione penem in actu blando afficere ad feliciorem emissionem seminis. Quamobrem a natura videtur ordinatum, ut diuturna veneris consuetudine hæ partes magis excrescant; atque ita defectus ille titillationis, quæ propter vaginæ laxitatem & rugarum obliterationem oriri solet, illarum pressura aliquatenus recompensetur, quo nimirum conjugale vinculum maneat magis potens atque perfectum. Et juxta Franc. Plazzon. *de Partib. Generat. inserv. Lib. II. cap.* 12. *p. m.* 157. *seq.* in feminis excitatur voluptas primo ex affricatione in rugis transversis cervicis; deinde in tentigine seu extremitate clitoridis, quæ glandi & constitutione & exquisito sensu respondet; ad hæc, affricationem etiam percipiunt

cipiunt nymphæ duæ sive alæ. Unde colligere est, feminas habere triplicem affricationem, cum vir tantum unam in glande habeat.

§. 8.

Alium tamen & quidem non minimum harum nympharum usum censet esse Petrus Dionis *Anatom. l. a.* quod extendantur, ut majoribus labiis permittant obsequi, quantum exigitur ad fœtus exitum tempore partus. Quod ita verum est, ut apertis quibusdam feminis paulo post puerperium illas fere oblitas deprehenderim, quoniam, cum e conduplicata & interiori labiorum majorum cute constent, adeo distentæ fuissent, ut non amplius essent conspicuæ. Et idem autor *des Operat. de Chirurg. demonstr. 3. p. m.* 196. inquit: L'usage des nymphes est de donner, en s'etendent, moyen à l'orifice externe de s'elargir dans les accouchemens. Quæ sententia sane consensum meretur, siquidem secundum Philipp. Verheyen *l. a. p.* 203. interna alarum substantia mollis est & spongiosa, ex membranulis & vasculis laxe cohærentibus constructa, adeoque expansioni valde idonea. Annon autem ex frequentiori coitu & insequenti crebriore partu tales nymphæ adeo expandi atque obliterari possint, ut penitus deleantur, nec amplius appareant, ex observatione Johannis Baptistæ Morgagni fere persuadeor, quippe qui in vulgatissimi scorti cadavere nihil prorsus nympharum apparuisse; contra in virginum dissectione præter nymphas superiores mediocres in imis pudendi lateribus duas alias parvulas quasi nymphas ter conspectas fuisse in adversariis anatomicis refert. *v. Act. Erudit. Lipsiens. An.* 1720. *Mens. Mart. p.* 145. Denique inserviunt etiam nymphæ nonnullis pro dignoscenda virginitate: inquit enim Nicolaus Venette *de la Generation de l'Homme Part.* 1. *cap.* 1. *Art.* 3. *p. m.* 19. les rides internes, que l'on appelle nymphes, y marquent aussi-bien la vieillesse, que sur le visage, lorsque les filles vieillessent, ou qu'elles ont prostitué leur pudicité. Et juxta Jean Palfyn *l. a. pag.* 14. on a cru autre-

ad fœtus exitum.

fois, que l'union de ces petites productions, ou des nymphes, étoient les gardes de la chasteté & les marques du pucelage.

§. 9.

Nymphotomia. Cum secundum hactenus dicta nymphæ quandoque in tantam excrescant molem, ut deformitatem inducant, non immerito tam veteres, quam recentiores, de ipsarum partis superfluæ resectione solliciti fuerunt, talisque operatio meliori jure nymphotomiæ nomen meretur, quam resectio clitoridis; quam a priscis & modernis chirurgis pariter, sed improprie, nymphotomiæ nomine venisse, paulo ante diximus; quapropter hæc operatio ab illa, cujus paragrapho 35. & 36. antecedentis capitis de clitoridis & caudæ resectione mentionem fecimus, differt; illic enim tota fere clitoris vel cauda pronata ad basin exstirpatur, hic autem tantummodo pars superflua & extra pudendi labia prominens forpice rescinditur. Unde scribit Joannes Riolanus *Anthropograph. Lib. II. cap. 35. fol. m.* 186. in nonnullis mulieribus ejusmodi nymphæ in tantam molem & magnitudinem excrescunt, ut pudorem deformitatemque inducant, quarum chirurgiam tradit Paulus Ægineta *Lib.* 6. Eas olim Ægyptii nupturis virginibus, antequam prominerent, resecare solebant, ut docet Galenus in introductorio. Quod adhuc apud Abderitas seu Presbyteri Joannis gentem ex lege Hebræorum observatur, uti narrat Paulus Jovius *Lib.* 3. suæ historiæ. De hac operatione ita scribit autor Gallicus Petrus Dionis *des Operations de Chirurg. Demonstr. III. p.* 195. Les nymphes sont des corps membraneux, longs & plats, situeux dans le grande fente à côté de l'orifice externe de la matrice, l'on pretend, qu'elles croissent quelquefois tellement, qu'elles pendent hors de grandes levres, & alors il en faut couper ce qui excede leur grandeur ordinaire. Pour cet effet ayant situé la femme à la renverse & tenant les levres ecartées, l'on prend une des nymphes, dont on coupe avec des cizeaux, ce qu'il y a de superflu: en la tenant ferme avec les pinces: ensuite l'on en fait autant à l'autre, obser-

obſervant de n'en pas plus ôter de celle-cy que de cette-là, & de ne les pas couper trop prés de leurs racine, parceque l'uſage des nymphes eſt de donner en s'étendant moyen à l'orifice externe de s'elargir dans les accouchemens; ce qu'il ne pourroit pas faire, ſi elles étoient entierement coupées, d'autant que les cicatrices, qui ſeroient en leur place, ne prêteroient pas. Refert etiam Cornelius Solingius *l. a. p.* 320. ſæpius ſe, dum femina ægrotans ambabus manibus pudendi labia dilataſſet ſeu diſtraxiſſet, tales criſtas manu ſiniſtra prehenſas, forpice reſcidiſſe; talique methodo anno 1678. civis cujusdam filiam, hydronymphotocele aut phymoſi nymphæ, ad palmæ magnitudinem pollicisque craſſitiem, cum phymoſi amborum pudendi labiorum laborantem, ſe reſtituiſſe addit. Idem etiam in nautæ, lue venerea laborantis, uxore criſtas ſeu verrucas per ſcarificationes pulverisque Sabinæ applicationem feliciter conſumpſit. Laurentius Heiſterus *Chirurg. Part. II. de Operat. cap.* 136. *p. m.* 656. *ſeq.* operationem in femina reſupina divaricatis cruribus atque diductis pudendi labiis inſtitui docet; ſic enim chirurgus nympham ſiniſtra manu apprehendat, dextraque, quod in ea ſuperfluum eſt, forpice reſcindat. Quia autem plerumque exinde magna exoritur hæmorrhagia, ſemper chirurgus circa talem operationem medicamenta ſtyptica in promptu habeat; reliquum vero vulnus balſamo vulnerario conſolidetur. Largam ab ejusmodi nympharum reſectione ortam hæmorrhagiam annotavit Franciſcus Mauriceau *dans les Obſervations ſur la Groſſeſſe Obſ.* 174. *p. m.* 97. ubi inquit: Le 25. Juillet 1676. je fis l'operation du retrenchement de deux nymphes, à une femme, qui me pria de luy faire cette operation; tant parcequ'eſtant obligée, à ce qu'elle me dit, d'aller ſouvent à cheval, d'allongement de ces nymphes, qu'elle avoit tres-grandes, luy cauſoit par leur froiſſement une douloureuſe cuiſſon; que parceque cette indécence luy déplaiſoit extrement, auſſi bien qu'à ſon mary. Ausſitôt que je luy eûs fait cette operation avec le ciſeau, elle ne

perdis pas le quart d'une palette de sang, durant une heure entiere, que je demeuray auprés d'elle, pour remedier à l'hemorrhagie, qui pouvoit y survenir; aprés quoy l'ayant laissée donc la confiance que j'avois, qu'il ne luy arriveroit rien, je fus assez étonné, qu'estant revenu chez elle le soir du mesme jour pour la penser, je trouvay qu'elle avoit eû une si prodigieuse perte de sang, que je ne l'eusse jamais crû, si je n'eusse veu la quantité des linges, qui en estoient tout pleins &c.

§. 10.

Circumcisio feminarum. In hac nympharum resectione consistere quoque videtur circumcisio mulierum apud Persas & Æthiopes consueta. Ritus enim circumcisionis in viris antiquissimus est, deque hac circumcisione in Spermatologia nostra *cap.* 11. *p.* 528. *seqq.* egimus; recentior autem est circumcisio feminarum. Siquidem Abyssini seu Æthiopes non modo in memoriam Christi baptismi singulis annis omnes in Epiphaniis Domini baptizantur, sed etiam a temporibus Reginæ Saba circumcisionem ad hunc usque diem servant. Insuper jussu & decreto ipsius Reginæ Maquedæ, mulieres quoque circumciduntur. Ad id ea ratione conducta est, ut, quemadmodum viri præputium habent, eodem quoque modo mulieres etiam quandam glandulosam carnem, quam nympham vocant, in genitalibus habent, non ineptam accipiendo characteri circumcisionis. Id quod fit tam in masculis, quam in feminis ante octavum diem &c. Uti ex Damiano a Goes refert Matthias Zimmermannus Dissert. in Fiunt, non nascuntur Christiani, *Sect.* 2. *p.* 68. Scribit etiam Thevenot *Itinerar. Orient. Lib.* 2. *cap.* 74. *p. m.* 348. Æthiopes a Mahumetanis peculiarem habent superstitionem, Turcis incognitam; Æthiopes enim filias suas circumcidunt, particulam scilicet ab illis pudendorum partibus, quæ nymphæ appellantur, resecando; quam operationem feminæ peragere solent. Econtra vero Turcæ circisionem tantummodo in pueris exercent. Imo juxta relationem Petri Bellonii *Observat. Lib.* 3. *cap.* 28. *fol. m.* 187. Persarum Rex,

Rex, licet Mahumetanus, Turcas hæreticos appellat, quia ipsorum uxores circumcisæ non sunt, ut sui dominii feminæ: quibus ea de causa templa ingredi licet. Turcicis minime. Cophtæ etiam feminæ, Æthiopiæ Regi parentes & in Jesum Christum credentes, circumciduntur: Cum enim lex sanciat, ut feminæ circumcisionis aliquod vestigium impressum habeant, particulam Græcis hymenæa, Latinis alæ, dictam præscindunt, quam præputio respondere ajunt. vid. etiam paulo supra *Sect. II. Cap. I.* §. 35. *seq.* ubi circumcisionem clitoridis descripsimus, in qua etiam nonnulli mulierum circumcisionem consistere statuunt; cum autem omnes jam allegati autores non clitoridis, seu nymphæ particulam in circumcisione rescindi scribant, hanc materiam cum Rolfincio *l. a. p.* 188. ad nymphas referre volui. De circumcisione, quæ apud orientales fit per abscissionem vel inustionem clitoridis, vid. Sect. II. C. I. §. 32. de aliis modis vid. Conr. Phil. Hofmann. *de Puerper. temporib. cap.* 3. §. 8. *p.* 75. | Datur tamen adhuc alia feminarum castratio seu exsectio testiculorum muliebrium, de qua plura, ubi de Ovariis agemus.

CAPUT III.
De Carunculis myrtiformibus.

§. I.

TErtio ad partes pudendi muliebris interiores, seu quæ diductis labiis sine dissectione apparent, ordinarie ab autoribus referuntur carunculæ, anatomicis myrtoides seu myrtiformes ideo dictæ, quia myrti baccis similes sunt; inquit nimirum Franciscus Plazzonus *de part. generat. Lib.* 2. *cap.* 4. *p.* 112. statim post alas, antequam ad interiora penetremus, in media fossa apparent quatuor carunculæ ita sitæ, ut quælibet angulum unum occupet, & per quadratum se respiciant. Figuram habent baccarum myrti, unde etiam carunculæ myrtiformes appellantur. Circa earum tamen substantiam & numerum dissentiunt autores, dum alii & quidem plerique veterum quatuor tales carunculas, *Carunculæ myrtiformes.*

culas, alii tres, alii duas, alii unicam, alii penitus nullam in ſectionibus reperiri ſtatuunt. Inquit enim Isbrandus de Diemerbroc *Anat. Lib. I. cap.* 26. *fol. m.* 250. ſolent hæ carunculæ paſſim ab anatomicis deſcribi, quaſi in omnibus reperirentur, cum tamen in virginibus tantum unam ſolam, ſed in devirginatis omnes quatuor inveniri certum ſit. Secundum Gerard. Blaſ. *Obſervat. anat. p.* 25. non ſunt quatuor, uti quidem vulgo tradi ſolet, ſed vero plures, variat tamen utplurimum hic numerus in ſubjectis variis, dum in uno plures, in alio pauciores notantur; diverſæ itidem in diverſis figuræ & magnitudinis ſolent occurrere. Alii has carunculas potius pro rugis, a coarctatione ſeu corrugatione vaginæ uterinæ, vel dilaceratione hymenis exortis agnoſcunt, hinc etiam iisdem varios uſus adſcribunt, uti ex ipſis autorum verbis, in gratiam benevoli lectoris hic inſerendis, videbimus.

§. 2.

Aliorum ſententia.

Scribit autem Severinus Pinæus *de Not. Virginit. Lib. I. cap.* 3. *p.* 38. quatuor iſtæ carunculæ, myrti baccas referentes, clauſtrum virginale cum quatuor membranis carneis conſtituunt in virginibus, quæ in defloratis degenerant in valvas duas in extremo ſerratas &c. Et *cap.* 5. *p.* 45. *ſeq.* inquit: Hymen componitur ex quatuor carunculis, myrti baccas referentibus, quæ ſitæ ſunt, tanquam in quatuor angulis ſinus pudoris, in ſingulis videlicet ſingulæ, membranoſæ ac rugoſæ. Quas quatuor carunculas connectunt ſive ligant inter ſe quatuor membranæ carnoſæ, ſitæ ſingulæ in ſingulis interſtitiis caruncularum, quibuſcum fere æqualiter producuntur. Itaque dicta productio, ex quatuor carunculis & totidem membranis facta, & in conum truncatum finita admodum ſimilis fit germini, ſeu capiti ſeu (ut barbaro hoc utar vocabulo) bucto roſæ, Gallice bouten de roſe, florum pulcherrimæ ſemi expanſo, ſive longitudinem ſive craſſitiem, paulo tamen minores, aut rotunditatem inſpexeris, adæquatis prius, id eſt, ſectis vel penitus ſublatis quinque fratribus foli-

aceis

aceis dicti germinis seu bucti capulam constituentibus. Hanc sententiam ex recentioribus etiam fovisse videtur Nicolaus Venette *de la Generat. de l'homme Part. I. Cap.* 1. *Art.* 3. *p.* 19. *seq.* inquiens: Quattre petits morceaux de chair de la figure d'une feuille de myrthe sont placez aprés les nymphes, qui bienqu' ils soient incessamment arroses, ne eteignent pourtant pas pour cela le feu, que la nature a allumé dans ces parties. Souvent c'est comme de l'eau qui tombant sur de la chaux les excite & les échauffe davantage. Ces caroncules, que les medecins appellent myrtiformes, sont quelquefois liées les unes aux autres par des membranes, qui font l'entrée de la matrice si petite, qu'a peine l'extremité de l'un des doigts y pourroit entrer dans une fille de neuf ou dix ans, à moins que de luy faire violence en les dechirant, c'est que les matrones veulent dire lorsqu'en faisant leur rapport du violement d'une vierge, elles disent, que la corde est rompuë, & c'est aussi la separation de ces mesmes parties, qui en donnant du sang la premiere nuit des nôces, estoit autrefois parmy les Juifs un signe de la defloration. Anno 1662. in theatro anatomico Patavino ab anatomico Molinetto in puella septimestri sectio instituebatur, in qua hymenem, carunculas myrtiformes invicem alligantem, speciemque membranæ, quæ in medio foramine semilunari prædita erat, præbentem se vidisse scribit Casparus Theophilus Bierlingius *Adversar. Curios. Obs.* 36. *p.* 66. Juxta Guern. Rolfinc. *de Part. genit. cap.* 39. *pag.* 189. carunculæ myrtiformes quatuor caryophylli nondum explicati figuram referunt, quarum una superius locata, a clitoride distincta, in virginibus urinarium foramen tegit, & præcludit; altera inferius sita: reliquæ duæ latera occupant. Deinde pergit Rolfincius: has carunculas non agnoscit Riolanus, sed solum carnosa tubercula vocat, ex corrugatione sinus muliebris orta, vasis non destituta, quæ, sinu muliebri a partu distento, quasi disparent, nec oculis se offerunt, antequam ille naturali situi restituatur. Ipse autem Johannes Riolanus *Anthropogr. Lib.* 2.

cap. 35. *fol. m.* 187. prolixe de his carunculis ita ſcribit: poſt nymphas quatuor carunculæ myrthoides, ſive triangulares apparent, virginibus tumidæ, elatæ & rubicundæ, quibusdam membranulis ita coeuntes, ut in veſtibulo orificii propter baſin latiorem, extrorſum vergentem, foramen exiguum introrſum relinquant, quod minimus digitus vix ſubire poſſet in puella decenni, ſed in adoleſcentula quindecim vel ſexdecim aut viginti annorum minimum digitum admitteret, interne ſenſim anguſtius redditur, propter earum extremitates invicem conſertas. Parte exteriore & latiore membranulis conſtrictæ ac revinctæ circulum membraneum efformant, quem in virgine quindecim aut viginti annorum, digito penitus intruſo deprehendes. Idcirco referunt obſtetrices vinculum interius duriuſculum intromiſſo digito offendi, chordam idiomate ſuo vocitant, quo præſente virginitatem certam eſſe & indubitatam affirmant: rumpi ac reſolvi in prima coitione. Ita conſtitutæ & compoſitæ carunculæ caryophylli nondum perfecte explicati figuram exprimunt, quarum anterior & ſuperior veſicæ orificium tegens, cæteris amplior eſt, & in virginibus usque ad quindecim annos totum ferme foramen occludit, aliis ſupereminens bifida eſt, ut veſicæ cervicis finem intra ſe ſuſcipiat. Altera inferne poſita eſt, reliquæ duæ laterales ſunt: omnes ſimul junctæ uterum ab aere & externis corpuſculis defendunt, & in coitu maris pudendum titillantes veneris ardorem ſuſcitant & accendunt. In muliere, quæ non concepit, magis integræ remanent, quam in ea, quæ utero geſtavit. In muliere parturiente & puerpera poſt enixum per quinque, ſex vel ſeptem dies ſunt omnino obliteratæ, ex magna pudendi diſtenſione, nec earum apparet veſtigium, niſi conſtricto pudendo & ad naturalem formam reverſo. Inde cognoſces carnoſas illas eminentias, quæ pro carunculis accipiuntur, non eſſe vere carunculas in veſtibulo cunni appoſitas, quoniam in magna cunni & colli uteri diſtenſione, quæ fit in partu, ſuam figuram & molem ſervarent, vel ſaltem earum veſtigium

gium aliquod remaneret. At in partu & poſt partum nullæ ſunt, nec earum ullum veſtigium apparet, niſi dum cunnus conſtringitur & coarctatur. Ac ſane ſi eſſent vere carunculæ ibi applicatæ, parturientibus magno fuiſſent impedimento, quoniam aſperitate & inæqualitate ſua, cum ſint quatuor in circuitu cunni collocatæ, egredienti fœtui tanquam obices obſtitiſſent. Imo in quibusdam mulieribus publice diſſectis longiſſime a partu, & aliis, annos quinquaginta natis, nullas animadvertere potui carunculas, excepto tuberculo carnoſo, quod tegit orificium externum urethræ. Idcirco ejusmodi carnoſitates, ſive carnoſa tubercula, quæ pro carunculis uſurpantur, ex corrugatione carnoſæ vaginæ pudendi conflantur, ut pars illa externa anguſtior ipſa vaginæ in partu æque dilatari poſſit. Plura alibi reperies.

§. 3.

Tales carunculas ex rugis vaginæ conſiſtere, ſtatuunt etiam alii autores. Inquit enim Petrus Dionis *Anat. Demonſtr. IV. p.* 240. in medio foſſæ navicularis apparent quatuor carunculæ, myrtiformes appellatæ, eoque ſitu diſpoſitæ, ut unaquæque angulum unum occupet, & omnes ſimul quadratum forment: hæ ſunt quatuor exiles eminentiæ carnoſæ, parvam rimam occupantes: omnium maxima urinario meatui ſubeſt: duæ mediocres partibus lateralibus adhærent; minima vero poſticum occupat locum, id eſt, partem primæ adverſam. Hæ carunculæ ſubrubicundæ ſunt, duræ & erectæ in virginibus, in quibus mutuo cohærent partibus ſuis lateralibus, ope quarundam membranularum, quæ illas hoc modo cohibendo, roſei caliculi ſemi expanſi figuram ipſis conciliant: verum in mulieribus ab invicem disjunctæ ſunt, præſertim vero in iis, quæ pepererunt: quoniam, ſi membranæ, quibus conjungebantur, ſemel fractæ fuerint, ſive penis intruſione, ſive fœtus extruſione, nunquam deinceps denuo coaleſcunt. Ex carnoſis vaginæ rugis componuntur, quo anguſtior evadit introitus. Regnerus de Graaf *de Mulier. Organ. cap.* 5. *Oper. p. m.* 192. ita ſcribit: quatuor carunculas myrtifor-

non eſſe carunculas ſed rugas.

mes adeo decantatas, cum hactenus frustra quæsiverimus, arbitramur, plerosque anatomicos orificii vaginæ corrugationes seu membranosas inæqualitates nullo certo numero comprehendendas nobis pro veris carunculis obtrusisse; quæ in parturienbus & post partum ita obliterantur, ut earum vestigium ne vel minimum quidem remaneat: unde liquet, membranosas illas corrugationes seu inæqualitates, quas pro carunculis sive carnosis eminentiis accipiunt, non esse veras carunculas, quoniam in magna vaginæ orificii distensione, qualis in partu contingit, suam figuram ac molem servarent, aut aliquod saltem earum vestigium remaneret; quod si contingeret, parturientibus magno forent impedimento: quandoquidem asperitate & inæqualitate sua egredienti fœtui tanquam obices resisterent. (vide verba Riolani.) De his carunculis scribit etiam Jean Palfyn *l. a. p. m.* 35. *seq.* Plusieurs anatomistes anciens ont établi à l'entrée du vagina quattre petites eminences charnües disposées en rond, qu'on appelle ordinairement caroncules myrtiformes &c. Mais les anatomistes modernes disent au contraire, qu'on ne trouve rien de semblable dans les dissections, & qu'on n'a jamais pû rencontrer quattre morceaux de chair, ou quattre petites eminences charneuses; par consequent on aura tres-juste raison de conclure, qu'elles ne sont pas du dessein de l'Autheur de la nature, & que à leur place il faut reconnoitre les rides membraneuses ou les inégalités, qui s'elevent par dessus la surface interne du vagina, puisque si ces caroncules des anciens étoient effectivement, elles garderoient leur grandeur & leur figure dans la grande distension de l'orifice du vagina, ou du mains en demeureroit-il quelque marques.

§. 4.

an sint hymen. De his quatuor carunculis scribit Dominicus de Marchett. *Anat. cap.* 7. *p.* 78. *seq.* Meatum urinarium a caruncula singulari tegi, ne injuriosum aliquid vesicam ingrediatur, reliquas tres non omnino unitas hymenem constituere; ast fracto postea

hymene

hymene in principio ſignum caruncularum apparere, in progreſſu parvulas evadere, & aliquando nullum ipſarum ſignum conſpici. Ejusdem ſententiæ eſt etiam Chriſtianus Ludovicus Welſchius *Tabul. anat.* 52. ubi ſcribit: carunculæ myrtiformes in virginibus nunquam conſpiciuntur; ſed quando hymen rumpitur, ejus fibræ reſiliunt, & membranoſas inæqualitates, nullo certo numero comprehendendas, repræſentant; hæque corrugationes decantatæ illæ ſunt carunculæ, quæ in feminis ſæpe parturientibus ob crebriorem vaginæ diſtenſionem ita evaneſcunt, ut nullum vel leve ſaltem earum veſtigium remaneat. Juxta Joh. Munnicks *Anat. p. m.* 77. hymenis forma defloratis & veneris uſui aſſuetis ita aboletur, ut in ambitu vaginæ ex hujus membranulæ dilaceratione conflata cernantur tria laxa tubercula, quæ carunculas myrtiformes perperam nuncuparunt diſſectionum auctores: hæ quippe in illibatæ virginis pudendo, expenſa hymene, nequaquam conſpiciuntur. Item Laurentius Heiſterus *Compend. Anat.* §. 234. *p.* 81. inquit: carunculæ myrtiformes ex hymenis laceratione oriuntur, & nunc duæ, tres, nunc quatuor obſervantur, eo præciſe loco, ubi olim hymen erat; deſuntque in infantibus. Johannes Veslingius *Syntagm. anat. cap.* 7. *p.* 104. *ſeq.* his partibus caruncularum nomen non impertit, ſed vocat easdem productiones carnoſas myrti folia amygdalive nucleum exprimentes, quæ & ipſæ parte ſuperiore ſinum anguſtant: quibus ulterius meatum urinarium cingens caruncula addita conſpicitur. Et Michael Bernhardus Valentini carunculas myrtiformes nihil aliud eſſe ſtatuit, quam productiones certarum glandularum, quibus diducto paulatim vaginæ ductu, ſuperficies interna tota obſita conſpicitur. *v. M. N. C. Dec. II. An.* 2. *p.* 462.

§. 5.

Ratione uſus harum caruncularum ſic dictarum myrtiformium, utplurimum autores in eo conveniunt, ut primo inſerviant ad tutelam partium internarum, dum immediate cervicis *Caruncularum uſus.*

orificium claudunt, ne introeat aer frigidus, pulvis &c. ad quod etiam nymphæ & labia pudendi faciunt. Secundo ad titillationem & voluptatem, dum inflantur & penem constringunt. v. Thom. Barthol. *Anat. Lib. I. cap.* 33. *p.* 291. & Realdus Columbus *de Re anatom. cap. II. p.* 445. *seq.* inquit: in cervicis uteri finibus, vulvam versus, nonnullæ carunculæ prominent, a quibus voluptas ac delectatio in coeundo non parum augetur. Jean Palfyn *l. a. p.* 35. *seq.* ait: les caroncules mirtiformes servent, à ce qu'ils disent, à rendre l'entrée du vagina plus étroite, pour empêcher que l'air froid ne puisse incommoder la matrice; comme aussi pour augmenter le plaisir mutuel dans l'action du coit; car ces caroncules étant dans ce temps font grossies & remplies de sang & d'esprits, serrent agreablement la verge de l'homme, de laquelle la femme est aussi bien mieux chatouillée par ce moien. Secundum Petri Dionis *Anatom. Demonstr. IV. Sect.* 2. *p.* 240. *seq.* duplex est ipsarum usus, unus ut penem amplectantur, & constringant, cum intromissus est, quo mutua voluptas in coitu augetur; alter vero, quod extendi facile possint, ut tempore partus fœtui permittatur exitus. Imo fuit observatum, illas non amplius conspici primis post puerperium diebus, ob ingentem vaginæ dilatationem, nec denuo cerni, nisi postquam pars illa iterum coarctata fuerit, primoque statui restituta. Denique paulo ante §. 2. vidimus, Severinum Pinæum statuere, has carunculas ita invicem esse vinctas, ut foramen quoddam relinquatur, per quod tempore coitus penis virilis intrudatur; talisque carunculararum conjunctio multis anatomicis pro hymene, (de quo paulo post agemus) uti hactenus dictum, haberi solet.

§. 6.

Caruncula elongata.

Rarioribus casibus adscribenda est observatio de carunculæ cujusdam myrtiformis nimia elongatione seu excrescentia, in partu primiparæ ab obstetricis violentia ortum trahente, atque a Francisco Mauricæo extirpata, cujus verba ex ipsius observationibus de la Grossesse *p.* 183. *supra Sect. II. Capit.* 1. §. 31. adduximus.

Et

Et de nimia caruncularum anguſtia ſeu vaginæ clauſura coitum ſeu penis interiorem admiſſionem impediente, earumque operatione chirurgica vid. Dionis Cours d'operations de chirurgie *Demonſt. III. p. m.* 191. *ſeq.* de qua materia paulo infra, de atretis, occurrent.

CAPUT IV.
De meatu urinario & proſtatis.

§. 1.

Quanquam meatus urinarius ſeu urethra proprie ad partes urinæ ſecretioni & excretioni inſervientes, v. g. ad renes, ureteres & veſicam pertineat; quia autem plerique anatomici eundem inter partes mulierum genitales deſcribunt; urina etiam, uti ſupra diximus, per hunc meatum expulſa, atque exeundo ad nymphas ſeu proceſſus clitoridis alliſa, ſibilum in virginibus excitat, nos ideo quoque de eadem, hoc loco circa partes pudendi muliebris, pauca referemus. *Urethra.*

§. 2.

Prominet ſcilicet juxta Franciſci Stockhameri *Microcosmograph. cap. 7. p. m.* 84. urethra muliebris ſeu meatus urinarius in medio nympharum transverſo circiter digito ſub clitoride, a collo veſicæ usque ad ſuum finem, duorum digitorum transverſorum longitudinem non excedens, craſſitie vero pennam anſerinam adæquans. Juxta verba Emanuel. Kœnig. *Regn. anim. Sect. I. Art.* 22. *p.* 133. eſt foramen urethræ ſub clitoride ex duobus cruribus ab oſſe pubis exortis conſtante corporibus itidem duobus nervoſis ſpongioſis & capite ſubrotundo præputio tecto pro libidine exſuſcitanda. Et ſecundum Thomam Bartholinum *Anat. Lib. I. cap.* 30. *p.* 281. *ſeq.* ad finem colli uterini antica & ſuperna parte, non longe a vulva in conſpectum venit veſicæ inſertio, ut urina ibi per communem ductum expurgetur, digitalis internodii longitudinem æquat, exterius carnoſa, vel potius car- *Situs.*

noſo

noſo ſphinctere obvoluta. Hujus meatus urinarii ſitus ſeu locus diligenter eſt notandus, ne in applicatione catheteris pro vario ſcopo inſtituenda error aliquis committatur. Quod admonet etiam Jean Palfyn *dans la deſcript. anatom. des part. de la Femme p.* 18. inquiens: Le canal nous eſt du tout important à connoître, car comme c'eſt un petit ſentier, qui ſe vient ouvrir à un grand chemin, & qui ſe termine tout proche l'orifice du vagina, il faut étre aſſez prudent pour bien imaginer le lieu veritable de ſa ſituation, à fin de ne ſe pas méprendre lorsqu'il s'agit de ſonder les femmes, ſoit pour la ſuppreſſion de l'urine, ſoit pour le rendre certain de la pierre dans la veſſie. Le conduit de l'urine ſe trouve ſitué immediatement au deſſus de l'entrée du vagina, environ un travers de doigt deſſous le clitoris, proprement parmi les nymphes, qui ſont à ſes côtez, qui ſe joignent enſemble, & ne laiſſant qu'un chemin tres-étroit a noſtre canal font que l'urine en ſort avec quelque ſorte de bruit & de mouvement extraordinaire &c. De hac urethræ inſertione ſequentia ſcribit Michael Bernhardus Valentini *Epiſt. ad Joh. Dan. Widtium M. N. C. Dec. II. An.* 2. *App. p.* 461. *ſeq.* ſe in ſectione puellæ octodecim annorum monſtraſſe primum iis, qui tum a latere forte ſtabant, philiatris, ſcitu viſuque dignam prorſus urethræ inſertionem, quæ ſub una caruncularum myrtiformium extus erumpebat. Hinc ſui forte immemor erat celeberrimus Dn. Sylvius, cum ipſum urethræ exitum ſub alis ſeu nymphis eſſe ſcriberet. Enimvero ſi caſus ſæpe deſperatus catheteris urgeret uſum, & adſtans forte medicus oſculum ductus urinarii ſub alis quæreret, omnium etiam infimæ ſortis chirurgorum riſui ſe exponeret. Aut ergo quandoque bonus dormitat Homerus, aut non plane de nihilo eorum opinio, qui multam praxeos Sylvianæ partem diſcipulorum fœturam eſſe credunt. Hæc Valentini. An vero Franc. Sylvius ob verba a Valentini adducta, quæ quidem in ipſius Sylvii operibus reperire non licuit, tantum virgulam cenſoriam atque chirurgorum infimæ ſortis deriſionem mereatur,

ſane

ſane non video, cum dictus Sylvius non dicat, urethræ exitum ſub fine ſeu infima parte nympharum eſſe; Quia autem nymphæ ſecundum ſuperius adducta, ſtatim ad oſſium pubis commiſſuram exordiuntur, ipſamque clitoridem, quæ utique ſuper urethra eſt, inſtar præputii veſtiunt, indeque tanquam ejusdem productiones ad utrumque meatus urinarii latus usque ad medium orificii vaginæ deſcendunt, hinc etiam Regnero de Graaf *l. a. cap. 6. p.* 210. urinarius exitus ſupra vaginæ orificium inter nymphas conſpici dicitur; cur non etiam Sylvius, urethram ſub alis ſeu nymphis eſſe, dicere poterit, quamvis non ſemper ab ipſis tegatur. Præterea etiam Johannes Wierus in ſuis obſervationibus medicos voluit admonitos, extremitatem colli veſicæ exteriorem non eodem in cunctis feminis loco apparere. Enimvero pluribus ea ſupra cervicis uteri anguſtias exteriores ſub nympha conſpicitur: paucis introrſum in ſuperiori parte pudendi latet: quare hujus dilatatione opus eſt, ſi quid in eam immittendum quacunque occaſione fuerit. vid. Joh. Wier. *Oper. pag. m.* 938. Num vero urethræ inſertio ſub quatuor vaginæ carunculis poſita ſit, uti *l. a. pag.* 463. refert Michael Bernharhus Valentini, atque an urethra a tali caruncula occludatur, res adhuc dubia eſt.

§. 3.

Videntur equidem nonnulli autores harum caruncularum myrtiformium ſuperiori officium, urethram occludendi, attribuere, ſiquidem juxta Joh. Riolan. *l. a. fol.* 187. eadem veſicæ orificium in virginibus tegit, & usque ad quindecim annos totum ferme foramen occludit; & juxta Joh. de Muralt. *Clav. medicin. exercit. 9. pag. m.* 421. ſub clitoride foramen urethræ ſeu colli veſicæ extremitas eſt, per quod urina redditur, a caruncula majori & bifida occluſum. Inquit etiam Franciſcus Plazzonus *de Partib. Generat. Lib. 2. cap. 4. p.* 112. ne aer frigidus, pulvis aut ſimile quid externum in veſicam intret poſt urinam redditam, una ex carunculis myrtiformibus anterior in ambitu meatus urinarii ſita eſt, *Urethræ occluſio.*

quæ illum claudit. Item Jean Palfyn *l. a. p.* 35. ſcribit: la caroncule, qui eſt plus grande que les autres, & qui eſt fendue en deux, eſt placée au devant du trou du conduit de l'urine, quelle bouche apres que l'urine eſt rendue. Et Johannes Veslingius *Synt. anat. p.* 104. *ſeq.* urethræ exitum a caruncula cingi, & dictus Valentini eadem muniri ſcribit. Quia vero dictæ carunculæ, juxta ipſum Riolanum & alios ſupra allegatos autores, non veræ ſint carunculæ, ſed potius rugæ ſeu plicæ vaginæ uteri, quæ etiam tempore, & quidem poſt frequentem coitum aut partum penitus diſparent; ſane ipſis munus urethram, occludendi ſeu conſtringendi, difficulter adſcribi poterit; hinc etiam alii autores meatum urinarium ab hac caruncula ſuperiori tantum tegi, vel intra eam ſuſcipi, vel eidem ſubeſſe ſcribunt. vid. Petr. Dion. *Anat. pag.* 240. Guern. Rolfinc. *l. a. p.* 189. Dominic. de Marchett. *Anat. cap.* 7. *p.* 78. Riolan. *l. a.* Ipſum autem meatum urinarium mediante ſphinctere ſeu muſculo circulari, occludi atque conſtringi, præter anatomiam teſtantur autores. Inquit enim Petrus Dionis *Anatom. p.* 239. meatus ille cingitur ſphinctere, qui eſt muſculus urinæ pro libitu retinendæ vel emittendæ inſerviens. Et Regnerus de Graaf *de Mulier. Organ. cap. 6. Oper. p.* 210. ita ſentit: inter nymphas meatus urinarii exitus conſpicitur, qui ſicuti reliquæ corporis partes, per quas humor aliquis notabili quantitate erumpere conſuevit, aliquantulum prominet, quam prominentiam ſtricte loquendo male carunculam appellant anatomici, cum nihil carnis in ſe contineat, eamque urethræ orificium claudere volunt; nec hoc nobis veroſimile videtur: quandoquidem muſculus ſphincter veſicæ collum conſtringendo ſufficiat; ac proinde non magis in feminis, quam in viris urethræ orificium carunculam deſiderat; haud enim ab externis corporibus metuendum eſt, ne veſicam urinariam ejusve meatum ſubeant, cum nympharum productionibus ac labiorum tegumentis ſatis ſuperque muniantur. Quam Regneri de Graaf ſententiam Gallicis verbis ita reddidit Jean

Palfyn

Palfyn *l. a. p.* 18. L'entrée du conduit de l'urine, conformement à toutes les autres, qui donnent paſſage à quelque liqueur, s'eleve un peu en tumeur par deſſus les parties, qui luy ſont voiſines; & c'eſt ce qui a donné ſujet à la mépriſe des anciens ſur le fait des caroncules, puisqu'on ne s'apperçoit d'aucune eſpece de chair, dont ils vouloient fermer l'orifice de l'urethre, que le muſcle ſphincter en ſerrant le col dela veſſie, qui pourroit ſervir à ce deſſein, & qu'en fin l'orifice de l'urethre ne demande pas mieux une caroncule dans les femmes, que dans les hommes, & il n'y a pas à craindre, que la veſſie de l'urine & ſon canal ſoient offencez par quelques corps étrangers; d'autant que les productions des nymphes, & les tegumens des levres ſont capables de s'oppoſer à ce danger.

§. 4.

Differt etiam meatus urinarius muliebris a virili, quod hoc brevior ſit & latior, ſiquidem circiter internodii digitalis aut duorum digitorum transverſorum longitudinem atque pennæ anſerinæ aut calami ſcriptorii latitudinem obtinet, vel hanc etiam ſuperat, levique opera in tantum dilatari poteſt, ut digitum auricularem facile admittat; imo ulteriori artificio hunc meatum ita dilatari poſſe, ut calculi inſtar ovi columbini per eum extrahi valeant, ſcribit Regnerus de Graaf *l. a. p.* 211. & juxta Johannem Wierum *l. a.* Veſicæ meatus collumque integrum usque in veſicam eatenus organo dilatante commodo extendi poteſt, ut magnum digitum non difficulter intro admittat, ſi fortaſſis huc calculum impingere, vel alius neceſſitatis occaſionem requirere tantam dilatationem contingat. Ob dictam urethræ brevitatem atque latitudinem in veſica muliebri non facile poſſunt concreſcere calculi, dum ſecundum Guilielm. Fabric. Hildan. *de Lithotom. Cap.* 22. *p.* 141. *& Oper. fol.* 740. phlegma, arenulæ & quicquid inſuper materiam calculo generando ſubminiſtrare poteſt, facile cum urina educitur. Vel juxta Petri Dionis *Anatom. Demonſtr.* 4. *p.* 239. urinam ſuam citius effundunt

longitudo.

latitudo.

dunt feminæ, hincque aliam præterea percipiunt utilitatem, quod nimirum urina celeriter effluendo lapillos ſecum devehat; cum e contra arena & ſabulum frequenter in virilis veſicæ fundo remaneant. Unde etiam mulieres calculo tam frequenter non laborant ac viri, vel non tantis calculi cruciatibus obnoxii ſunt. Plura de feminarum meatus urinarii longitudine & latitudine facilique majorum calculorum excretione in Urologia noſtra reperies.

§. 5.

Urethra a muco obſtructa.

Quandoque etiam meatus urinarius a calculis aut ejusmodi ſedimento ſabuloſo obſtipatur, ut catheteris applicatione opus ſit, quod etiam in quibusdam ſubjectis, poſt diuturnos morbos exſiccatis, a mero muco accidere ſolet, ut per aliquot dies ne quidem guttulam urinæ mittere queant, uti teſtatur Guernerus Rolfincius *l. a. p.* 192. de honeſta matrona, quæ iſchuria laborans applicito cathetere prima vice nihil excrevit, foramine lento muco obturato; altera vice multam urinam excrevit & liberata eſt.

§. 6.

Proſtatæ feminarum.

Solent etiam nonnulli autores hoc loco circa veſicæ meatum urinarium de feminarum proſtatis agere, quia præſertim earundem ductus liquorem quendam, in certis glandulis ſecretum, in anteriorem vaginæ uterinæ partem deponunt; has glandulas atque ductus jamjam Galeno non fuiſſe incognitas, videmus in ipſius tractatu *de Uſu Part. Lib.* 14. *cap.* 9. *fol. m.*288. *b.* ubi de venereæ voluptatis cauſis agens ita ſcribit: Accedit his cauſis aliud præterea quoddam adjumentum non aſpernandum, a corporibus glanduloſis, quæ utraque parte colli veſicæ ſunt locata: in quibus & ipſis humor quidam ſpermati ſimilis, verum tenuior longe, continetur. Scilicet juxta Philipp. Verheyen *Anat. Tr. II. cap.* 29. *p. m.* 204. obducitur urethra exterius ſubſtantia albicante, partim glanduloſa, partim membranoſa, ex qua procedunt quidam meatus, qui inferius in principium

urethræ

urethræ & anticam vaginæ partem desinunt, atque loca vicina humore seroso-pituitoso irrigant. Et Regnerus de Graaf *de Organ. Mulier. cap.* 6. *Oper. p. m.* 211. *seq.* ita scribit: Interius urethra tenui membrana cingitur, quæ in inferiore parte prope mearus urinarii exitum magnos ductus sive lacunas admittit, per quos materia pituitoso-serosa quandoque copiose erumpit. Inter membranam tenuissimam & fibras carneas reperitur secundum totum urethræ ductum substantia membranosa albicans, unius fere digiti transversi crassitiem habens, quæ totum urethræ canalem cingit; & hæc est substantia, quam perreptant, & in qua terminantur ductus illi, qui in principio urethræ & in inferiore antica vaginæ parte reperiuntur, quemadmodum inflatis ductibus illis non obscure cernitur; ita, ut non adeo male substantia illa mulierum prostatæ sive corpus glandulosum possit appellari. Secundum Godefridi Bidloo *Anatom. Tab.* 51. obducitur totus urethræ ut & uteri vaginæ tractus glandoso acervo vasculisque pluribus, quorum ductus tam in vaginæ orificio, quam urethra ipsa aperiuntur. Verba Petri Dionis *Anatom. Corp. hum. Demonstr. IV. Sect.* 2. *p.* 239. sic sonant: Inter carnosas urethræ fibras & vaginæ membranam corpus quoddam occurrit subalbidum & glandulosum, transversum digitum densum, quod secus & circa vesicæ collum extenditur. Plures habet meatum, qui totidem sunt canales excretorii, quos lacunas nuncupat Graaf, qui in inferiori vulvæ parte terminantur, in quam humorem quendam albugineum effundunt, qui maris semini commiscetur. De lacunis juxta pudendi labia hæc refert Johannes Rhodius *Mantiss. anat. Obs.* 93. *p.* 29. binas juxta pudendi labia in mulieribus lacunas tradit Franciscus Plazzonus *de Part. Generat. Lib.* 2. *cap.* 6. Anno 1623. d. 18. Mart. studiosius mihi in eas inquirenti in publica dissectione respondit, eas in defunctis minus conspicuas, mox a concubitu in vivis tamen observatas, emanante salivali humore, qui maris pubem irrigat. Itaque anni sequentis Martio in cadavere prægnantis rusticæ eas per-

vestigavit, ac immisso stilo exili perspicue ostendit. De his prostatis ita loquitur Isbrandus de Diemerbroc *anat. L.I. cap. 26. fol.* 153. Cervix vesicæ intus constat tenui membrana, quam circumcingit substantia membranosa & quasi glandulosa, albicans, transversi circiter digiti crassitiem habens, plurimis porulis, maxime circa meatus urinarii exitum, donata, per quam ductus quidam majusculi excurrentes, prope meatus urinarii exitum, donata, atque etiam in antica vaginæ uterinæ parte terminantur. Juxta Jean Palfyn *descript. anat. des part. de la femme p. m.* 19. le conduit de l'urine dans les femmes adultes est composé interieurement d'une membrane deliée la quelle est entourrée d'une substance glanduleuse, blanchastre, de l'epaisseur presque d'un travers de doigt, d'ont prennent naissance certains petits conduits, qui se trouvent au commencement & à l'orifice du canal de l'urine, & dans la partie inferieure & anterieure du vagina. Sequentia refert Guernerus Rolfincius *de Part. genit. cap.* 41. *p.* 192. duo alia foramina præter urethram ad latera vestibuli utrinque parva ruga velut operculo tecta occurrunt, ab his in congressu manat ἡ μὲν ὑγρασίη σπερματικὴ, seminalis humor propositus ab Aristotele. Harvejus album, quod profluit prope clitoridem, his foraminibus etiam adscribit. Lindanus, non liquere, ait, an sit humor seminalis, & quo meatus harum lacunarum tendant. Dari autem in vivis & mortuis, concedit. Scribit etiam Adrianus Spigelius *de hum. corp. fabric. cap.* 18. non negligenda sunt duo cæca foramina, quæ statim apparent diductis labiis, sed fere tantum in vivis, cum admodum parva sint, in quibus serosus quidam humor non parva quantitate prodit, qui maris pubem in coitu madefacit. vid. Sim. Pauli *digress. de Febb. malign.* §. 17. *p.* 30. Et secundum verba Francisc. Plazzoni *de Partib. Generat. Lib.* 2. *cap.* 6. *p.* 123. in cervice uteri notandum venit, quod statim, ubi rimam pudendi intra labia penetraveris, in feminis, præsertim salacioribus, duo utrinque

sese

ſeſe offerunt cæca foramina ſeu lacunæ, in quibus ſolet ſeroſus quidam humor in copia aſſervari, qui in coitu expreſſus ad delectationem conducit. Et hic humor eſt, quo feminæ maris pubem madefaciunt, quem Ariſtoteles *Lib. I. de Generat. animal. cap.* 20. non ſemen, ſed humorem loci proprium eſſe dicit, ab utero excretum. Hæ lacunæ non niſi oculatisſimis conſpicuæ ſunt, idque in vivis tantum, & paulò poſtquam humorem hunc emiſerint. Licet ego quoque in mortuis manifeſta earum deprehenderim veſtigia. Hæc Plazzonus. Plura de his glandulis & meatibus vid. Caſp. Bartholin. *de Ovar. muliebr. p.* 19. *ſeq.* & Thom. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. V. Obſ.* 13. *p.* 40. *ſeqq.*

§. 7.

Harum proſtatarum liquor nonnullis ad humectationem urethræ inſervire dicitur, cui tamen ſententiæ contradicit Regnerus de Graaf *de Org. Mulier. cap.* 6. *Oper. p.* 212. *ſeq.* inquiens; neutiquam ſuccum proſtatarum ad urethram humectandam (ut quidam opinantur) a natura deſtinatum eſſe, vel inde patet, quia in ejus exitu collocantur ductus, ut erumpens urethram non attingat, quod non fieret, ſi ad humectandam urethram liquor ille deſtinatus foret. Potius juxta eundem autorem talis proſtatarum pituitoſo-ſeroſus ſuccus acrimonia & ſalſedine ſua mulieres ſalaciores reddit, pudendasque partes cum jucunditate in coitu lubricat. *vid. etiam Cap.* 13. *p.* 323. Idem jam dudum ſtatuit etiam Galenus *de Uſu Part. Lib.* 14. *cap.* 11. *f.* 289. Humor, inquiens, qui in illis corporibus glanduloſis gignitur in feminis, cum foras effunditur, tum etiam in muliebre pudendum, cujus uſus eſt, ut ad res venereas impellat: ut in commiſcendo corpore, jucunditate titillet ſenſus. Feminis ſcilicet laſcivis ſæpiſſime, reliquis autem ordinarie, in coitu liquorem quendam per partes genitales externas effluere, medicis ac mulieribus ſatis notum eſt. *Proſtatarum liquoris uſus.*

§. 8.

Ex quibus autem fontibus talis humor oriatur, inter ſe *Ortus.*
diffe-

differunt autores veteres atque moderni, quorum illi plerique hunc liquorem a testiculis muliebribus derivabant, illumq; pro semine muliebri habebant; quibus etiam ex recentioribus consentiunt nonnulli, qui in principio ova in ovario admittere nolebant, sed potius testiculos in coitu semen suum hoc modo profundere credebant. Donec tandem Regnerus de Graaf & alii ante aliquot annos talem liquorem a certis glandulis, quas prostatas feminarum vocant, atque per certos meatus, lacunas ipsis dictos, propullulare demonstrarent. Hos tamen meatus pro tam copioso humore, quantus nonnunquam in coitu a feminis profluit, non sufficientes arbitratus est Casp. Bartholinus, sed alios circa exitum urethræ & vaginæ orificium vidit magis patentes, quos etiam huic humori excernendo idoneos credidit, præcipue cum attentius considerati originem utrimque ducere videntur a substantia quadam glandulosa, prostatis virorum fere analoga, vel sane illi simili, quam in urethra ductus, a Graafio descripti perreptant. v. Casp. Bartholin. *de Ovar. Mulier. p.* 19. Johannes van Horne statuit, quod quamvis seminalem humiditatem in coitu cum voluptatis sensu emittant mulieres, illa tamen non e testibus huc perveniat, sed ex ipsa glandulosa uteri interni substantia, per minutosque meatus exprimatur beneficio spiritus per arteriolas & nervos affluentes. v. Johann. Swammerdam. *Miracul. Natur. seu de Uter. cap.* 1. in Biblioth. anat. Nange *Tom. I. f.* 495. Porro hunc liquorem, in coitu & alias in vaginæ partem anticam profluentem, pariter ex vaginæ uterinæ glandulis earumque conglomerationibus botriformibus secerni, per alias autem vias, scilicet carunculas myrtiformes, quas harum glandularum propagines esse asserit, excerni arbitratur Michael Bernhardus Valentini *M. N. C. Dec. II. An.* 2. *p.* 462. *seq.* Quodsi tamen secundum Cap. III. §. 2. & 3. dictæ carunculæ myrtiformes ab aliis autoribus non pro veris carunculis, sed potius pro eminentiis ex carnosis vaginæ rugis compositis judicentur, tunc sane tanta liquoris copia ab ipsis expectanda non erit.

§. 9. De

§. 9.

De errore autem veterum, qui hunc liquorem pro ſemine muliebri habentes, ex ejusdem profuſione, quæ mulieribus ſæpe in coitu cum voluptate accidit, arguere conantur, feminas omnes in coitu ſemen profundere, idemque ad generationem neceſſarium eſſe, ſcribit Guilielmus Harveus *de Generat. animal. Exercit.* 34. *p.* 181. *ſeq.* non omnes quorumlibet animalium feminas, nec mulieres quidem omnes, talem humorem emittere; nec citra ejusmodi emiſſionem conceptum neceſſario fruſtrari. Novi enim, pergit idem, plurimas, quæ citra talem ejectionem fœcundæ ſatis eſſent; & nonnullas etiam, quæ, poſtquam emiſſionem ejusmodi expertæ ſunt, majore quidem voluptate in coitu delectarentur, ſed de fœcunditate ſolita plurimum amitterent. Infinita etiam exempla ſunt feminarum, quæ, licet in coitu voluptatem ſentiant, nihil tamen emittunt & nihilominus concipiunt. Miratur etiam maxime Harveus, eos, qui emiſſionem hanc ad generationem neceſſariam putant, non animadvertiſſe, humorem illum foras ejici, & circa clitoridem vulvæque orificium utplurimum profundi; raro intra vulvam, nunquam vero intra uterum, ut cum maris ſpermate miſceatur; eſſeque conſiſtentia ſeroſum ſive ichoroſum, ad modum urinæ, non autem genituræ inſtar, lentum atque unctuoſum; ut tactu facile innoteſcit. Quorſum autem foras ejiciatur, cujus uſus neceſſario intus requiritur? Debuitne humor ille, ceu utero valedicturus, ad limen vulvæ, amandari, ut majore cum gratia ab utero retraheretur denuo? &c. Et Johannes Conradus Peierus ad Joh. Jac. Harderum ita ſcribit: Mulieres in congreſſu ſemen emittere, virorum inſtar, vetus eſt traditio, qua te non credam occupatum. Decipi, qui amant, facillime poſſunt humore turgentibus vel ad connubium ſollicitatis ac incenſis libidine femellis e vulva profuſo, qui nihil aliud eſt, quam pituita uteri colliquata, & ſerum e glandulis vaginalibus (quas Joſephus du Verney & Caſpar Bartholinus primi detexerunt) ex- *an ſit ſemen?*

X cretum

cretum ſemen enim ſi eſſet, inutiliter ita profunderetur. Vidi aliquando rejectas ab equa turgente muccaginis illius plures uncias, quot ſuppeditare nequiviſſet vel uterque teſticulus. vid. Pæon & Pythag. *Exercitat. p. 97. ſeq.* Et Caſp. Bartholinus *Specim. Hiſtor. anat. cap. V. p.* 83. hunc liquorem ejusdem plane naturæ inquit, ac humor ille, qui in proſtatis virorum ſecernitur. Scribit etiam Johannes Fridericus Ortlob *Hiſtor. Part. Diſſert. XXX.* §. 4. *p.* 274. communiſſima & a medicis fere omnibus recepta erat ſententia, quam Laurentius, Fallopius & Whartonus recenſent, a teſticulis muliebribus ſemen per tubas ad uterum venire, aqueum plus minus ſpiſſum eſſe; ad vaginam copioſius confluere & a libidinoſis interdum cum voluptate excerni. Enimvero ſciendum, 1) liquorem illum non venire a teſtibus, ſed partim in proſtatis feminarum, partim in vaginalibus glandulis ſecerni, partim ex collo uteri per vaſa Malpighii & Caſpari Bartholini ad vaginam deponi: 2) non poſſe eſſe ſemen, quia copioſiſſime confluat, & ſine fœcundo congreſſu in libidinantibus inveniatur, imo non a ſanguine vaſorum ſpermaticorum, ſed hypogaſtricorum potius ſeparetur, & tandem in ipſam uteri ſubſtantiam non recipiatur, ſed ab eo potius excernatur. Louis Bellefontaine *dans la Medecine dogmatique mechanique Exerc. VII. p.* 37. *ſeq.* inquit: L'humeur, que les femmes dechargent pendant le congrez, n'eſt pas une vraye ſemence, parcequ'elle ſort des parties exterieures d'environ le clitoris & orifice du vaginal, elle reſte meme rarement au dedans de la vulve, quelque temps, mais il eſt certain, qu'elle n'entre jamais dans la matrice. Pluſieurs femmes concoivent ſans avoir dechargé cette humeur, comme elle avouent; & on n'y voit ni la conſiſtence de ſemence, ni n'apperçoit-on la ſpirituoſité requiſe à cette derniere humeur, & même les femmes publiques, qui ſe polluent pluſieurs fois tous les jours, ne ſont jamais debilitées par l'excretion de cette humeur ſereuſe. Elle n'a pas non plus l'elaboration requiſe à ſemence, parce qu'elle ne reçoit pas ſa production dans

les

les organes deſtinez à la generation de la ſemence, mais elle vient de certaines glandules épaiſes dans les tuniques du vagina, qui ont les orifices de leurs vaiſſeaux excretoires ouverts en grand nombre dans la cavité de ce canal, de ſorte que par quelque affection bien ſouvent, ou par le chatouillement pendant le congrez, s'enſuit la conſtriction des fibres nerveuſes de ces parties, qui eſt la cauſe de l'emiſſion de cette humeur. Le vray uſage de cette humidité eſt d'arroſer perpetuellement le vagina, & peut-eſtre en quelque ſorte faire, que l'eſprit ſeminal ſoit conduit plus facilement du vagina dans la capacité de la matrice, pour enſuite étre elevé aux ovaires pour la fecondité des œufs. Hæc autem Ludovici Bellefontaine verba ex Franciſci Zypæi *Fundament. medicin. Cap. III. Art. 6. §. 14. 15. & 16. pag. m. 81. ſeq.* deſumpta in linguam Gallicam traducta ſunt.

§. 10.

Quod ſi vero dictus proſtatarum muliebrium liquor evadat morboſus, exinde facillime gonorrhœa, pariter uti in maribus ex proſtatis, oriri poſſe videtur Regnero de Graaf *l. a. Cap. 6. p. m.* 213. cum in utroque ſexu partium & ductuum eadem fere ſit ſubſtantia, ipſe etiam Graaf in muliere gonorrhœa laborante poſt mortem proſtatas exulceratas invenerit. Gonorrhœam ex glanduloſo corpore provenire, & per lacunas, circum & in meatus urinarii exitu collocatas erumpere, cadaveris cujusdam mulieris hoc vitio infectæ diſſecti palam fecit: nam utero ejusque vagina innoxiis, corpus glandoſum ſive proſtatas urethræ circumpoſitas ſolum male affectas offendit Theophilus Bonetus, *cujus vid. Sepulchret. Lib. III. Sect. 31. Obſ. 6. fol.* 1318. Quia autem ſæpiſſime in gonorrhœa mulierum ſeu fluore albo magna ſeri vitioſi ac viſcidi copia, & quidem, teſte, praxi per longum temporis ſpatium dies noctesque muliebres partes irrigat, certe a ſolis proſtatis tanta liquoris abundantia expectari nunquam poterit, ſed omnes in eadem regione ſitas glandulas, etiam vaginales, ſymbolum ſuum huic malo conferre, dubium non eſt. Quam

Cauſa gonorrhœæ muliebris.

ſententiam quoque defendit Michael Bernhardus Valentini *Epiſt. de nova Matricis & Morbonæ muliebris Anatom. M. N. C. Dec. II. An. 2. p. 457. ſeq.* ex qua ſequentia inſerere liceat. Inquit enim *p.* 463. neminem, credo, latet, quantum ſe macerarint omnes fere anatomici, in perquirenda illius liquoris natura, quem ſexus ſequior non tantum in ſtatu ſuo naturali, ſed & præternaturaliter in fluore mulierum albo, copioſe profundere dicitur, quænam ejus origo, quæ officina, & per quæ feratur vaſa? Plurimi, cum manifeſtis carerent viis, ad occultos, &, ut loqui amant, cæcos confugere meatus, adeoque ſe turpiter excæcatos fateri malunt, quam ulteriori perquiſitioni inſiſtere. Alii alia quærunt effugia & ligamenta uteri rotunda huic muneri alligare ſatagunt. Verum neque hi forte ſunt, qui rem acu tangunt. Propius vero veritati acceſſiſſe videtur Caſp. Bartholinus, qui reperta, primo in brutis, deinde quoque in muliebri cadavere, glandula, feminas haud aliter atque viros ſuis gaudere proſtatis, ad urethræ exitum ſitis, cum Galeno fatetur. Verum non una vel altera glandularum tantum humoris imbrem facile plorare poterit, ſed totum glandularum vaginalium contextum ſymbolum quoque ſuum addere inficias ire nemo ſuſtinebit, qui rem penitius conſideraverit. Hic ergo latet fons & ſcaturigo liquoris illius genitalis, qui tantum exercuit anatomicorum ingenia. Et *p.* 467. inquit idem: ſpeciatim racemi noſtri vaginales verus nidus atque focus ſunt, in quo morbona muliebris tragœdias ſuas varie ludit.

CAPUT V.

De orificio vaginæ uteri & hymene.

§. 1.

Orificium vaginæ. CUm ad mulierum partes obſcœnas ſeu genitales internas, plerique autores vaginæ uterinæ orificium annumerare ſoleant, nobis etiam paucis de eodem agendum erit, quod nimirum etiam

etiam vocetur os uteri externum ſeu orificium uteri exterius, os ſinus muliebris, vel ejusdem introitus, veſtibulum pudendi, rima minor, os colli muliebris, quod ultimum tamen perperam dictum judicat Guernerus Rolfincius *de Part. genit. Part.* 2. *c.* 43. *p.* 194. item cervix uteri, quo nomine aliis uteri orificium venire ſolet. Apparet autem dictum orificium diductis labris cutaceis & alis, caruneulis dehiſcentibus, inter nymphas citra medium fiſſuræ magnæ, in virginibus junioribus valde arctum, non ita in illis, quibus ſæpe fluxerunt menſes: latum in venere utentibus, & latius, ſi partus acceſſerit, juxta Philipp. Verheyen *Anatom. Tr.* 2. *cap.* 29. *p.* 203. Et ſecundum Thom. Bartholin. *Anat. Lib.* 1. *cap.* 32. *p.* 290. colli uteri orificium ſeu principium in foſſæ, navicularis dictæ, medio eſt.

§. 2.

Ex hujus orificii vaginæ coarctatione ſeu anguſtia ejusque amplitudine nonnulli certum virginitatis, tam illæſæ, quam violatæ, ſignum petere tentant; ſiquidem juxta Guern. Rolfinc. *l. a.* nobilis capitaneus retulit, ſe noluiſſe ſponſam ſuam prima nocte inire; ſed primum oculari curioſitate, an virgo eſſet, disquirere. Rogatus modum explorationis reſpondit; ſe ſequente mane in ſilvam duxiſſe dilectam, & ſuper ceſpite viridi deprehendiſſe ſinus muliebris introitum orbicularem, ſicque habuiſſe pro illibata. Quam fallax judicium? addit Rolfincius. Econtra in puellis hoc orificium poſt violationem dilatatum apparet, qualia exempla recenſet Felix Platerus *Obſervat. medic. Lib.* 3. *p.* 549. *ſequ.* Ruſticus enim quidam accuſatus a vicina, eum puellam octo annorum compreſſiſſe, in carcerem conjectus, cum factum negaret, puella adducta examinataque primum, uti aſtuta erat, inficiebatur, donec promiſſionibus tandem & minis adacta confiteretur, ruſticum illum ſe in horreum, pane mellito allectam, indeque in vicino cubiculo, lecto impoſitam denudatamque, re quadam dura, circa femora adeo preſſiſſe, ut dolorem aliquem inde, qui tamen non diu durarit, ſenſerit. Cæterum

an ſignum virginitatis?

rum cum ab obſtetricibus Platero præſente inſuper inſpiceretur, deprehenderunt, orificium exterius uteri, plus, quam ea ætate deberet, dilatatum hiare, & rubere, ex quo vim illic ex congreſſu eam paſſam eſſe, etſi non penitus corrupta devirginataque fuerit, judicarunt. Duæ aliæ puellæ, quarum una ſeptem, altera novem annorum, non ſemel, ſed aliquoties, donis allectæ, paſſæ ſunt, ſe a duobus ſubagitari, quorum unus ſeptuaginta ſex annorum erat, alter virili ætate. In utraque puella introitus orificii uteri dilatatus erat, ſicuti in feminis, quæ marito conſueverunt, eſſe ſolet. Item aliam puellam quinque annorum, præſentibus obſtetricibus, cum juſſu magiſtratus Platerus inſpiceret, quam a patre ſuo corruptam aliquæ teſtabantur, ſimiliter orificium cervicis dilatatum adeo, ut facile illum admittere potuerit, deprehendit, & proin vim quoque illi illatam, præſertim cum circumſtantias aliquas enarraret, factum confirmantes, judicavit: paterque fuga ſibi conſulens, nec amplius reverſus, horrendi hujus criminis ſe reum fecit.

§. 3.

Autoris ſententia. Scilicet in hactenus, de carunculis myrtiformibus, a nobis adductis, vidimus, in orificio vaginæ naturalem quandam ex corrugationibus membranoſis, quæ vulgo carunculæ myrtiformes appellantur, deprehendi coarctationem, ratione ætatis differentem, quæ ſcilicet in puellis parvulis totam fere vaginam occludit, in puellis vero adultioribus atque virginibus maturis paulo laxior atque major eſt, uti ex figuris a Regnero de Graaf *de Organ. Mulier. cap.* 5. *Oper. p. m.* 208. *ſeq.* communicatis obſervare licet. Quodſi vero in hanc coarctationem, ſeu foramen a coarctatione remanente, membrum virile minus vel majus intrudatur, illa in tantum, & quidem ſecundum craſſitiem penis, & poſt frequentem coitum, nimium dilatatur, ut exinde vim externam vel etiam virginum deflorationem aliquatenus judicare vel ſuſpicari tantummodo liceat, cum talis dilatatio etiam ab aliis cauſis accidere poſſit; quare etiam in ejusmodi caſu circa

inſpe-

inſpectionem atque relationem aliæ medico circumſtantiæ obſervandæ erunt.

§. 4.

Præter hanc vaginæ uteri anguſtiam naturalem nonnulli anatomici in partibus mulierum genitalibus etiam adhuc membranam, orificium vaginæ in puellis penitus fere occludentem, vel ratione ætatis differenter perforatam, quandoque etiam plane imperforatam, atque medico-anatomicis hymenis & clauſtri virginalis nomine appellatam, ſecundum naturam deprehendi ſtatuunt, quam tamen alii ad vaginam uteri referunt. Vocatur etiam hymen nonnullis autoribus membrana & flos virginitatis cunni puellaris, item eugium & virginal, zona virginea vel caſtitatis & flos virginitatis; in Italia dicitur la telletta, in Gallia la Dame du milieu. Plura vid. Joh. Beverovic. *Epiſtolic. Quæſtion. pag.* 37. *ſeqq.* *Hymen.*

§. 5.

Derivatur hymen a Græco ὑμὴν, ὑμένος, membrana ſeu pellicula, quaſi ab ὕω, quia membrana ex humore naſci creditur, vel ab humore affluente ſemper madeſcit; nobis autem appellatur hæc pars pudendi muliebris nomine hymenis per excellentiam, tanquam exiſtens omnium membranarum præſtantiſſima maximeque notabilis. vid. Isbr. de Diemerbr. *Anatom. Lib. I. cap.* 26. *fol.* 149. Hinc deſcendit vocabulum hymenæus, quod partim ſignificat carmen nuptiale, partim Deum Hymenæum, ſeu nuptiarum Deum. Hymenæum quoque adoleſcentem fuiſſe Athenienſem, adeo pulchrum, ut puella putaretur; illum raptas a piratis virgines Athenas reduxiſſe, ea lege, ut virgine nobili, quam ante amarat, cujusque nuptias deſperarat, quæque una abducta erat, potiretur; quo conceſſo, quia conjugium hoc felix erat, placuiſſe Athenienſibus, ut omnibus nuptiis Hymenæi nomen intereſſet. Uti ex ſchedis Servianis refert Balthaſar Lydius in Joh. Beverovic. *Epiſt. Quæſt. p. m.* 55. *Derivatio.*

§. 6. Porro

§. 6.

cur vocetur zona?

Porro an per zonam cingulum ex lana ovis, quo nova nupta cingebatur, quodque Herculano nodo vinctum vir in lecto solvebat, ominis gratia, ut sic felix esset in suscipiendis liberis, atque Hercules fuit, qui septuaginta reliquit, juxta Mureti sententiam; an vero per zonam claustrum virginale atque per solutam virginis zonam ruptus & violatus hymen intelligendus sit, *vid. ibid. p.* 40. *seq. &* 55. *seq.* quo sensu apud Catullum meretrix de amasio suo conqueritur *Epigram.* 68.

Languidior tenera cui pendens Sicula beta
Nunquam se mediam sustulit ad tunicam.

Subjungit poeta:

Et quærendum aliunde foret nervosius illud,
Quod posset zonam solvere virgineam.

§. 7.

Autorum differentia.

Circa dictam membranam seu hymenem admodum dissentiunt autores, & quidem tam ratione generis grammatici, dum aliis hymen secundum regulas est masculinum, aliis femininum, vg. Marcello Donato, qui *de medic. Histor. mirab. Lib.* 4. *cap.* 15. *p.* 387. inquit: dummodo tunc puella integram priusque quavis causa non vitiatam hymenem habeat; aliis vero est neutrum, vg. Bauhino & pluribus, idque secundum Johannis Riolani *Opuscul. anat. p. m.* 277. imitatione noti versiculi:

Est magnum crimen perrumpere virginis hymen.

Deinde discrepant etiam medici ratione hymenis seu dictæ membranæ existentiam & substantiam; dum nonnulli eandem acriter defendunt, alii econtra penitus negant, idque contra naturæ leges esse confirmant; alii eandem tantummodo in nonnullis vel paucis puellis, & quidem præter naturæ institutum, minime autem in omnibus & secundum naturam hymenem reperiri asserunt; quidam etiam, coarctationem equidem seu angustiam naturalem, non tamen a membrana, sed ab aliis causis, v.g. a carunculis myrtiformibus &c. derivandam concedunt; de quibus alibi, ubi de virginitate agemus.

§. 8. Illi

§. 8.

Illi autores, qui virginibus atque puellis hymenem ſemper atque ſecundum naturam adeſſe ſtatuunt, reliquos eandem negantes, ex propria obſervatione & autopſia, quod ſcilicet in omnibus, quas ſecuerint, virginibus hanc membranam ſeu hymenem deprehenderint, refutant, atque reliquos vel negligentiæ vel imperitiæ accuſant; nihilominus tamen illi ipſi hymenem defendendo tam ratione ſubſtantiæ, quam ſitus ſeu loci & formæ inter ſe diſſentiunt; ſiquidem ſubſtantiam hymenenis alii membranaceam, alii nerveam, alii carneam, alii partim carnoſam, partim nervoſam, alii ligamentoſam, alii venoſam, alii retiformem, alii aranearum telis ſimillimam, item alii tenuiſſimam & ſubtilem, alii craſſam atque robuſtam eſſe aſſerunt. Ratione ſitus quidam anatomici hanc membranam modo in ſuperiori, modo inferiori, nunc in anteriori, nunc poſteriori loco quærunt. Et ratione figuræ alii eandem oblongam, alii lunatam, alii circularem, alii perforatam, alii cribroſam, alii plane imperforatam viderunt; uti ex ipſis autorum, hymenem defendentium atque deſcribentium, verbis patet.

Alii hymenem ſtatuunt.

Hymenis ſubſtantia.

Situs.

figura.

§. 9.

Hymenem ſecundum naturam in puellis & virginibus reperiri defendit Gabriel Fallopius *Obſ. anat. Oper. Tom. I. fol.* 420. ubi inquit: Notandum in ſinu mulierum eſt, quod anatomici aliquot reperiuntur illos deridentes, qui hymen ibi collocant. Verum mea ſententia non ſunt ita deridendi, quoniam revera tu videre poteris in virginibus membranam quandam nerveam, non autem carneam, quæ immediate poſt οὐρηθρὰν adeſt, & claudit ſinum per transverſum. Attamen non eſt integra hæc membrana, ſed in medio perforata tanto foramine, ut minimus digitus manus ſuo apice in adultis facile ingredi poſſit, hocque virginale clauſtrum eſt, ac per foramen ipſius facillime egrediuntur menſes: noluit Soranus eſſe membraneum, ſed potius eſſe ipſius ſinus muliebris anguſtias factas, ex quibusdam

Autores.

rugis collectis, quæ a vasis ex utero illuc prodeuntibus contrahuntur; cumque hæ dictæ rugæ extenduntur in stupratis virginibus, atque dum vasa dicta disrumpuntur, dolorem pariunt, & sanguinem, veluti si mactata esset victima, effundunt. Pace tamen ego tanti viri dixerim, quod mihi potius videtur membrana non admodum crassa, atque in medio, annuli modo, perforata, quæ postea lacerata in stupro, ac præter modum distenta, dolorem incutit, & tandem veluti in viris fit, dum laceratur glandis frenum, evanescit. Hæc Fallopius. Juxta Andr. Vesal. *de Corp. hum. fabric. Lib. V. cap.* 15. *fol.* 410. a tergo colli vesicæ insertionis paulove interius carnea occurrit membrana, quæ hymen & eugion appellata virginibus est peculiaris. In cæteris namque mulieribus coitu, aut alioquin petulanti quopiam attritu divulsa, lacerata ve aboletur, neque inter secandum, aliasve liquido sese offert: quum interim vel citra dissectionem in puellulis, diductis nimirum illarum, perinde ac si emicturæ essent, cruribus, persæpe visitur. Perinde enim ut septum transversum in homine reponitur, aut potius, ut vasis alicujus fundus transversim ipsi innexus, commissusve est: ita quoque membrana hæc transversim in cervice uteri ea, qua diximus, sede consistit, & cervicis substantia eum in modum continuatur, ac si ex ipsa non aliter enasceretur, quam cuticulares carunculæ ex illa prodeunt. Carnea hæc membrana, tota sede, qua e cervicis uteri lateribus enascitur, modice crassior est, quam reliqua ipsius amplitudine: quæ alioquin insigniter tenuis, & non secus, quam carnea quæpiam membrana mollis existit, longa sectione instar rimæ cujusdam pervia, adeo ut hujus sectionis occasione, hymen sanguinis menstrui purgationem in virginibus neutiquam impediat, & albi illius crudique humoris fluxum quoque prompte transmittat &c. Pergit etiam Vesalius, se ab obstetricibus matronisque quibusdam audivisse, nonnullis morem esse, ut puellulis membranulam quandam seu pelliculam perinde ac frustra mulieribus datam ita effringant, ut Judæos præ-

putium

putium resecare cernimus; quod si fit, hymenem tunc disrumpi vitiarique absque dubio quibusdam nupturis non leve rarumque commendandæ virginitatis argumentum præbetur. Johannes Wierus *Observ. Lib. I. Oper. pag. m.* 939. sententiam suam de hymene adversus multorum etiam insignium medicorum conceptam semel opinionem, quasi eo non omnes muniantur virgines, explicans scribit, universum puellarum genus ab initio hymene dotatum esse, nulla excepta, atque hunc virginitatis existere custodem, claustrum & munimentum; hujus membranæ notitiam quoque habuisse Cornelium Celsum, exinde colligit idem Wierus, quod Celsus in calculi feminarum exsectione, virgini digitos subjici vult tanquam masculo (hoc est, per anum, ob hymenis videlicet interpositum & pudendi ostium contractius) mulieri vero per naturalia. Imo dæmonum cum mulieribus concubitum vanum esse mereque imaginarium, ratione hymenis membranæ, qua omnes muniuntur virgines, certissime demonstrari docet idem Wierus *l. a. Lib.* 3. *de Lamiis cap.* 20. *p.* 230. *sq.* inquiens: hujus congressus vanitas fucusque apertissimis atque adeo oculatis testimoniis, ac argumento irrefutabili convincentur, si virgo hoc depravatæ imaginationis fascino agitata, ludibriaque ejusmodi perpessa, quæ a dæmonis initu corrupta creditur (qualem apud Hollandos religiosam, ex propria peractæ cum dæmone hujus spurcitiei confessione flammis adjudicatam scio) ab obstetrice perita, vel alia non indocta, femina inspiciatur contrectetur que: eam enim adhuc virginitatis zona, hymene nimirum, munitam esse, (si alioqui a viri concubitu fuerit libera) comperietur. Ea siquidem omnes virgines ab initio dotatas obvinctasque a conditore Deo fuisse, contra multorum secus contendentium sententiam ostendere volui. Item autor Italicus, Scipio Mercurius *della Commare Lib. I. cap.* 2. *p.* 11. *seq.* scribit: Io so che la maggior parte de' moderni hà per favola, che nelle vergini sia questo himeneo, e se alle volte s'é veduto in alcuna, non pero in tutte si ritrova, come

di cio sottilissimamente ne disputa oratio Augenio; io non dimeno mi contento andar à seconda, perche in Bologna essercitando la pratica, nella prima anatomia, ch'io vidi d'una vergine volse la mia buona sorte, ch'io vidi quell' himeneo tanto celebrato cosi bello, ben fatto & compito, come è stato dipinto da Avicenna e da altri medici &c. vid. etiam editio German. Gottfr. Welsch. *p. m.* 28. etiam Baldass. Timæi a Güldenklee *Respons. med.* 30. §. 111. *seq. p.* 1051. *seq.* Scribit etiam Adrianus Spigelius *de hum. corpor. fabric. Lib.* 8. *cap.* 18. ridendos esse omnes illos, qui nunquam, aut qui raro admodum inveniri hanc membranam dicebant, nec nisi præter naturam adesse existimarunt; se enim in omnibus, quas secuit, virginibus, semper eam invenisse, & in publico theatro demonstrasse; imo si desit, hoc præter naturam evenire statuit, vel petulanti manu aut humorum defluxu ruptam aut erosam. vid. Casp. a Reies *p. m.* 477. Ex recentioribus etiam Hermannus Fridericus Teichmeyerus *Institut. medicin. legal. cap.* 4. *p.* 13. *seq.* hymenem semper existere defendit; post allegatos enim aliquot autores ita concludit: Ex his adeo luculenter apparet, de hymenis existentia non esse dubitandum. An vero semper inveniatur, ego quidem non asseram. Ejusmodi enim membrana abesse potest, salva virginitate mentali, & hoc quidem 1) ob conformationem partium irregularem, a primo nativitatis puncto. 2) Ob membranæ hujus exiguitatem, ut ideo neque a marito, neque ab anatomico attendi valeat. 3) Interdum casu aut libidine destruitur. Quod vero ejusmodi membrana ab anatomicis nonnullis haud observata sit, illud ab incuria eorum, & inconvenienti administratione provenit.

§. 10.

Hymenis descriptio. Quoad hymenis descriptionem Isbrandus de Diemerbroc *Anat. Lib. I. cap.* 26. *fol. m.* 148. *seq.* illud ita describit: Infra insertionem colli vesicæ in virginibus membrana tenuis & nervea, substantiæ colli continuata, ejusque parietibus orbiculatim adhærescens,

hærescens, fibris carnosis intertexta, & arteriolis venisque multis donata, atque ad menstruorum effluxum in medio perforata, ut in adultioribus minimi digiti apicem admitteret (hæc perforatio primis tribus quatuorve a nativitate annis tam angusta est, ut vix minimo piso per eam transitus concedatur, sed exin paulatim cum ætate dilatatur) transversim expanditur, quam hymenem veteres, alii claustrum virginitatis, alii zonam castitatis appellarunt. Hanc nonnunquam magno sanitatis dispendio, non antedicto modo perforatam & tenuem, sed crassiusculam, firmam, continuam penitusque occlusam esse, interdum instar cribri foraminulentam, ab anatomicis observatum fuit. Sic etiam nos anno 1666. mense Martio secuimus in publico theatro juvenculam viginti trium annorum, in qua illam membranam omnino continuam, nec uspiam pertusam adeoque firmam invenimus, ut cujuslibet fortissime arietantis viri impetum sine disruptione sustinere potuisset. Hic putarunt nonnulli, duram illam & imperforatam membranam aliam esse ab hymene diversam, præter naturæ ordinem illic enatam; cum tamen revera sit ipse hymen, præter naturam ad tantam soliditatem perductus, nec quisquam illic aliam hymenis membranam, ab hac duriore distinctam unquam inveniet. Plura hymenis nimis firmi, crassi & imperforati exempla ibidem allegat Isbrandus de Diemerbroc *fol.* 149.

§. II.

Porro quid in hac autorum dissensione sentiat Johannes Riolanus, ex sua in multis virginibus post obitum dissectis observatione *Anthropograph. Lib. II. cap.* 35. *fol.* 191. sequentibus verbis aperit: Ex istis virginibus quædam erant tabidæ & admodum extenuatæ, aliæ carnosæ & succiplenæ, omnes tamen nondum fuerant menstruales, quædam etiam annum decimum tertium attigerant, aliæ decimum quintum, aliæ decimum octavum. In omnibus nymphæ sive alæ, erant exiles & parvæ, versus clitoridem revulsæ. Juxta nymphas intus, intra foramen urethræ, *Alii affirmantes autores.*

 observavi

obſervavi circulum mediocriter carnoſum, cervici transverſim obtenſum, obſcuris venulis, ſi quæ ſint, conſperſum, in medio pertuſum anguſto foramine, per quod piſum traduci potuiſſet: Nullæ aderant carunculæ ſive tubercula carnoſa, niſi illud, quod urethræ foramen obturat & coronat; ſed locum iſtarum caruncularum occupabat circulus iſte carnoſus, ſupra deſcriptus, quem pro vero hymene accipere oportet. Qui ſi petulco & delectabili digito attrectetur, vel immodico menſtruorum profluvio nimium humectetur, effringi poteſt. Circulus autem iſte carnoſus eo fine ibi collocatus eſt, ut uteri cervicem conſtringat, ſi deſint iſtæ carnoſæ rugoſitates. Thomas Bartholinus *Anatom. Lib. I. cap.* 31. *p.* 283. non ſolum Patavii cum Veslingio hymenem ſe vidiſſe, ait, ſed etiam *p.* 284. ejusdem ſtructuram, ſitum & figuram deſcribit, eſſe ſcilicet membranam transverſam inſtar diaphragmatis, ſitam in collo uteri, prope finem a tergo colli veſicæ inſertionis vel paulo interius, inſtar annuli perforata, ut minimi digiti apicem in adultioribus intromittat, per quod foramen menſes effluunt &c. ubi plura. Hymenis præſentiam defendit hisque verbis deſcribit Gerardus Blaſius *Obſerv. anat. pag. m.* 7. in recens natis abortivisve fœtibus non niſi membrana, ſubſtantia alia notabili deſtituta, inferiora atque lateralia vaginæ uterinæ occupat, ita ut ab uno latere ductus urinarii initium quaſi ſumens acuminatum ad inferiora ſeu poſtica latius extenſa deſcendat, hinc ad latus oppoſitum reflectatur, usque dum ductus urinarii lateri alteri iterum jungatur. Ampla adeo eſt, ſiquidem ejus extenſio, facta dimenſione a clitoride ad anum, ſpectetur, ut etiam vaginam totam occludere videatur, nec ullus detur in eam ingreſſus, niſi ſtylus aut digitus blande ſub clitoride inſeratur, ſicque hymen antrorſum deducatur, quod licet ut extraordinarium quid habuerit Veslingius, ego tamen in quamplurimis ſemper & eodem, hoc eſt, dicto modo obſervavi, nec unquam diverſum quid hic notare licuit, ubi etiam hymenem delineat. Idem autor *ibidem p.* 25. pluribus adhuc de hymene

mene agit, quæ alibi de ſignis virginitatis ex hymene deſumendis reperies. Et Franciſcus Plazzonus *de Partib. Generat. Lib.* 2. *cap.* 5. *p.m.* 115. *ſeq.* ita inquit: Hymen eſt membrana non plane exſanguis, neque tam tenuis, ut cæteræ, ſed rubicundior & exiguis venis reſperſa; circulari forma eſt, ac in circuitu pudendum, ut diaphragma thoracem, obvelat. In medio foramine pertuſa eſt, per quod menſes ſtatis temporibus evacuantur. Sunt nonnulli, pergit idem autor, ſpeculationibus magis, quam diſſectionibus intenti, qui negant hanc membranam in virginibus dari, & ſi adſit, præter naturæ conſtitutionem adeſſe putant. Sed contra hos ſtant non ſolum antiquitas; ſed etiam recentiorum plurimorum auctoritas. Sed quid multa accumulo teſtimonia in re ſenſui & experientiæ nota? Experiuntur enim ii, qui virgines uxores ducunt, obſtare aliquid, quo minus virga in primo congreſſu liberum & expeditum inveniat introitum. Interim non negaverim, hanc aliquando in vere virginibus non reperiri, & hoc ideo, quia ob menſium acrimoniam eroſa, vel ob uteri procidentiam abrupta, vel etiam petulantibus digitis lacerata fuit. Quare ſicut hujus membranæ præſentia indubitatum ſignum eſt illibatæ virginitatis, ſic ipſius abſentia non ſemper deflorationem arguit. Plura vid. in Georg. Franc. *Satyr. I. p.* 18. *ſeq.* qui etiam *p.* 16. hymenes exſiccatos apud medicum Francofurtenſem, Spanium ſe vidiſſe refert. Secundum Joh. Caſæ *Compend. anat. de Gener. p.* 172. eſt hymen tenuis & nervoſa membrana, fibris carnoſis intertexta & multis arteriolis venuliſque induta, transverſimque per ductum vaginæ diſperſa, cervici veſicæ poſtponitur, & foramen in medio magnitudinis digiti auricularis admittit, per quod menſes liberum exeundi curſum obtinent, zona caſtitatis vocatur, & quibus methodo deſcripta hymen invenitur, certiſſimum virginitatis ſignum præbet. Sed primo hominis congreſſu violari neceſſe eſt, & effuſio ſanguinis maxima ex parte ſequitur, & flos virginitatis vulgo dicitur. Poſt menſes relaxatur, ſed ſemel rupta nunquam reficitur. In ali-

quibus autem foramen deest, & ex consequentia mensium exeundi copia, ubi hoc evenit, in magnum vitæ periculum incidunt, nisi instrumentis chirurgicis auxilium datur. Guerneri Rolfincii verba *l. a. cap.* 40. *pag.* 190. sic sonant: Membranam transversam egregiam utrinque in fœtibus sæpe observavimus per stylum foratum spiritu appulso se explicantem. In recens natis ejus apparuere vestigia. In adultioribus rarissima fuit avis.

§. 12.

Secundum recentiores. Ex recentioribus etiam nonnulli anatomici hanc membranam non modo defendunt, sed etiam sententiam suam observationibus confirmant. Inquit enim Fridericus Ruyschius *Thes. anat. III. p.* 20. utrum hymen detur nec ne, sub judice lis olim fuit, hoc autem tempore in anatomia magis versatis nihil notius esse potest, quemadmodum etiam quibusdam exemplis probatur. Tale exemplum hymenis idem adducit, & monstrat *Thes. anat. II. p.* 44. in puellæ cujusdam pudendo inter nymphas sub meatu urinario membranam hymenem luculentissime videri posse. Item *Thes. III. p.* 20. puellæ partes generationis sistit, ubi non solum vulvæ labia, nymphæ & clitoris comparent, verum etiam membrana hymen, in quo objecto distincte repræsentatur. vid. etiam *Thes. IV. pag.* 27. *&* *Thes. V. p.* 25. ubi sceleton sinistra manu continet partes generationis infantis, ante cujus vulvæ introitum videri potest membrana hymen. Idem autor etiam hanc membranam hymenem cum alia membrana præternaturali, vaginam uteri occludente, atq; in partu a chirurgo incisa seu arte reserata annotavit atque depinxit *Obs. anat. chir.* 22. *p.* 27. *seq.* Et *Catalog. Rarior. pag.* 20. dictus autor exhibet partes generationi inservientes fœtus maturi sequioris sexus, in cujus uteri vagina semilunare hymen, prout ordinarie in illa ætatula comparere consuevit, conspicitur. Cum tempore autem in puellis accrescit dicta membrana in circulum, in cujus centro, in statu naturali, apertura semper remanet. Chirurgus gallicus, nomine Tamponet, membranam, hymen dictam, in fœtu obser-

vavit

vavit adeo accurate formatam, ut foramen ab antiquis adnotatum in ejus medio evidenter conſpicuum eſſet, vid. Nicol. Blegn. *Zodiac. med. Gallic. An.* 1. *April. Obſ.* 10. *p.* 78. Puellam nubilem, quæ urinam ex umbilico per urachum reddebat, Cabrolius hymene, qui concham penitus claudebat, pertuſo, ſanavit, vid. Gunther. Chriſtoph. Schelhammer. *de Natur. cap.* 7. §. 16. *p.* 312. Puellæ novennis hymenem anno 1651. in publica anatome demonſtravit Molinettus, hacque occaſione narravit, ſub cura ſua olim fuiſſe puellam quandam hebræam, quæ tempore fluxus menſtrui tumefacta ſpeciem hydropicæ referret, & pro tali haberetur. Hoc autem a Molinetto aperto ſanguis inde effluxit copioſus, & ægra intra ſex menſium ſpatium ſanata eſt. vid. Joh. Nicol. Binninger. *Obſerv. medic. Cent.* 1. *Obſ.* 19. *p. m.* 20. Hanc de hymene ſententiam fovet etiam Laurentius Heiſterus *Compend. anatom. pag.* 81. hymen, inquiens, eſt membrana, modo circularis, modo ſemilunaris, modo alia ratione conſtituta, in virginibus vaginam coarctans atque in puellis parvis ſemper præſens, in quibus parvam habet aperturam ad vaginam, in adultis vero plerumque majorem. In coitu primo laceratur ſanguinemque fundit. Idem Heiſterus etiam *Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent.* 7. *Obſ.* 69. *p.* 379. *ſeqq.* hymenem, addita obſervatione ita defendit: Licet multi fuerint, qui membranæ hymenis exiſtentiam negarint in puellis & virginibus, eamque traditionibus & fabulis anilibus annumerandam cenſuerint, multi tamen ex adverſo fuerunt, qui eam non ſolum viderunt, ſed & deſcripſerunt ac delinearunt, ſicuti ex Graafii & Swammerdamii figuris, aliorumque multorum deſcriptione conſtare poteſt. Quoniam vero nec hodie deſunt, qui hanc membranam adhuc negant, eam non ſolum in uteris conſervatis eadem figura & forma oſtendere poſſum, quali a laudatis modo ſcriptoribus variis ſchematibus delineata eſt, ſed etiam nunc eam ex utero puellæ tredecim vel quatuordecim annos natæ & ſuperiori anno a me publice hic diſſectæ, rurſus longe alia ſub forma exhibere

Z poſſum,

poſſum, quam ab aliis delineata eſt. Hæc autem membrana hymen ſive clauſtrum virginale non partem tantum orificii vaginæ, ut a multis deſcribitur, ſed totum vaginæ orificium ambiens & quaſi occludens ſatis robuſta, quæ tamen in medio longum & perpendicularem, ſed anguſtum & inæqualem hiatum habet, ſicuti *Tab. VI. fig.* 5. delineatur, ab aliorum obſervationibus longe diverſum. Vix credo aliquem, qui hunc uterum, & præcipue hanc membranam rite examinaverit, in poſterum de ejus exiſtentia amplius dubitare poſſe, præſertim cum tam rarum ſit, eam in hac ætate tam perfectam & integram conſpicere, ſicuti hic conſpicitur. In parvis puellis eam ſemper reperi, ſed quo magis adoleſcunt, eo plerumque magis aboletur & imperfectior conſpici ſolet.

§. 13.

Item. Johannes Caſparus Weſtphalus *M. N. C. Dec.* 2. *An.* 8. *Obſ.* 215. *pag.* 534. hymenis exiſtentiæ ſequenti modo patrocinatur: quanquam non pauci ſint inter medicos anatomicos etiam exercitatiſſimos, qui hymenis exiſtentiam penitus negent, & potius pro non-ente habeant, vix tamen horum ſententiæ accedere poſſum, cum autopſia convictus aliud credere cogar. Veſalio igitur, Fallopio, Aquapendenti, Spigelio, Bartholino, Veslingio, aliisque contrarium ſtatuentibus, adſtipulor, credendo vel maxime adeſſe omnibus illibatis virginibus hymenem, virginitatis floſculum & infallibile indicium, facile autem idem largitur in quamplurimis deeſſe hymenem; ſed fieri hoc non vitio naturæ, ſed potius contrectatione manus petulantis, aut ex morbo quodam, illum conſumente. Deinde refert hic autor, ſe in puella quindecim annorum diductis per obſtetricem vulvæ labiis membranam vidiſſe transverſam, diaphragmatis inſtar expanſam, in qua non foramen rotundum, ut quidam ſtatuunt, ſed rimulam conſpexit oblongam. Hanc ſerti inſtar cingebant, & complicata inter ſe erant vaſcula illi ſanguifera, ex quorum contactu vel læſione caniſiorum cruentatio deducenda venit. Sita

erat

erat hæc membrana a collo tergi veſicæ, & ſub meatu urinario circa confinia carunculæ myrtiformis terminabatur. Ibidem etiam addit, ſe noviſſe paſtorem in diœceſi Bitterfeldenſi, qui cum ſponſa coire, aut penem vaginæ uteri intrudere non potuit, donec a chirurgo tertia vel quarta poſt nuptias die membrana cum lanceola rupta fuerit. Scribit etiam Caſparus Wolphius: Anno 1556. cum ſupra modum ſtudioſus eſſem, & curioſus rei anatomicæ inſpector, cum nonnullis aliis Germanis, noctu e ſepulchro ſubtraximus puellam, eo die ſepultam, annorum circiter octodecim. Et cum ad matricis anatomen acceſſimus, inveni ego oſtendique Germanis tenuiſſimam membranam, fortem tamen & renitentem nonnihil ad inſtrumenti craſſioris impulſionem, quæ prætenſa erat orificio uteri. Hæc in medio ſui (reliquo enim corpore adhærebat undequaque parietibus, ut diaphragma coſtis & dorſo) foramen habebat parvum, oblongum, ut felium pupillam plane, aut viperæ os referre dixiſſes, per quod nimirum & urinam & menſes effluere dabatur. Habebat, qua parte tenſa erat, membrana venulas exiguas ſparſas. vid. Joh. Schenck. *Obſ. medic. Lib. IV. fol.* 548. *ſeq.* Membranam hymen dictam adeo accurate formatam, ut foramen ab antiquis adnotatum in ejus medio evidenter conſpicuum eſſet, in fœtu feminino obſervavit Nicolaus Blegny *Zodiac. Med. Gall. An.* 1. *April. Obſ.* 10. *p.* 78. Figuram Hymenis in ſitu ſuo depingit Johannes Swammerdammius *Miracul. nat. ſeu Uter. muliebr. Fabric. cap.* 1. *in Biblioth. anat. Tom. I.* 500. *Figur.* 2. *&* 4. Dominicus Panarolus *Pentec. V. Obſ. ult. p.* 176. ſcribit: Videmus dari hymen in omnibus, prout in omnibus virginibus, lactentibus aut abortu expulſis, aut infantibus ſemper obſervavimus, quinimo dum hæc ſcribuntur, ſeſe offert caſus cujusdam puellæ novem circiter annorum, quæ cum a quodam juvene ſtuprata crederetur, & nos cum Johanne Trullo, magnæ famæ chirurgo, vocati eſſemus, obſervata fuit, præſenti etiam Antonio Gallina, diligenti carcerum chirurgo, in qua hymen lunaris figuræ inte-

grum nullo modo fractum aſpeximus, & de peritia requiſiti depoſuimus, omnino virginem eſſe, quoniam cum hymen adeſt, adeſt certa virginitatis nota; & ſic juvenis ille liber evaſit. Itaque aperte dicimus & experientia teſtatur, hymen in omnibus reperiri. Ad quæſtionem autem, quid ſit hymen? diximus experientia ſemper innixi, nil aliud eſſe, quam membranam transverſam, aliquando tenuiorem, aliquando carnoſiorem, prope collum veſicæ in vaginæ pudendi principio, quæ ingreſſum prohibet, quæque, ſi labia tantiſper diducantur, lunaris figuræ apparet, ſi vero labia concidant & hymen corrugetur, carunculas quasdam repræſentat. Ob tales hymenis obſervationes miratur Johannes Caſparus Weſtphalus, qui factum, quod plurimi anatomicorum hymenem potius negent, cum tamen, niſi læſio præceſſerit, facile intuentium incurrat oculos. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 215. p. 537.*

§. 14.

Alii hymenem negant. Contra vero alii autores, hanc membranam ſive hymenem ordinarie atque ſecundum naturam in puellis atque virginibus reperiri, audacter negant, quamvis eandem nonnunquam præter naturam obſervari concedant. Nullum enim hymen eſſe defendunt Ambroſius Paræus *Chirurg. Lib. 2. cap. 34. fol. m. 76.* notatu dignum eſt, inquiens, in cervicis ſeu vaginæ longitudine nullam ejusmodi membranam reperiri, quam hymen nominarunt, quamque comminiſcuntur primo coitu diffringi. Columbus tamen, Fallopius, Wierus multique alii ætatis noſtræ docti viri contraſentiunt, ajuntque paulo ſupra ductum urinarium in virginibus comperiri cernique ejusmodi membranam nervoſam, transverſo ſitu, in media veluti hujus cervicis via poſitam, & ad menſium exitum perforatam. Sed ut id experientia falſum deprehendas, veteres in hunc errorem impulſos ex eo veriſimile eſt, quod nonnullis primo coitu ſanguis ex illis locis erumpit copioſius. Sed veriſimilius eſt, contingere id ex vaſorum quorundam, per internam cervicis uteri ſuperficiem deſcen-

descendentium, violento attritu, nequeuntium tam validam extensionem sustinere, quem nervosa illa cervix primo congressu suscipit, citra ruptionem: neque enim virgo nobilis, quæ partes suas genitales viri genitalibus proportionatas, mole & amplitudine habuerit, ejusmodi sanguinis fluxum expertura est. Et *Lib.* 23. *cap.* 42. *fol.* 528. prolixius de hac membrana, hymen dicta, agens inquit: quibusdam virginibus in cervicis uteri orificio membrana reperitur, hymen veteribus dicta, quæ, quia viri congressum arcet, sterilitatis causam mulieri infert. Hanc plerique non vulgares modo, sed & docti medici, virginibus omnibus tanquam virginitatis claustrum inesse credunt. Sed illam ego cum in plerisque virgunculis omnis fere ætatis a trimatu ad duodecimum usque annum, quarum mihi ex nosocomio Parisiensi plena copia erat, studiose exquirerem, dum rem anatomicam commentarer, non potui reperire. Ipsam semel tantum licuit mihi observare in virgine septendecim annos nata, quam cum mater viro despondisset, sciretque nihilominus, ipsi in pudendis subesse aliquid, quod, quo minus mater & fœcunda esse posset, impediret, rogavit me, ut ipsam inviserem? Reperi igitur membranam quandam nervosam tenuissimam, sub nymphis, proxime id foramen, per quod mulieribus urina effluit, præ foribus (ut sic loquar) orificii cervicis uteri: medio sed exiguo foramine membranula illa pervia erat, qua menses diffluere possent. Contemplatus ergo membranulæ illius tenuitatem, ipsam adactis volsellis rescidi, quidque ad reliquam curationem facto esset opus, matrem admonui: certe nupsit illa paulo post, & prolem peperit. Et *Tract. de Renuntiat. Op. fol.* 657. idem autor inquit: Membrana, hymen dicta res est præter naturam, quæque vix uni ex multis millibus a prima conformatione inesse reperiatur. Item juxta *Paul. Zacch. Quæst. med. Legal. Lib. IX. Tit.* 3. *Qu.* 5. *n.* 3. *f.* 776. aliqui medicorum serio contendunt, hymenem in paucis virginibus reperiri, & esse quid potius morbosum, quam naturale. Item Marcus Antonius Ulmus *de*

Uter, Sect. 1. *cap.* 7. ſcribit, ſe ab adoleſcentiæ annis ad juvenilem usque ætatem puellarum continenter anatomicis diſſectionibus ſedulo incubuiſſe, & hujus membranæ inveniendæ cauſa abortus plures octimeſtrium puellarum & a partu per hebdomadam, ſesquimenſem aut a menſe demortuos, item unius, duorum, trium & quatuor annorum & ad ſeptimum usque diſſecuiſſe, nec tamen hujus membranæ veſtigium inveniſſe ullum, ideoque in dictis ætatibus, non in adultioribus feciſſe, ne ulla violationis adeſſet ſuſpicio. Quarum dictam membranam pro fabula habendam judicat, quæ ab Arabibus forſan dimanaverit. vid. Caſp. a Reies *Camp. Elyſ. Qu.* 39. *n.* 13. *p.* 477. Et Andreas Laurentius *Hiſt. anat. Corp. hum. Lib.* 7. *Qu.* 13. *fol. m.* 279. ad quæſtionem: an hymen reperiatur? prolixe reſpondet: quæſitum eſt olim & nunc etiam magna diſceptatione certatur, an ſint notæ virginitatis? Putant fere omnes medici, membranam reperiri, nunc in medio fere cervicis ductu, nunc immediate poſt οὐρήθραν, eamque transverſim ſitam, quam hymen vocant &c. Ego ut libere dicam, quid ſentio, & abortivas puellas & trimeſtres & trium, quatuor, ſex, ſeptem annorum virgines diligenter obſervavi, & ſpecillo ad uteri os internum usque immiſſo, nihil quod reſiſteret, inveni. Quodſi transverſa illa membrana in medio cervicis ductu, aut etiam in principio adeſſet, ſpecillo eam probare facillimum eſſet. Fiſtula enim externas pudendi partes ſi inflaveris, videbis & alas & carunculas contrahi, cervicem autem totam ſeu pudoris ſinum patere, ut ab ore externo, vulvam dicunt, ad internum os uteri liber ſit aditus. Figmenta ergo ſunt, quæ de transverſa illa membrana & perforata ſcripſerunt multi. Nam cum natura nihil fruſtra moliatur, quis foret illius uſus? Sed annon Fallopio & Columbo, qui illam membranam admittunt atque aliquando vidiſſe ſcribunt, oculatis teſtibus habenda fides? Ego membranulam aliquando reperiri non nego, ſed ſi transverſum eum in cervicis medio obtineat ſitum, aut circa pudendi oſculum adnaſcatur, præter naturæ inſtitutum eſſe puto,

&

& morbum esse organicum in vitiata conformatione. Non ergo membrana illa, si omnia κατὰ φύσιν se habeant, admittenda est. Idem Laurentius quoque *l. a. cap.* 12. *f.* 273. inquit: In medio fere cervicis progressu tradunt plerique, in virginibus reperiri membranam in medio perforatam, quæ primo concubitu profuso sanguine disrumpi soleat; latini hymen & virginale claustrum vocant. Ego transversam illam membranam, sive sit in medio, sive in principio cervicis, si reperiatur, præter naturæ institutum esse puto: puellas enim & abortivos fœtus vidi quamplurimos, in quibus membrana illa non aderat. Quis enim illius foret usus? Hanc membranam etiam, & quidem tantummodo in quibusdam & præter naturam, non autem in omnibus virginibus admittit Realdus Columbus *de Re anatom. Lib.* 11. *p.* 449. inquiens: sub nymphis in nonnullis virginibus (non omnibus) alia membrana cernitur, hymen a veteribus appellata, quæ cum adest, raro autem adest, obstat, quo minus penis in uterum immittatur: nam crassa est valde supra vesicam versus foramine donatur, per quod menses fluunt. Et *Lib.* 15. *pag.* 490. scribit idem: Licet vulgus hominum putet, nullam esse virginem, quæ hymena non habeat, ter duntaxat illam inveni, bis in duabus parvulis puellis, semel in natu majore. Est autem hymen membrana quædam sub nymphis ante cervicem uteri unico foramine prædita superiore parte, ut menses effluere possent, atque hæc est eadem membrana, quæ ingressum penis quamvis membrosi hominis prohibet. Regnerus de Graaf contra hujus membranæ existentiam ita scribit *l. a. p.* 195. Ex observationibus elicere possumus, membranam uteri ostium sepientem (si modo reperiatur) contra naturæ intentionem in virginibus existere, alias incisione opus non esset, nec impediret ingressum penis in uterum. Naturæ namq; institutum in creatione feminæ fuit, illam opportuno tempore interveniente viri copula matrem reddere. At vero hæc membrana præ foribus uteri existens conceptionem ad maternitatem a natura institutam omnino neces-

necessariam impedit, cum prohibeat ingressum seminis in uterum. Non est itaque illa virginibus secundum naturæ intentionem, eoque minus, cum raro adsit; si enim naturaliter virginibus inesset, non raro, sed semper, aut utplurimum inesset, pro eorum, quæ secundum naturam insunt, consuetudine. Quæ dubio procul ultro nobis concessuri sunt ii, qui hymenem membranam esse in vaginæ orificio naturaliter constitutam dicunt. Hercules Saxonia *Prax. L. 4. c. 4.* ait: Communiter hanc membranam obstetrices hymen seu hymenæum vocant: non tamen in omnibus virginibus reperitur, imo in paucis & monstrosæ potius illæ sunt vocandæ, quæ talem membranam habent, quam quæ sine hac sunt. v. Georg. Franc. *Satyr. med.* 1. *p.* 16. ubi hic autor C. G. Schelhammeri verba ex literis addit: de hymene magis anxie respondeo: neque tamen vereor, quin indiligens hujus tam curiosæ partis scrutator tibi videar, si in tanta virginum licentia nondum a me reapse deprehensum fatear; quin in puella, vix octiduum nata, nuper a me dissecta, non adfuisse asseram. Memini tamen, Cl. Meibomium id semel demonstrasse in impuberi. Severinus Pinæus *Lib.* 1. *c.* 9. *p.* 66. *seq.* scribit: Cavum esse sinum pudoris a prima conformatione insigniter in bene conformatis puellulis verissimum est, quod in plurimis recens natis, & subinde mortuis, a nobis parentum rogatu sectis, observavimus, in quarum prædictum pudoris sinum digitum indicem & in claustrum virginale minimum seu auricularem immisimus, nec obstaculum a membrana aut vasis ullum in medio sitis, ut nonnulli volunt, invenimus, nec secto in longum sinu quidquam, quod obstare posset, vidimus aut sensimus. Et Paulus Zacchias *Quæst. Lib. IV. Tit.* 2. *Qu.* 2. *fol.* 376. inquit: Quod de hymene jactatur, omnes pene anatomici recentiores in re anatomica oculatissimi unanimes assentiuntur ac conveniunt, eam membranam non reperiri in omnibus, sed in paucis. Juxta Johann. van Horne *Microcosm. §. 69. p. m.* 247. in vagina uterina multi hymenem, sed sæpe frustra, quærunt. Quæ verba cum

tribus

tribus paragraphis antecedentibus atque ſequenti Johannes Muraltus ſine Hornii mentione clavi ſuæ medicinæ *Exercit. 9. p. m.* 420. hac differentia inſeruit, ut poſt verba *fruſtra quærunt*, addiderit: *quia puellæ ſalaces hanc membranam digito perrumpunt.* An vero Muraltus hoc in paſſu Hornii mentem attigerit, neſcio; fortaſſe Hornius talem membranam ſine perruptione abeſſe ſtatuit. Hymenis exiſtentiam negat etiam Petrus Dionis *des Operations de Chirurg. troiſ. Demonſtr. p.* 191. *ſeq.* his verbis: Les anatomiſtes ont ſuppoſé une membrane transverſale dans le col de l'uterus, à la quelle ils ont donné le nom d'hymen; & parcequ'ils ont vû en quelques ſujets les caroncules jointes par une membrane, ils ont établi pour certain, qu'elle ſe trouvoit dans toutes les filles, & ils en faiſoient la veritable preuve de la virginité, perſuadez, que quand elle n'y étoit point, il falloit, que la fille eût été defloreé, par quelque choſe, qui étoit entré dans le vagin. J'ay cherché cette membrane dans pluſieurs filles, que j'ay ouvertes à tout âge, & qui aſſurement avoient été ſages, je ne l'y ay jamais trouvée, c'eſt pourquoy avec tous les anatomiſtes d'aujourd'huy je la croi imaginaire. Eandem ſententiam exprimit etiam latinis verbis idem autor *Anatom. Demonſtr. IV. p.* 241. inquiens: Anatomici quidam putant membranam neſcio quam dari, quæ illis hymenis nomine venit, in vagina ſitam prope carunculas: Volunt hanc transverſim poſitam eſſe, ut menſtruum effluxum permittat; eam ſic tenſam permanere, donec per viri acceſſum vel aliter rumpatur & laceretur; hoc hymen denique virginitatis indicium eſſe. Quantumvis autem ſedulo membranam iſtam inveſtigaverim, mihi hactenus conſpicua non fuit, licet omnium ætatum virgines diſſecuerim. Quapropter aliis circa illam ſuffragari non poſſum. Deprehenſum forſan fuerit uteri collum aliqua membrana occluſum in quibusdam puellis; ut in aliquibus aliis occluſum fuit deprehenſum ad caruncularum regionem; ſed hæc ſunt ſingularia & inſolita facta, ex quibus rem ita ſe in ſingulis virginibus habere,

non licet concludere. In anatome puellæ diarrhœa confectæ nec caruncularum myrtiformium, nec hymenis vestigium se in venisse scribit Philippus Jacobus Hartmannus *M. N. C. Dec.* 2. *An.* 5. *Obs.* 61. *p.* 115. Varios autores naturalem hymenis præsentiam negantes allegat etiam Fortunatus Fidelis *de Relat. Med. Lib.* 3. *Sect.* 1. *cap.* 4. *p.* 348. *seq.* quo loco ita pergit: Sunt etiam, qui ideo hymenem negant, quoniam nullum ejus nascendi consilium atque institutum naturæ conspiciant, ac nullum illius in feminis esse usum. Etenim quod alii afferunt, ad virginitatis custodiam, tanquam claustrum, illum esse interpositum: feminam, ajunt, a natura esse procreatam, ut vero misceretur, ac prolem susciperet. Atque alienum esse fabrefactum uterum a natura fuisse, ut conciperet; ac deinde obstaculum ab eadem fuisse interpositum, quo minus concipiat. Quocirca non ab re fortasse fuerit, membranulam hanc, si quando invenitur, non semper naturalem esse corporis particulam, hoc est, ex naturæ instituto ingenitam, sed potius monstrosam &c. Plures autores pro hac sententia allegat etiam Casp. Brav. de Sobremont *disput. apolog. Sect.* 5. *Resol.* 9. §. 5. *p.* 207. vid. insuper Franc. Torreblanc *de Mag. Lib.* 2. *cap.* 19. *p.* 219. *seq.* Paul. Zacch. *Quæst. med. leg. Lib.* 4. *Tit.* 2. *Qu.* 1. *n.* 15. *fol.* 376. Franciscus Mauriceau Hebammen-Buch *cap.* 6. *p.* 34. *seq.* Plures quoque autores hanc membranam naturaliter nasci negantes allegavit Caspar a Reies *l. a. p.* 479. Orificio vaginæ prætensam veteres statuerunt esse membranam, quam hymenem secundum excellentiam appellaverunt, sed illam aut nunquam aut rarius adesse sagaciores consulti recte autumant, inquit Joh. Mauritius Hoffmannus *Id. Machin. hum. Sect.* 12. *p.* 99. Et juxta Franc. Vales. *de Sacr. Philosoph. cap.* 25. *p. m.* 153. ut cuivis dissectionis perito constare potest (quanquam sint quidam dissectores, qui esse in ore uteri virginibus membranam quandam annuli forma affirmant) nulla pars est in uteri ore aut cervice, quæ virginitatis custodia sit. Nicolaus Venette *de la Generat. de l'homme Part.* 1. *cap.* 1. *Art.* 3. *p.* 22. *seq.*

con-

contradistinguit carunculas myrtiformes (ex quibus nonnulli hymenem consistere arbitrantur) ab hymene, illasque semper & secundum naturam, hanc vero membranam tantum aliquando & præter naturam reperiri statuit, his verbis: Les anatomistes anciens, qui ne s'occupoient, qu'aux choses les plus communes de l'anatomie, ont pris pour l'hymen les caroncules, qui souvent estant joints ensemble par des membranes assez fortes, s'opposent à l'entrée de dieu Priape; car il n'eust pas esté raisonnable, que quelque autre chose, qui n'eust pas esté dieu, selon la pensée des payens, se fust opposé aux desseins d'un autre dieu. Cependant il arrive quelque fois, mais font rarement, que le nature voulant conserver la matrice de quelques femmes delicates, produit une membrane au dessus du conduit de l'urine, afinque l'air ou quelque autre chose n'incommode les parties internes. Et c'est cette membrane, que l'on appelle proprement hymen. Elle est parsemée de veines & ordinairement trouvée par milieu pour laisser d'un costé couler les regles, & de l'autre pour donner entrée à la semence de l'homme. Mais comme cette membrane, qu'on nomme hymen, est contre les loix de la nature, nos anatomistes ont pris pour l'hymen les caroncules jointes ensemble par de petites membranes. Plures autores, qui hanc pelliculam sive carneam, sive membraneam, sive in medio perforatam, sive cribriformem, cervici, sub hymenis, cestus, zonæ, eugiive termino, prætensam, vix nisi rarius, adeoque præter naturam demum reperiri, per autopsiam comprobant; & a poetis & medicis nonnullis fictam, ajunt, allegat Johannes Bohnius *Medicin. Forens. Specim. III.* §. 8. & inter hos annectit, Ulmum naturæ consultos ac scrutatores mirari, in re, quæ sensibus exponitur & visu atque tactu dijudicatur, tantum a se invicem distare, adeoque eorum nonnullos hanc membranam naturalem & in omnibus virginibus reperiri, asserere; aliis contra, eam se nunquam deprehendere potuisse, fatentibus, hinc si inveniatur, præternaturalem pronunciantibus. Et Jean

Palfyn *descript. Part. muliebr. p.* 42. inquit: Toutes ces membranes & ces clotures virginales sont contre les loix de l'auteur de la nature, quand elle se rencontrent, de meme que la contraction & & l'etrecissement de l'orifice du vagina, s'il est fait en façon, que la fille ne puisse aucunement souffrir les douleurs du premier congrés, & qu'il refuse l'entrée au penis. Car comment pourroit-on nous persuader, que ce soit du conseil du Fout-puissant, qu'il ait toûjours une membrane, qui ferme l'entrée de la matrice, & qu'elle doit se rompre au premier congrés, puisque toutes les fois, qu'elle s'y rencontre, on est obligé d'en faire l'incision d'autant, qu'elle s'oppose à l'introduction du penis. Et puisque c'est du destein du premier maistre de tous les ouvrages, que la femme soit feconde, il est vray-semblable de dire, que le Fout-puissant n'a pas formé la femme d'une maniere, qu'elle dut s'opposer à son commendement, & à ses premieres intentions. De plus, si cette cloison devoit étre naturelle, elle ne seroit pas si rare, qu'on la voit ordinairement: mais au contraire suivant l'ordre des choses, qui arrivent naturellement, elle se donneroit presque toûjours à connoitre, on paroitroit frequentement. Quibus adhuc annecti posset, quod si ejusmodi membrana ordinarium atque secundum naturam constitutum quid esset, cur non etiam in brutorum femellis, quæ hoc in passu conceptionis ab homine nil differunt, ante coitum hymen reperiatur? quod tamen a nullo anatomicorum hucusque annotatum memini. Denique inquit Nathanael Highmorus *Corpor. hum. disquisit. anat. Lib.* 1. *Part.* 4. *cap.* 4. *fol.* 98. Membranam, hymen dictam, negare jam nefas esset, tam acriter ab anatomicis affirmatur. Verum enim vero quamvis Spigelius se in omnibus illam invenire gloriatur, cui bono inserviret, nondum demonstravit, nec mihi adhuc constat. Natura certe superfluis nec abundat, nec in necessariis deficit. At quid illa ad uteri præservationem & ab externis injuriis defensionem magis agat quam labia, & nymphæ, ipsaque cervicis uteri in se concidentia

latera

latera, non apparet. Aut cur virginibus magis necessaria esset, quam defloratis? si illam a natura factam esse volunt, officium ejus naturale ostendant. Si illam ideo fieri dicant, ut virginitatis nota sit, illis respondere liceat, hoc ipsum naturam nullo modo intendere. Quid enim refert ad actionem illam generationis naturalem, an virgo sit vel deflorata? modo speciem propagare possit; cui usui solum partes hæ destinantur. Cum aliquando inter Bartholomæum Eustachium & Realdum Columbum, insignes anatomicos, de tunica hymene orta fuisset contentio, negante illo, hoc asserente, ad experientiam ducta est quæstio: ad quam comprobandam Realdus Columbus in xenodochio beatæ Mariæ consolationis duas secuit virgines; in quibus nil tale inveniens in magna prospicientium corona fassus est, se in ea re aliorum opinionibus fuisse deceptum.

§. 15.

Interim hactenus allegati & alii autores talem membranam quandoque præter naturam & extraordinarie in puellis & virginibus deprehendi concedunt, quale exemplum in anatome corporis humani a Johanne van Horne Lugduni an. 1669. instituta annotavit Justus Schraderus *Observ. anat. medic. Dec.* 1. *Obs.* 7. *p.* 194. 196. ubi vidit hymenem plane integrum, in introitu vulvæ ante myrtiformes caruncula situm, eratque membrana spissior, rubicunda, in medio aperta. Hieronymus Fabricius semel tantum in quadraginta trium annorum spatio, quo Patavii medicinam est professus, vidit virginem imperforatam, *vid. ejusdem Oper. Chirurg. Part.* 1. *cap.* 82. *edit. Francofurt. pag.* 308. ubi addit, quod, cum virgo, post varia symptomata, morti jam esset propinqua, ipse accersitus simplici incisione membranam inciderit, & statim maxima sanguinis crassissimi, viscosi, æruginosi ac fœtidi copia effusa, extemplo fuerit liberata. Ita scribit François Mauriceau *dans les Observat. sur la Grossesse, Obs.* 172. *p.* 96. le 9. Juin 1676. j'ay vû une petite fille âgée de quattre ans, qui avoit naturellement l'entrée exterieure

Hymenem interdum reperiri. Exempla.

de la vulve tout-àfait close, à l'exception d'un simple petit trou, qui estoit seulement égal à la grosseur du tuyau d'une plume de pigeon, situé au-dessous du conduit de l'urine; la quelle disposition pouvoit passer pour un veritable hymen, qui ne se rencontre jamais de la sorte, si ce n'est tres-rarement, & contre l'ordre de la nature; à quoy il falloit remedier par une petite incision &c. Inquit etiam Michael Alberti *Jurisprud. Medic. Cap. III. §. 3. p. 63.* hymen in nonnullis feminis adest, in aliquibus abest, in quibusdam ita tenuis interdum est, ut vix attendatur, aut ut alia levi causa avelli queat. In puella duodecim annorum, phthisi defuncta Adamus Christianus Thebesius hymenem exacte vidit & multis circumstantiis demonstravit; neutiquam tamen, ut multi dicunt, membranam tympaniformem, sed circulum saltem membranosum, digiti minimi latitudinem æquantem, demonstrare potuit, *vid. Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent. III. & IV. Obs. 118. p. 274.* Ex his tamen & aliis exemplis ad universalem hymenis existentiam concludere non licet, siquidem econtrario hactenus allegati hymenis antagonistæ in plurimis à se sectis infantum, puellarum & virginum, cadaveribus nullam membranam se vidisse testantur. Quale absentis hymenis exemplum etiam in puella trienni, cui anno 1682. vitam trium mensium diarrhœa privarat, observavit Philippus Jacobus Hartmannus, qui in ejusdem sectione uterum cum testiculis, tuba Fallopiana ejusque fimbriato orificio obiter lustrans, inque hymenis inquisitionem curam vertens patulam admodum vulvam, nec caruncularum myrtiformium, nec hymenis vestigium deprehendisse refert *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obs. 61. pag. 115.* Quamvis etiam dictus autor *pag. 117.* hymenem morbo periisse judicet, vix tamen hoc omnibus, ut credant, persuadebit; hinc etiam Johannes Conradus Westphalus, hanc membranam supra §. 10. defendens, *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obs. 215. pag. 534.* hymenis defectum ex morbo quodam, illum consumente, rarissime contingere credit. Et Johanni Beverovicio *Quæst. epistol. p. 47.* omnis

illa

illa de membrana cervicem pudendi interſepiente aſſertio negatioque valde eſt dubia. Cui ſententiæ, quod nimirum de ordinaria vel naturali hujus membranæ, hymen dictæ, præſentia vel abſentia nihil certi ſtatui atque defendi poſſit, ut ego quoque ſubſcribam, plurimarum hactenus à meretricibus malitioſe expoſitarum, modoque in utero materno jamjam denatarum, modo etiam extra eundem vita privatarum puellarum, ratione phyſicatus, ante triginta quatuor annos mihi concrediti, commiſſa inſpectio atque ſectio occaſionem mihi dedit; ſiquidem in quibusdam ejusmodi recens natis puellis tenuiſſimam equidem, variisque modis perforatam membranulam, quandoque etiam ratione craſſitiei differentem deprehendere, in longe vero pluribus ne veſtigium quidem membranæ, neque per viſum & tactum, neque per ſtilum aut inflationem, reperire licuit; uti non modo adſtantibus & ſimul ad ſectionem requiſitis chirurgis; ſed aliis quoque ſectioni adſtantibus perſonis demonſtravi. Licet etiam in binis puellis, aliquot ſeptimanas & menſes natis, talis membranula mihi apparuerit; item in puella ſexenni, quæ anno 1708. die 23. Januarii, in puncto violationis à puero tentatæ, ratione officii à me & chirurgis ordinariis inſpiciebatur, membrana non adeo tenuis atque oblique perforata, vaginæ uteri obtenſa fuerit obſervata, econtra tamen in multis aliis infantibus & adultioribus puellis tale impedimentum membranoſum vel carnoſum non reperi. Cum proinde in recens præcipue natis puellulis, in quibus talismodi membranula neque obſtetricum ungue, quod nonnunquam fieri ex Andrea Veſalio ſupra adduximus, disrupta, multo minus petulco prurientis infantis digito, quod in adultioribus puellis fieri poteſt, dilacerata fuerit, nulla ſæpiſſime reperiatur membranula, nullum etiam, mea quidem ſententia, in omnibus feminis ſecundum naturam exiſtere poterit hymen, licet ejusmodi vaginæ uterinæ obvelationem quandoque præter naturam, pariter uti in coalitu digitorum, palpebrarum, vaginæ uteri, labiorum vulvæ

&

& aliarum partium observamus, accidere posse non negemus.

§. 16.

Hymenem in coarctatione naturali a carunculis consistere.

Porro alii adhuc anatomici, media via incedentes, hanc membranam, paulo ante descriptam, secundum naturam reperiri equidem negant, nihilominus tamen hymenem in naturali quadam orificii vaginæ coarctatione, a corrugationibus quibusdam seu carunculis myrtiformibus, mediante membranula, usque ad parvum foramen, inter se constrictis exorta quærere solent, uti jam supra §. 2. *seq.* de his carunculis ex Severino Pinæo & aliis autoribus monstravimus. Quibus adhuc alii addi possunt. Inquit enim Johannes Veslingius *Syntagm. anat. cap.* 7. *pag. m.* 104. quibus a lascivo genitalium contactu aut veneris usu externisque aliis injuriis illibatum corpus est, iis pudendum membrana obvelat carnosis expansionibus carunculisque stipata, quam hymenem veteres appellarunt. Rima circa medium finditur, per quam profluvio muliebri exitus datur, quamvis hujus forma defloratis partuque defunctis feminis aboletur. Ita etiam scribit Dominicus de Marchettis *Anatom. cap.* 7. *p.* 79. quia de hymene anatomici fere omnes multa scribunt, ego paucis referam, quid observare potuerim; hymenem tres carunculas esse non omnino unitas in medio, ut rudem figuram floris repræsentent, lateraliter tamen, membranula mediante, unitas tumidasque & satis apparentes. Putat etiam Andreas Laurentius *Anatom. Lib.* 7. *Qu.* 13. *fol.* 279. in puellis & virginibus carunculas illas quatuor non transversim, sed in longum sitas, membranarum tenuissimarum interjectu ita coire, ut violento concubitu & atterantur carunculæ & lacerentur membranulæ, effluatque sanguis. Hymenis historiam ita describit Casparus Bauhinus *Theatr. anat. Lib.* 1. *cap.* 39. *p. m.* 131. *seq.* In medio fossæ, quæ in magna rima est, orificium sinus pudoris virginum semper absconditum manet, quod non in extremitate sinus, sed in extremitate productionis, quæ sinui appensa est, locatur. Hæc productio

ductio virginibus propria longitudinem medii transversi digiti æquat, quam superne circularis quædam cavitas cingit: figuræ est rotundæ, in acumen desinit, & in ejus extremo foramen unum satis insigne, ut minimi digiti apicem admittat. Substantiæ est partim carnosæ, partim membranosæ, cum ex carunculis & membranis componatur. Carunculæ quatuor myrthi buccas referunt, quæ singulæ in quolibet sinus pudoris angulo, quasi in quatuor angulis sitæ sunt, quæ in virginibus rubicundæ sunt & inflatæ, & in corruptis attritæ flaccescunt & fibris, quibus inter se colligantur, disruptis, ab invicem abscedunt. Harum carunculaum superior cæteris major bifida est, ut intra se foramen urethræ admittat & occludat: inferior versus interiora fossam habet & instar aggeris opposita est, ne semen injectum confestim egrediatur: aliæ duæ carunculæ laterales minores sunt, has membranæ carnosæ connectunt, (hymen quibusdam) quæ non transversim locatæ, sed omnes recte ab inferno fine sinus pudoris deorsum tendunt, & singulæ in singularum carunculaum interstitiis locantur, cum quibus æqualiter fere pertenduntur. Verum hæ & carunculæ & membranæ in aliis breviores vel longiores, crassiores vel tenuiores, quam in aliis existunt: quemadmodum & orificium in ejus extremo, in aliis latius, in aliis angustius, & tum maxime parum patet, quando carunculæ & membranæ carnosæ parum a se invicem dissitæ sunt, unde major aut minor in primo concubitu difficultas. Hæc autem simul formam calicis parvæ rosæ semi-expansæ, cui foliola barbata, capulam constituentia, sublata sunt, referunt: Vel etiam productio hæc cum pudendis, betonicæ gariophillatæ majoris flori expanso, assimilari potest. Hanc productionem vocant hymen, quasi limen, columnam & claustrum virginale, florem virgineum, siquidem integer virginitatis notam illæsam solus significet. Quando enim penis sinum subierit, tunc membranæ carneæ inter carunculas positæ, penitus ad sui radicem usque lacerantur carunculæ ita atteruntur & diducuntur, ut aliquando

conjunctas fuisse neges: vasa insignia aperiuntur, & dum lacerantur, dolor fit, qui in juvenculis major est, propter partium siccitatem, minor tamen sanguinis, propter vasorum exiguitatem, profusio &c. Anno 1672. in dissecta virgine hydropica observavit D. Glaserus anatomes Professor Basileensis decantatum illud hymen (quod quidam membranam esse fingunt, aut siquidem membrana est, præternaturale quid est) esse quatuor carunculas myrtiformes in virginibus adeo strictas, ut foramen in medio relinquant vix pisum recipiens. In coitu enim si fricentur, magno conatu sanguinem fundunt, unde nota virginitatis, uti ex Glaseri observationibus recenset Theophilus Bonetus *Sepulchret. Lib. III. Sect.* 38. *fol.* 1370. Juxta Vopisc. Fortunat. Plemp. *Fundam. Medic. Lib.* 2. *cap.* 9. *fol.* 139. urethræ adstant circumquaque in quatuor angulis sinus quatuor carunculæ myrtiformes dictæ, a similitudine cum baccis myrti: quæ in virginibus rotundæ sunt; in defloratis etiam visibiles, sed attritæ atque flaccidæ. Has carunculas connectit interjecta membrana quædam partim carnosa, partim nervosa, mediocriter crassa, in medio pertusa foramine instar oblongioris annuli, quod in adultis minimum digitum facile admittit. Hæc membrana hymen est, de qua quot extant scriptorum somnia, quot affanniæ. Res se simpliciter & vere eo, quo enarramus, modo habet semper in omnibus virginibus, reveraque est signum virginitatis &c. Johannes Jonstonus *Thaumatograph. Class.* 10. *Cap.* 5. *Art.* 3. *p.* 466. scribit: Claustrum virginale virgines habere certum est: Illud vero non pellicula quædam in medio uteri transversim collocata, quæ cervicem faciat imperviam: sed quatuor carunculæ in coronam collocatæ, interventu parvularum fibrarum, donec vi rumpantur, ad invicem circulariter corrugatæ, foramen in medio relinquentes, ut inde possent menstrua ab utero provenientia fluere. Inquit etiam Franciscus Sylvius Dictat. ad Casp. Bartholin. *Instit. anat. cap.* 31. *fol. m.* 682. in carunculis myrtiformibus cum Pinæo, Riolano aliisque virginitatem collocamus:

&

& fruſtra alia in exteriore uteri cervice quæritur a quibusdam membrana hymen, quæ poſt veſicæ in hanc uteri inſertionem ſita ſit.

§. 17.

De hac autem vaginæ orificii coarctatione, hymenis titulo ſuperbiente, ſequentia monet Godefridus Bidloo *Anatom. Tab.* 51. interior vaginæ tunica corrugationes plicasque habet, vario modo diſtentas, varioque itidem modo eminentes, exteriorem vaginæ limitem orbiculatim ex parte obſepientes: Hæ omnes tamen flatus diſtentionisque vi obliterantur, nullumque niſi veræ nerveæ membranæ, toti vaginæ communis, ſpeciem nullumque virginitatis clauſtrum adumbrant. In juvenculis vero laxa admodum atque extenſa hæc eſt membrana, ut minuſculum tantum relinquat foraminulum intermedium. Dantur etiam alii autores, qui has carunculas anguſtiam equidem dictam, non autem hymenem conſtituere, contra Severinum Pinæum pugnant, ſiquidem Johannes Riolanus *Anthropogr. Lib. II. c.* 35. *fol.* 187. inquit: peritior factus in rebus anatomicis, commentum Severini Pinæi, de iſtis carunculis, hymenem conſtituentibus, vanum & fictitium eſſe deprehendi. Non inficior tamen illam anguſtiam cunni interioris, quæ fit ab illis carnoſitatibus, ex reduplicato collo uteri aliquid conferre ad dignoſcendam virginitatem &c. Paulo ante etiam ex Nicolao Venette adduximus, veteres anatomicos dictas carunculas pro hymene venditaſſe, cui tamen ſententiæ ibidem contradicit. Quamvis etiam nonnulli anatomici has carunculas in omnibus puellis reperiri defendant, atq; ex earum cohæſione membranacea, præter hymenem aliam ſecundam membranam virginitatis clauſtrum conſtituant, hanc tamen Isbrandus de Diemerbroc *Anatom. Lib.* 1. *cap.* 26. *fol.* 150. non antea credit adeſſe, quam ubi quis illam ipſi demonſtraverit. Cum etiam ſupra §. 3. *ſeq.* dictas carunculas multi autores in virginibus negarint, pro hymene ſeu membrana quadam naturali judicari non poterunt; hinc

Alii contradicunt.

etiam secundum Johannem Bohnium illi, qui in inflatione seu eminentia, aut in coalitu vel conniventia apicum quatuor caruncularum myrtiformium, quas sub cunni alis prominere ajebant, claustrum hoc virginale sibi concipiunt, v. g. Bauhinus, Pinæus, Laurentius & Zacchias, audiendi non sunt, cum caruncularum harum existentia ficta & nulla, hæcque nihil aliud, quam rugæ colli uterini, circa hujus ostium eminentiores, observentur, testantibus Riolano, Bartholino & Graafio. Miratur tamen Bohnius, Riolanum, quod, quas carunculas quatuor in Anthropographia negaverat, paulo post ibidem, & *in Enchirid. anat. patholog. Lib.* 2. *c.* 37. *p. m.* 182. earum colligantiam virginalem asserat, & pelliculæ hymeni surroget, ita quidem, ut, si hæc reperiatur, carunculæ illæ desint, si deficiat hymen, myrtiformes carunculæ adeo tumidæ & per membranosos apices eousq; consertæ cernantur, ut maximam orificii cervicis partem obturent. Imo nec ideo illa vel caruncularum vel nympharum conniventia aut colligantia proprium virginum quarti modi dici valebit: vel quod, testante Pinæo *cap.* 5. *&* 6. sub uno vel altero congressu illa integra perduret, vel quod Riolanus in femina, cujus genitalia ex dystocia lacerata fuerant, carunculas ac nymphas illas tam arcte coalescentes viderit, ut iis interjectus hiatus vix specilli cuspidem admiserit, conceperit nihilominus eadem sub arctitudine hac præternaturali, v. Joh. Bohn. *Medicin. Forens. Specim. III.* §. 9. Item Riolani opinioni (quod si membrana, hymen dicta, deficiat, carunculæ myrtiformes tumidæ orificium oppleant, & virginitatis claustrum efficiant; & quod si carunculæ desint, hymen necessario adesse debeat) ideo non assentitur Casparus a Reies, primo, quia hymen & membrana illa fabulosa est, ut plerique fatentur; aut certe si inveniatur, præternaturaliter esse ajunt; Secundo quia natura in operibus ordinariis æquivoce non operatur, ita ut unum aut aliud substituat; quod enim uni commune, est & aliis: alioquin erronea forent illius opera; quod non est verosimile. v. Reies *l. a. Quæst.* 39. *n.* 19. *p.* 480.

§. 18.

§. 18.

Pro hymene insuper nonnulli veterum habent reticulosum aliquod prætextum seu rete, ex ligamentis nerveis & vasculis sanguineis contextum, quod in medio vaginæ collocabant. Inquit enim Avicenna *Lib. III. Fen.* 21. *Tr.* 1. *cap.* 1. *fol. m.* 389. ante violationem puellæ virginis sunt in ore matricis panniculi contexti ex venis & ligamentis subtilibus valde, orti ex omni membro ejus, quos destruit violator, & currit, quod in eo est de sanguine. Et juxta Jacobi Berengarii Carpensis, vulgo Jacob Carpi *Isagog. in Anat. Corp. hum. p. m.* 22. cervici circa ejus medium est panniculus virginalis ut rete, contextum ligamentis subtilibus & pluribus venis, quo violata caret, quia rumpitur in primo coitu cum mare; hic panniculus vocatur eugion & cento, imen. Hic tamen panniculus reticulosus juxta Joh. Bohn. *l. a.* pariter autopsiam obstrepentem habet. *Hymen an sit reticulosum?*

§. 19.

Secundum Jul. Cæs. Scaliger. *de Subtilit. Exercit.* 175. *Sect.* 1. *p.* 541. reperitur in Atlantis jugis occidentalibus radix quædam, super qua si virgines, quæ præsunt pascuis, sedeant, aut urinam faciant, eis perinde rumpitur naturæ membrana, ac si a viro fuerint vitiatæ.

SECTIO III.
DE PARTIBUS MULIERUM GENITALIBUS INTERNIS.

CAPUT I.
De vagina uteri.

§. 1.

Absolutis partibus mulierum genitalibus externis, quas primo capite in pudendi partes exteriores & interiores distinximus, nunc etiam ad reliquas generationi inser- *Partes internæ.*

vientes partes progredimur, de quarum ſtatu naturali ac præternaturali acturi easdem in vaginam ſeu collum, ipſum uterum, ovaria ſeu teſticulos muliebres veteribus dictos, & tubas Fallopianas dividimus.

§. 2.

Vagina uteri. Eſt autem vagina, ſic dicta, uteri canalis rotundus & oblongus a pudendo muliebri ad uterum usque extenſus, membro virili ſecundum omnes dimenſiones applicabilis, unde quoque absque dubio, ob figuræ ac uſus ſimilitudinem, vaginæ nomen habet, quia penem in coitu excipiens vaginæ vicem præſtat; hinc etiam potius vagina penis ſeu membri virilis quam uteri vocari poſſet; & Johannes Riolanus *Enchirid. Anat. Lib.* 2. *cap.* 37. *p.* 182. collum uteri, quia peni excipiendo ad generationem dicatum eſt, vaginam pudendi virilis nominavit.

§. 3.

Denominationes. Nonnullis autoribus vagina hæc vocatur etiam matrix, item os vel oſtium, ſinus, collum & cervix uteri, ex quibus ultima frequentiſſime non modo vocabula apud hactenus allegatos, ſed alios quoque autores reperiuntur; magis tamen proprie vocabulum matrix ipſum uterum, os autem vel oſtium uteri anguſtum uteri orificium denotant. Neque etiam colli nec vaginæ denominatio omnibus arridet; inquit enim Henricus a Deventer *Art. Obſtetric. cap.* 5. *p. m.* 23. licet nomen vaginæ mihi non ſatis clarum videatur ad denotandum tranſitum iſtum, ſive viam uteri ad pudendum & viciſſim, ſolumque evitandæ novitatis ergo alio uti nolim, nomen tamen vaginæ præfero nomini colli, quia ſæpius autores, eadem utentes, vaginam ab ipſo utero ægre diſtinguere poſſunt &c. Inprimis autem ratione vocabuli cervicis diſcrepant autores; hinc etiam Gabriel Fallopius *Obſ. anat. Oper. Tom. I. fol. m.* 420. ita ſcribit: In uteri cervice mihi videtur, quod anatomici noſtrorum temporum fere omnes, qui de hac re locuti ſunt, aliquantiſper lapſi ſint, quoniam partem illam, quæ vere cervix non eſt, cervicem appellant, veram autem cervi-

cervicem ignorant; nam totus ille meatus, in quem virilis penis inditur, ab istis vocatur cervix: cum tamen ab antiquis anatomicis, Galeno scilicet atque præcipue a Sorano vocetur αἰδοῖον γυναικεῖον, nec non κόλπος γυναικεῖος, nunquam autem cervix, nisi improprie loquantur. Scito igitur, partem hanc sinum vel pudendum femineum esse vocandam, veram autem cervicem uteri eam esse partem, in qua est ostiolum illud angustum, in quod penis non ingreditur quidem, sed tantum attingit, semen vero per ipsum in fundum uteri procedit. Cui Fallopii loco, quamvis Casparus Bauhinus *Theatr. anat. Lib.* 1. *cap.*39. *p.m.*129. cum aliis contradicat, alii tamen autores adhærent. vid. Joh. Vesling. *Syntagm. anat. cap.* 7. *p. m.* 102. Isbrand. de Diemerbr. *Anat. Lib.* 1. *cap.* 26. *fol.* 147. Regner. de Graaf *de Organ. Mulier. cap.* 7. *oper. p.* 218. Pro evitanda etiam confusione nos ipsi vaginæ appellationem, nisi forte in autoribus allegatis cervicis nomen occurrat, in hoc tractatu retinebimus.

§. 4.

Orificium vaginæ uteri fere in medio pudendi situm est, *Situs.* nonnihil tamen versus posteriora: estque in virginibus maxime junioribus valde coarctatum, multoque ipsa vagina angustius. v. Phil. Verheyen *Anatom. Tr. II. cap.* 26. *pag.* 194. Ipsius autem vaginæ situs est in hypogastrio inter vesicam & intestinum rectum, cui tam firmiter annectitur, ut in eadem parte, eadem & communi tunica constare videatur, unde etiam a dilaceratione, erosione vel exulceratione alterius partis facillime excrementa alvina per vaginam ejici soleant, uti supra *Sect. I. Capite V.* variis exemplis monstravimus. Inquit etiam Gerardus Blasius *Comment. in Joh. Vesling. Syntagm. anat. cap.* 7. *p.*100. uteri collum tam arcte recto intestino nectitur, ut sine cultro separari nequeat: hinc læsa alterutra parte utriusque excrementa libere inter se communicant. Sæpe evenit, ut eroso vel abraso utriusque pariete, præsertim in partu difficili, alvi fæces per naturalia mulierum expurgentur &c. Et Amé Bourdon *dans la nouvelle descri-*

ption anatomique Cap. 1. *Art.* 20. *p. m.* inquit. Le col de la matrice s'etend entre celui de la vessie & l'intestin droit, avec lequel il est envelope d'une membrane commune; c'est pour cette raison, que cet intestin etant troüé, les excremens sortent quelquefois par la vulve.

§. 5.

Figura. Ratione figuræ est vagina uteri cava, oblonga, contorta tamen nonnihil & obliqua, item arctior, quia extra coitum ejusdem latera aliquatenus flaccida sunt, instarque intestinorum in se concidunt, econtra vero tempore fluxus menstrualis, coitus atque partus, ob sanguinis & spirituum affluxum magis recta & amplior evadit. Causam tortuositatis vaginæ hanc reddit Nicolaus Venette *de la Generat. de l'Homme Cap.* 1. *Art.* 4. *p.* 26. Le col de la matrice est naturellement un peu tortu, àfin de defendre la matrice de ce qui pourroit venir de dehors pour l'incommoder, & pour donner davantage de plaisir à l'homme, quand il caresse sa femme.

§. 6.

Magnitudo. Longitudo. Quoad magnitudinem vulvæ seu vaginæ consideranda est ipsius tam longitudo, quam latitudo; utraque tam ratione ætatis, quam magnitudinis subjectorum differt: In feminis, quæ nondum fuerunt puerperæ, collum istud, juxta Petr. Dionis *Anatom. Demonstrat.* 4. *Sect.* 2. *pag.* 241. circiter quatuor pollices habet longitudinis & sesquipollicem latitudinis; sed post illarum puerperium ejus magnitudo determinari nequit. Quibusdam hæc longitudo est sex, septem aut octo circiter digitorum transversorum; & Regnerus de Graaf *l. a. p.* 220. eandem vaginam novem transversos digitos longam observavit, adeo ut satis accurate cum membro virili quadret, ac glans bene mentulati facillime ad cervicem seu uteri osculum pertingat, illudque aliquando dolore afficiat.

§. 7.

Latitudo. Pariter etiam vaginæ latitudo, amplitudo seu capacitas differt,

differt, siquidem non modo hujus orificium ipsa vagina arctius est, sed ipsius quoque finis, ubi uteri orificio affigitur, iterum magis coangustatur, ut ita vagina in medio profundior, in extremitatibus autem altior sit, atque hoc modo figuram navicularem quodammodo repræsentet. Quamvis etiam vaginæ latera extra libidinem aliquatenus flaccida, instar intestinorum vacuorum in se concidant, in orgasmo tamen venereo atque coitu ipsa vagina cujusvis membri virilis immissioni respondet; seque in congressu ad penis magnitudinem accommodat, atque pro ejus mensura vagina modo latior, modo angustior, pariter uti longior ac brevior evadit; quod confirmat Nicolaus Venette *l. a. cap.* 2. *Art.* 1. *p.* 33. le conduit, inquiens, des parties secretes de la femme est ordinairement de six ou de huit pouces de profondeur, & sa circumference interne n'a point de mesure determinée, car par une admirable structure ce conduit s'ajuste si proprement à la partie de l'homme, qui en est presſée, qu'il devient plus ou moins large selon les instrumens, qui les touchent; vel juxta verba Francisci Plazzoni *de Part. Generat. Lib.* 2. *cap.* 4. *p.* 113. canalis hic in coitu ad virgæ magnitudinem sese accommodat, fitque longior & brevior, latior & angustior, & pro feminæ libidine varie turget, prominentibus nimirum a spiritu replente caruncul is, & canalem arctantibus. Et secundum Isbrand. de Diemerbr. *Anatom. Lib.* 1. *cap.* 26. *fol.* 147. vulvæ longitudo, latitudo & laxitas variant pro ratione ætatis, nec non prout femina magis vel minus libidine fervet, imo etiam pro naturarum diversitate; sicut crassities & longitudo penis in viris, ita etiam hæc latitudo & longitudo vaginæ variat in mulieribus. Atque hinc Spigelius *Anat. Lib.* 8. *cap.* 22. sic dicit: undique penem constringit vagina & secundum omnes ipsius dimensiones sese erigit, sicque peni brevi occurrit, longo cedit, crasso dilatatur, tenui constringitur. Natura enim ita omnibus penis differentiis consuluit, ut non opus sit sollicite vaginam cultello æquam quærere, sed ubique opificis summi beneficio inveniatur. In

femina ex suppressione lochiorum stupendo abdominis tumore defuncta collum uteri perangustum sanie concretum observavit Matthæus Harderus *M. N. C. Dec. III. An.* 5. *&* 6. *Observ.* 93. *p.* 178. *&* 181.

§. 8.

Substantia. Dictæ autem vaginæ constrictioni seu coarctationi atque dilatationi apta est ejusdem substantia, quæ mollis est & laxa, ut expandi queat, simul tamen sub interiori membrana habet carnem musculosam, ut contrahendo sese arctius membrum virile complecti possit. Secundum Thom. Bartholin. *Anat. Lib. I. cap.* 30. *p.* 281. substantia vaginæ est & ex carne dura nervosaque & nonnihil spongiosa & fungosa, ut penis. Et juxta Philipp. Verheyen *Anatom. Tr. II. cap.* 26. *p.* 194. interna vaginæ substantia quasi nervea est, indeque sensu exquisito prædita: externa pleraque membranosa, rara, laxa, & fibris carneis secundum longitudinem excurrentibus donata. Vaginam hanc Joh. Gothofr. Bergerus *Physiol. med. Lib. II. cap.* 1. *p.* 455. ita describit: Os uteri latiore excipitur canale, qui tunica intus ex cervice propagata, sensusque multi exterius crassiore & magna copia vasorum ac intextarum fibrarum carnearum, secundum longitudinem excurrentium, & musculo demum constrictorio præditus, vagina dicitur, atque in muliebria desinit.

§. 9.

Rugæ. Porro quoque vaginæ superficies interna admodum inæqualis atque rugosa, & quidem in parte anteriore, cui urethra incumbit, pluribus dotata est rugis, quam in posteriore, item pluribus in inferiore, quam superiore: Has rugas esse orbiculares scribit Johannes van Horne *Microcosm.* §. 69. *p.* 242. item Johannes Veslingius *l. a. p.* 102. inquit: Vagina est canalis mollis & laxior atque in orbem commeantibus rugis inæqualis. Et Gerardus Blasius *Comment. in dictum locum* addit: antica parte prope vesicam maxime, minus versus intestinum; juxta verba Godefridi Bidloo *Tabul.* 51. *Fig.* 3. interior vaginæ tunica corruga-

tiones

tiones plicasque habet vario modo diſtentas varioque itidem modo eminentes, exteriorem vaginæ limitem orbiculatim ex parte obſepientes. Has tamen plicas ſeu rugas non æque orbiculares judicat Regnerus de Graaf *l. a. p.* 221. inquiens: Diducto vaginæ orificio adeo rugoſa cernitur ipſius ſubſtantia, ut bovis palato membranoſam illius ſuperficiem non male comparaveris, niſi quod inæqualitates ſive rugæ non tam recto ductu incedant, quemadmodum clare conſpicitur, ſi vaginam ſecundum longitudinem aperueris: tunc enim cognoſces, rugas illas admodum confuſe ſimul necti. Tales rugæ, quæ ab interna tunica originem ſumunt, in juvenculis & virginibus arctiores ſunt, in mulieribus autem & meretricibus, coitum frequenter admittentibus, ſucceſſive ita obliterantur, ut tota interior vaginæ ſuperficies ex multa attritione atque dedolatione ſenſim lævis fereque calloſa fiat. Vel juxta verba Isbrandi de Diemerbroc *l. a. f.* 147. in virginibus, nec non in mulieribus, quæ rariore venere utuntur, nec in eam tam fervide proclives ſunt, ut & in iis, quæ nunquam pepererunt, aut quæ diuturno menſium vel albo muliebri fluxu non laborarunt, dictæ rugæ multo crebriores & denſiores ſunt, quam in iis, quæ ſæpius pepererunt, nec non in meretricibus frequenti coitu utentibus, utpote in quibus fere obliterantur. Prolixe de his plicis agit Franciſcus Plazzonus *l. a. p.* 114. inquiens: in hoc ſinu rugæ ſeu plicæ orbiculares multæ ſunt, præſertim in principio prope pudendum; fiunt autem hæ plicæ ab interna tunica corrugata, veluti ſi eam ſummis digitis duplicatam apprehenderes & modice attolleres. In virginibus ſunt evidentiſſimæ; in mulieribus vero virum paſſis ſenſim obliterantur, & eo magis, quo frequentius coierint, adeo ut ex multa affricatione & iterato coitu tandem penitus explicentur, & tota interior vaginæ facies lævis evadat: uti contingit meretricibus, feminis, quæ ſæpius pepererunt, quæque fluxu diuturno menſium vel albo laboraverunt: in vetulis tandem hæc ſubſtantia fit durior & calloſior, & quaſi cartilaginea. Unde

forte in carmine impudico priapus conqueritur de vetula:

Ductor ferreus insularis, æque
Laternæ videor fricare cornu.

In juvenculis multo est mollior & delicatior; suntque hæ plicæ satis firmæ, neque semper orbem integrum constituunt, sed sæpe plures in unam coeunt, & vice versa. Hæc Plazzonus. vid. etiam Gerard. Blas. *l. a.* An vero defectus rugarum in collo seu vagina uteri, quem juxta histor. morb. Vratislav. *anno* 1702. *pag.* 210. in duabus mulieribus infœcundis, atque, secundum propriam ipsarum confessionem, congressum citra ullum delectationis sensum patientibus propria manu deprehendit D. Pauli, pariter a nimio & frequentiore coitu derivari possit, fere dubitandum.

§. 10.

Usus rugarum. His vaginæ rugis seu plicis varius ab autoribus adscribitur usus, & quidem primo ad dilatationem pro magnitudine penis; secundo ad majorem tam maribus quam feminis in coitu excitandam voluptatem; tertio ad promovendam conceptionem, & quarto ad fœtus in partu exitum facilitandum. Scribit enim Petrus Dionis *Anatom. Demonst. IV. p.* 241. internas has corrugationes vaginæ ad hoc inservire, ut possit extendi, vel contrahi, dilatari vel coarctari, ut vel longitudini vel crassitudini penis se attemperare possit & exitum permittere fœtui, quando ex utero prodit. Has rugas Johannes Mauricius Hoffmannus *Ideæ Machin. hum. Sect.* 12. *p.* 99. deliciarum venerearum illecebras vocat. Et ratione voluptatis ex rugis vaginæ expectandæ scribit Isbrandus Diemerbroc *l. a.* Vagina est canalis mollis & laxus, sese peni in coitu undiquaque applicans, fibris carneis secundum longitudinem excurrentibus præditus, quibus aliis adjacentibus partibus agglutinatur, intus rugis orbicularibus (superiore parte pluribus, quam inferiore, ut & versus pudendum pluribus quam versus uterum) inæqualibus (ut major titillationis ab attritu voluptas oriatur) membranosæ & quasi nervosæ, sed nonnihil

spon-

ſpongioſæ fungoſæque ſubſtantiæ (hæc in libidine aliquantum inturgeſcit, ut penem ſtrictius comprehendat) longitudinis digiti longioris, latitudinis circiter recti inteſtini &c. Et Philippus Verheyenus *l. a. p.* 194. putat, rugas iſtas contribuere ad faciliorem vaginæ expanſionem: deinde ut glans penis illa inæqualitate blandius agitata ac fricata majorem in actu delectationem procreet, ne alioquin ante ejus abſolutionem remiſſo animi vigore, ſemen non ſat valide injiciatur in uterum. Allegatione quoque dignus eſt locus Severini Pinæi *de Not. Virgin. Lib. I. cap.* 9. *p.* 67. inquientis; hic ſinus membranoſus, nervoſus & ubique rugoſus eſt, magis autem in ingreſſu, quam in medio aut fundo, antice veſicam verſus, quam poſtice ad rectum inteſtinum: eſt enim inter utrumque ſitus. Quod natura effecit ad majorem amantium voluptatem, ſed adverſim non averſim concubantium: nam in antica & ſuperna balani parte dorſum penis verſus non modo aſperitatem, ſed fere circularem prominentiam ſeu projecturam ipſa poſuit, qua blandus ſit attritus & inde titillatio major, quam ſi averſim pecudum more concumberent &c. De rugarum uſu ad conceptionem ita loquitur Dominicus de Marchettis *Anat. cap.* 7. *p. m.* 77. a continua fricatione rugæ in vagina relaxantur, & hinc evenit, quod fere nunquam meretrices utero gerant, quia ſemen neque implicari, neque detineri poteſt in vagina, relaxatis rugis, a quibus ſi non detinetur, nec in uterum ingredi poteſt. An autem ſemen pro fœcundatione ſemper in uterum ingeratur, & quomodo, inferius videbimus. Secundum hiſtor. morbor. Vratisl. *An.* 1702. *pag.* 211. abſentia plicarum, ſi quicquam ad fruſtrationem conceptus confert, non alio modo concurrere poteſt, quam hoc, quod vagina, plicis his deſtituta, non tam arcte penem virilem complectatur, & ſemen effuſum non bene ſuſcipiat, ſed facilius elabi ſinat, cum ſtrictior vaginæ uteri ad membrum virile applicatio, juxta Graafium, ſeminis ſuſceptionem ac retentionem multum adjuvet. Denique has rugas fœtum egredi allaborantem pro-

trudendo partem facilitare censet atque miratur Henricus van Roonhuysen *Obs. chirurgic. Lib.2.p. m.* 86.

§. II.

Pori & glandulæ.

Cum circa meatum urinarium, *Sect. II. Cap.* 4. certarum glandularum ductuumque liquorem quendam excernentium, sub nomine prostatarum earumque lacunarum mentionem fecerimus, restat adhuc ex Regnero de Graaf *l. a. p.* 222. hoc loco referre, per totum vaginæ ductum plurimos reperiri porulos, nullibi tamen plures atque majores, quam in inferiori ejus parte circa meatus urinarii exitum; ibi enim non minores sæpenumero reperiuntur, quam illi, quos in meatu urinario descripsimus. Ex omnibus illis ductibus tam majoribus, quam minoribus materia seroso-pituitosa tanta copia emanat, quanta ad humectandas illas partes necessaria est, & in veneris actu ad lubricandas vias tam copiose erumpit, ut etiam extra pudenda profluat, & hæc est materia pro vero mulierum semine a multis habita. Hic etiam notandum, materiam illam tanta cum delectatione ex ductibus illis prosilire, quanta cum voluptate e prostatis virorum solet; ita ut non adeo a ratione alienum videatur, si effluxum illum, mulierum pollutionem appellemus; & licet revera, quod emittunt, semen non sit, equidem æque male ac viri sese polluentes agere censentur illæ, quæ lascivis cogitationibus, petulcis digitis, aut aliis instrumentis, contra honestatis mores excogitatis, malevole has partes eousque exagitant ac irritant, ut talem materiam abundanter ejiciant: nam non semper semen, sed aliquando tantummodo similis materia e prostatis virorum erumpens pollutionem causat, materiæ hujus seroso-pituitosæ quantitatem aliquam ex nervosa vaginæ tunica aut glandulis in illa contentis provenire, non inficias imus, maxima tamen sui parte, eam ex mulierum prostratis circumcirca urethram positis prorumpere reperient ii, qui horum ductuum propagines investigabunt Harum glandularum etiam alii autores mentionem faciunt, scribit Godefridus Bidloo *Anat. Tab.*51. to-

tum

tum urethræ ut & uteri vaginæ tractum glandoſo acervo vaſculisque obduci pluribus, quorum ductus tam in vaginæ orificio, quam urethra ipſa aperiantur. vid. etiam Philipp. Verheyen. *l. a. p.* 195. Et Johannes Mauric. Hoffmannus *Ideæ Machin. hum. Sect.* 12. §. 14. *p.* 99. inquit: ſub tunica interiori vaginæ reconditæ ſunt glandulæ vaginales ſive conglomerationes plurimæ botriformes, ex indefinitis ovalis figuræ glandulis conſtantes, quales una cum ſubſtantia glanduloſo-ſpongioſa circumcirca meatum urinarium appoſita & pro paraſtatis muliebribus habita, conſimilique prorſus orificium uteri internum ambiente per porulos plurimos, in inferiore ejus parte juxta meatus urinarii exitum præcipue notabiles ac majores, ſeroſo-ſpumoſam ſtimulante libidine effundunt humiditatem pro ſemine muliebri falſo quondam agnitam. Secundum Gothofr. Berger. *Phyſiol. med. Part. II. cap.* 1. *p.* 455. *ſeq.* interior vaginæ tunica, quam nerveam vocant, multis rugis orbicularibus inæqualis eſt, multasque hinc inde lacunas & plures earum majores juxta urethræ exitum collocatas habet, quæ liquorem exſudant ſeroſum, humigandæ intus vaginæ utilem, eumque in veneris certamine, & cogitationibus interdum libidinoſis, ea copia fundunt, ut extra pudenda profluat, atq; a veteribus quibusdam pro ſemine habitus fuerit. Plura de his & aliis vaginæ partibus, v. g. de arteriis, venis, vaſis lymphaticis & nervis vid. præter autores hactenus allegatos Franc. Stockhammer. *Microcoſmograph. cap.* 7. *p.* 85. *ſeq.* Jean Palfin *l. a. p.* 21. Diemerbr. *l. a. f.* 147. Francíſ. Plazzon. *de partib. generat. Lib.* 2. *cap.* 6. *p.* 121. *ſeq.* M. N. C. Dec. II. *An.* 2. *p.* 462. 464.

§. 12.

De vaginæ uteri uſu aliquoties jamjam mentionem fecimus, quod ſcilicet penem virilem admittat, recipiat, amplectatur, ſeque circa illum blande conſtringat; hinc etiam Johannes Munnick *Anat. nov.* §. 32. *p. m.* 75. vaginam vocat conclave, in quo conjugalia feſta ſolent celebrari: excipit enim virile membrum erectum, inque uterum ſemen emiſſum dirigit. Quod ut *Uſus vaginæ.*

felici-

feliciter peragatur, totus vaginæ ductus a pudendo ad uterum usque in coitu erigitur, sic ut penis regia quasi via ad uterum pervenire queat. Natura enim in vagina talem erectionem molita est, ut congrua pudendorum affrictio ad semen eliciendum necessaria fieret &c. Nisi enim vagina in coitu ab orgasmo seu sanguinis & spirituum affluxu incalesceret, erigeretur, atque dilataretur, secundum Fransc. Stockham. *l. a.p.* 86. fortior priapus ad latus ejus allisus facile eam complicaret læderetque, qualem læsionem ex Plazzono refert Isbrandus Diemerbroc *l. l. a.f.* 148. de juvene quodam, qui cum sponsa prima nocte congressurus valida veretri intrusione & violenta festinatione non modo cervicem, sed & ipsum intestinum rectum perrupit. Cujus rei causam non aliam judicat Plazzonus, quam quod vulva non assueta erigi ad novum opus languida flaccesceret, nec peni irruenti directam viam præbere nosceret.

§. 13.

Duplex vagina. Secundum naturam uti unica vulva, ita etiam unica vagina uteri reperitur; cum autem *Sect. I. cap.* 4. §. 12. duplicis vulvæ præternaturalis exempla adduxerimus, hoc etiam loco ex Thom. Bartholin. *Anat. Lib.* 1. *cap.* 30. *p.* 281. addere libet exemplum mulieris cujusdam Hafniensis, qui duplicem quoque vaginam, duplici orificio patentem, habebat, quarum una angustior, latior altera fuit. Per latiorem ex marito filiam enixa est. vid. etiam Th. Bartholin. *Epist. med. Cent. III. Ep.* 2. *p.* 10.

§. 14.

Excrescentia carnea. Præter naturam etiam varia in vagina medicis observanda occurrunt, ut supra *Sect. II. cap.* 1. *p.* 31. de excrescentia carnea seu cauda, circa feminæ, ob adulterium decollatæ, ad interius orificium adnata & aliis exemplis diximus. Scilicet in murarii Lipsiensis uxore ob adulterium aliquoties commissum capite mulctata in sectione extra collum uteri pendebat excrescentia carnea, longitudine digitum minorem, crassitie vero lumbricum ferme æquans, quæ statim circa interius colli uteri ori-

ficium

ficium incipiebat uterique collum claudebat, hinc semen emissum uterum intrare non potuit. Nam fama erat, illam non solummodo cum marito, sed & permultis aliis rem habuisse, nunquam tamen concepisse, juxta observationem Caspari Theoph. Bierlingii *Adversar. curios. Obs.* 29. *p.* 58. De excrescentia uteri prolapsum mentiente sequentem observationem refert Thomas Bartholinus *Histor. anat. Cent. II. Hist.* 58. *p. m.* 239. Vidi in nosocomio Patavino 1641. dissectam mulierem, quæ prolapsum uteri a partu difficili ante decem annos passa credebatur. Narravit se in prato cubantem observasse descendere uterum, gramenque venari. Ex illo tempore indies crevit ob affluxum sanguis, ut distentus nigerque in putredinem degeneraverit. Judicabat chirurgicas operationes nobis demonstrans Marchettus, non esse uteri procidentiam, sed excrescentiam aliquam in vagina uteri, adeoque abscindendam. Alter nosodochii chirurgus familiaris pro uteri stetit procidentia, quum excrescentia subitum ortum incrementumque habere non possit. Mulier interim secari volens, inter ambigua consilia, ad mortem properavit. In aperto cadavere satis in trunco obeso, sed artubus emaciatis, uterum suo loco sanum beneque constitutum vidimus, excrescentiam vero ex uteri vagina dilacerata pendulam, cum labiis pudendi, ex lue venerea forsan, inflammatis.

§. 15.

In vagina tunica interna, a qua rugæ seu plicæ originem sumunt, calculum se aliquando invenisse scribit Regnerus de Graaf *de Mulier. Organ. Cap.* 7. *p.* 222. Varios in vagina uteri prognatos calculos in femina observavit Godofredus a Lanckisch vid. Act. Erudit. Lips. *An.* 1693. *p.* 230. De ovulo ligneo torno elaborato, vaginæ uterinæ a muliere intruso, crustaque lapidea obducto, sequentem observationem recenset Johannes Mauricius Hoffmannus Ephemerid. Academ. Natur. curios. *Cent. V. & VI. Obs.* 44. *p.* 295. Mulier quædam ruri vivens, cum ex partu difficili uteri procidentiam perpessa esset, pro ejusdem & repo-

sitione & repositi firmatione ovum vaginæ immisit ligneum torno affabre factum & colore rubeo tinctum, idque absque ullo incommodo ultra annum reconditum ibi gestavit, nec unquam interea ejusdem extractionem tentavit; postea autem sensim & ponderis & tensionis ab isto ovo molestiam sensit, hancque continuo involuntario urinæ stillicidio propter fibras sphincteris vesicæ sub eodem partu procul dubio simul violenter dilaceratas stipatam, per integrum biennium, constanti animo sustinuit; sed demum post insignes dolores præmisso fotu & insessu in balneum aqueolacteum cum herbis emollientibus, extractionem ovi forcipe in extremitate nonnihil incurvato ipsa femina ovi lignei emotionis jussu medici subinde faciebat periculum; & postquam crustularum lapidearum fragmenta plurima avulserat, demum non sine magno molimine ovum ipsum, tam diuturnum ingratum sibi hospitem, extraxit adhuc ex parte tegmine lapideo obductum &c. Plura de ejusmodi excrescentiis carnosis & fungosis vide paulo infra de cancro uteri.

§. 16.

Vaginæ disruptio.

Interdum vaginæ parietes a variis causis versus intestinum rectum disrumpuntur, ut excrementa alvina per pudenda excernantur, qualia exempla jam supra *Sect. I. cap.* 5. §. 17. *seq.* recensuimus. Exemplum simile in puerpera a læsione intestini recti per chirurgum facta annotavit Johannes Matthias Müllerus Ephemerid. Acad. N. C. *Cent. V. & VI. Obs.* 56. *p.* 87. *seq.* ubi inquit: cum ad fœtus mortui ex utero matris maxime enervatæ extractionem una cum chirurgo vocarer, istam a partus conatibus admodum debilitatam inveni cum variis symptomatibus maximoque pudendorum tumore; fœtus vero, per biduum vel triduum jamdum mortui, caput tumidum per uteri orificium parum præminens cum ossibus bregmatis confractis observavi. Hinc mulierem supinam cum cruribus elevatis jussi in lectum poni, consuluique, ut, in defectu alterius instrumenti,

ti,

ti, novacula capitis cute incisa, de ossibus bregmatis confractis, frontis atque occipitis quantum possibile fuerit, suspensa manu rescinderetur, cerebrumque cochleari eximeretur. Demta sic capitis insigni portione fœtus facilius extrahi potuit. Ex chirurgi tamen incuria uteri vagina cum subjecto intestino recto fuit incisa, ita ut excrementa alvina per hanc uteri vaginæ læsionem simul ejicerentur; quod vero malum per balsamum certum paucis diebus fuit sublatum. Postquam mulier quædam diutino tempore purulenta fœtidaque, manifestissima exulcerati uteri signa, per pudenda excrevisset, postremo & alvi excrementa, per eundem locum dimisit, juxta annotationem Remberti Dodonæi in Anton. Beniven. *Obs. II. p. m.* 156. In anu sexagenaria, cancro uteri laborante, per muliebria omnis generis excrementa descendere, urinæque stercorum & fluoris uterini iter promiscuum annotavit Johannes Nicolaus Pechlinus *Obs. phys. med. Lib. I. Obs.* 22, *p.* 50. *&* 52.

§. 17.

Plura adhuc circa vaginam uterinam de ejusdem clausura atque procidentia superessent, de quibus tamen in alio tractatu, ubi de Atretis imperforatis atque uteri prolapsu agetur, sermo nobis erit. *Clausura.*

CAPUT II.

De utero.

§. 1.

CUm per vaginam hactenus descriptam in coitu penis ad ipsum uterum penetret, nunc etiam de eodem agendum nobis venit; derivant scilicet plerique vocabulum uterus ab utre, quia cavus est, impletur & depletur; quam tamen derivationem a Lindano in physiologia plane ridiculam æstimari, scribit Gerard. Blasius *Comment. in Joh. Vesling. Syntagm. anat. cap. m. p.* 7. 97. (quanquam dicta verba in Lindani physiologia reperire mihi non licuerit.) Conjectura vero Scaligeri vocem uteri origine *Uterus.* *Derivatio.*

Græcam esse, & vel ab ὑστέρα uterus vel ab Æolico ὕτερος oriri, ut sit quasi ἕτερος, alter venter alii statuunt.

§. 2.

Varia nomina. Huic parti veteres ob præstantiam atque dignitatem ejus (siquidem, licet non ad individui conservationem, ad speciei tamen humanique generis propagationem atque æternitatem, maxime necessaria est,) varia tam græca, quam latina imposuerunt nomina, de quibus vid. Gualt. Charleton. *de Catamen. cap.2. p.8.seqq.* Joh. Henr. Laurentii *Disp.pro Licent. de Hydrop. Uter. cap.1.* Thom. Bartholin. *Anat. Lib. I. cap.28. pag. m.260.* Lud. Cæl. Rhod. *Lection. antiqu. Lib. 4. cap. 23. fol.147.* Franc. Plazzon *de Part. Gener. Lib. 2. cap. 6. p. 124.* Nath. Highmor. *Anatom. Lib. I. Part. 4. Cap. 4. fol. 98.* Vulgo etiam uterus tam latinis, quam germanis, matris seu matricis nomine venire solet, & quidem non immerito, 1) quia omnes homines ab utero ortum atque nativitatem habent, 2) quia quamdiu fœtum in se continet, pro eodem alendo & conservando matris vices gerit, 3) quia uterus alias matres facit, si enim mulieres utero carerent, nunquam matres fierent. v. Phil. Verheyen *Anat. Tr. II. cap. 23. p. 182.* Regnerus de Graaf *de Organ. Mulier. cap. 8. pag. 231.*

§. 3.

Definitio. Est autem uterus pars dissimilaris, cava, pyriformis, a latiori scilicet fundo in collum turbinata, in hypogastrio sita, vaginæ immediate adhærens, primordiis fœtus in se recipiendis, fovendis ac nutriendis, fœtui deinde ac sanguini menstruo expellendis dicata vid. Franc. Stockhammer. *Microcosmograph. cap. 7. pag. 89.*

§. 4.

Situs. Uteri situs est in mulieris hypogastrio seu ampla abdominis cavitate, quæ pelvis dicitur, & quidem inter vesicam & intestinum rectum, tanquam inter duo pulvinaria, ne ossium duritie lædatur tenellus embryo, qui locus juxta Gualterum Charletonium *de Catamen. Cap. 3. p. 15. seq.* tum ad concepti fœtus incremen-

mentum, tum ad perfecti enixum commodissimus, itemque ad ejusdem interea ab externis injuriis tutelam ac conservationem; quippe ab anteriore parte ab osse pubis, a posteriore ab osse sacro; a lateribus ab ossibus ilion, tutissimis tanquam mœniis circumdatur. Juxta Jobi a Meekren *Obs. med. chirurg.* 54. *p.* 242. locum natura utero & amplum & tutum concessit inter vesicam urinariam & intestinum rectum, quæ hic duplicis pulvinaris vices subeunt, medius hic est, quo in æquilibrio servetur corpus. Inquit etiam Henricus van Sanden *Observat. de Prolaps. Uter. pag. m.* 13. uterus situm obtinuit in cavitate illa, quæ dicitur pelvis, quam constituunt os sacrum a parte postica, ab antica vero parte os pubis, a lateribus ossa ilii & ischii, a quibus toto ambitu circumdatus est, quem tutiorem situm eum in finem nactus, ut eo minori procidentiæ periculo obnoxius redderetur. Alias adhuc causas hujus situs uteri & quidem moralem & medicam, reddit Regnerus de Graaf *l. a. p.* 232. scilicet ideo fœtus situm esse inter vesicam & intestinum, ut homines ex fragili & peritura materia inter stercus & urinam nati, & in terram ac cinerem resolvendi, vilis & abjectæ suæ conditionis memores superbiæ alas demitterent. Primario tamen cum ipso autore hic uterum collocatum existimamus, quia locus ille tam fœtus gestationi, quam generationi aptissimus est, nam non solum sine ullius partis læsione pro fœtus amplitudine in magnam molem distenditur, verum etiam egressuro fœtui exitum ad inferiora facilem concedit. Secundum Andreæ Laurentii *Histor. anat. hum. corpor. Lib.* 7. *cap.* 11. *fol.* 271. situs hic uteri ad usum venereorum (quia longe a facie & nobilissima rationis arce est dissitus) tum ad concepti incrementum, tum ad perfecti enixum commodissimus est. Imo pelvis hæc, in qua latet hoc fœtus formandi domicilium, instante urgenteque partu, validis ligamentis circa os sacrum & pubis utcunque laxatis, ac retrocedente osse coccygis, ulterius laxari potest, ut ex angustiis uterini carceris fœtus eluctetur, juxta Isbr. de Diemerbr. *Anat. Lib.* 1. *cap.* 25.

fol. m. 137. Et secundum Jean Palfyn *de la descript. anat. des parties de la femme Part.* 2. *pag.* 53. comme la matrice êtoit une maison fort considerable, l'auteur de la nature l'a bâtie dans le lieu le plus spatieux: Elle se peut aggrandir, & se dilater fort aisément, sans aucune opposition, selon la grandeur de l'hôte, qu'elle enferme. Et comme c'étoit un palais de grande consideration, il falloit le fortifier de peur de surprise; l'auteur de la nature pour cet effet l'a muni des os, comme d'autant de fortes barrieres, qu'il a bâti à toutes les avenuës, pour detourner tous les mauvais desseins des ennemis. Circa situm uteri adhuc monendum, in gravidis quandoque uterum situm mutare atque propter fœtus pondus modo in dextrum modo sinistrum latus flectere. Johannes Riolanus in muliere quindecim diebus a partu strangulata uterum in dextrum latus inclinatum & firmiter adstrictum vidisse ait *Anthrop. Lib. II. cap.* 35. *fol.* 184.

§. 5.

Substantia. Ratione substantiæ uteri differre inter se videntur autores, dum alii eandem membranosam seu nerveam, alii potissimum carneam, alii carneo-nervosam, alii fibrosam & musculosam esse arbitrantur, uti ex ipsis quorundam autorum verbis patet. Inquit enim Petrus Dionis *Anatom. Demonstr. IV. Sect.* 2. *pag.* 229. substantia uteri est membranosa, ut ad semen recipiendum dehiscere possit; dilatari & extendi ad fœtus incrementum; a fundo comprimi, ut ejusdem exitum adjuvet, instante partu, & post fœtum secundinam extrudat; & tandem in naturalem statum restaurari. Uterus peritonæi membrana obducitur. Membrana ejus propria trifariis fibris contexta est, rectis nimirum, transversis & obliquis; quarum ope sufficienter dilatari potest, ad multiplicem fœtum continendum, & postmodum contrahi. Hæc membrana totum uterum insternit, lævis est & æqua in suo fundo; si vero contingat, illam esse quandoque rugosam & asperam, id tantum accidit menstruorum tempore, propter vasorum orificia, quæ in utero aperiuntur, ibique exiguas

guas

guas prominentias formant. Sic etiam Nathanaeli Highmoro *Corp. hum. Disquis. Lib.* 1. *Part.* 4. *cap.* 4. *f.* 99. ſubſtantia uteri membranoſa eſt, fungoſa, præcipue cum utero gerant; duplicem habent membranam, unam a peritonæo ortam, quæ lubrica eſt ac lævis, niſi ubi vaſa deferentia intrant, aut ligamenta exeunt. Interna aſpera eſt a venarum prominentibus orificiis, præcipue in menſtruatis, aliter vix conſpicuis. In gravidis a membranæ natura abit, & rubra, fungoſa & ſpongioſa fit, quod ob ſpiritum & ſanguinis affluxum copioſum contingit. Plerique tamen anatomici ſubſtantiam uteri præter dictas membranas nerveas etiam aliquid carneum continere, defendunt, vid. Gualt. Charlet. *de Catamen. cap.* 3. *p.* 17. *ſeq.* Henr. von Sanden *Obſerv. de Prolapſ. Uter. inverſ.* §. 2. *pag. m.* 18. *ſeq.* Isbr. Diemerbr. *l. a. f.* 137. Joh. von Horne *microc.* §. 69. *pag.* 245. *ſeq.* Regnerus de Graaf *l. a. pag.* 241. *ſeq.* Carol. Drelincurt. *Experim. anat. p.* 97. Andr. Laurentius *Anat. f.* 271. Philipp. Verheyen *l. a. p.* 185. qui ſubſtantiam uteri membranaceam & aliquatenus carnoſam eſſe dicit, earumque membranarum differentiam deſcribit. Item Joh. Gothefridus Bergerus *Phyſiol. Lib. II. cap.* 1. *p.* 454. ſubſtantiam uteri fibroſam & muſculoſam nominat. Johannes van Horne ſubſtantiam uteri potiſſimum carnoſam eſſe ait *Microcoſm.* §. 69. *p. m.* 246. Subſtantiam uteri ante impprægnationem ita deſcribit Henricus a Deventer *de Art. Obſtetric. cap.* 4. *p.* 23. feminis non gravidis & virginibus uterus eſt craſſæ admodum & ſolidiſſimæ ſubſtantiæ, compoſitus ex innumerabili multitudine fibratorum vaſculorum, venis ſcilicet, arteriis, nervulis, vaſculisque lymphaticis, interpoſitis particulis muſculoſis, quæ omnia ſcite admodum contexta, commixta & coadunata iſthoc mirabile corpus conſtituunt. Carolus Drelincurtius *Experiment. anat. de Uter. p.* 97. quærit, an uterus nervoſus ſit unice, idque ad majores venereæ voluptatis illecebras? an vero carneo-nervoſus exiſtat, quo fœtum & arctius amplexetur & validius enitatur? Subſtantiam poroſam utero tribuit Johannes

Boh-

Bohnius *Circul. Anat. Physiol. Progymn.* 1. *p.* 15. quo loco seminis masculini particulas agiliores & actuantes in coitu fœcundo per tales porositates & spongiosam uteri hujusque appendicum quarumvis testiculis continuarum substantiam ad ovula adduci eademque impraegnare scribit. Juxta Joh. Anton. van der Linden *Meletem. Physiol.* §. 48. *p.* 23. uteri corpus utrimque membraneum, medio carneum est. Carni quid simile toto in corpore non reperies. Ita enim dura est, & veluti ex plurimis nerveis membranis compacta; ita simul pumicis instar foraminosa est, ac tubulis innumerabilibus ceu cuniculis pervia. Quae vasa esse quaquaversum perreptantia inflatio docuit. Tales tubuli cerni nequeunt, nisi quando sanguine superfluo implentur & intumescunt, juxta Gothefr. Mœb. *Physiol. cap.* 20. *p.* 534. Georgio Philippo Nentero *Physiol. cap.* 2. §. 54. *p.* 44. est substantia uteri membranacea & carnosa, & constat ex tribus tunicis, communi a peritonæo oriunda, media musculosa & intima nervosa. Anastomosin vasorum uterinorum in gravida post fœtus excisionem annotatam describit Adamus Brendelius *Obs. anat. Decad. II. Obs.* 8. *p.* 26. Gerardus Blasius *Comment. in Vesling. pag.* 97. *seq.* dicit: Carnosae substantiae uterum dicere, nil est, quod inhibet; quod si enim constitutionem ejus consideraverimus, non poterit in toto corpore exhiberi substantia quaedam, ad quam melius reduci queat, quam ad carnem; Est tamen caro sui generis, dura & veluti plurimis nerveis membranis compacta, porosa admodum variisque foraminulis & quasi cavernulis donata, quae tum temporis se maxime videre exhibent, cum superfluo sanguine implentur & dilatantur. De hujus membranae interioris perforatione ita loquitur Gualterus Charleton. *l. a. p.* 27. interior uteri muliebris membrana numerosis pertusa est foraminulis, glutinosum mucosumque fundentibus humorem, quo uterus ipse & vagina perpetuo madent. Compresso quippe utero exstillat in ipsius cavitatem e multis orificiis hujusmodi succus, ovi albumine aliquanto spissior: patentque ista vasorum excretoriorum

ora,

ora, si interior uteri membrana aliquandiu in aqua maceretur. Quare probabile est, dictum humorem, qui ex succi nutritii reliquiis in uteri parenchymate sive substantia stagnantibus constare videtur, per tubulorum membraneorum orificia excerni. De tubulis uteri vesiculoso-lymphaticis aliisque membranarum ductibus & partibus in utero tam gravidæ, quam virginis, observatis, vid. Raymund. Vieussens *Nov. Vasor. Corp. hum. System. p.* 2. *seq.* 6. *seqq.* Plura de membranis & structura uteri, vid. Gualt. Charlet. *l. a. p.* 19. 20. *seq.* Christ. Henr. Erndel. *Itinerar. p.* 80. Joh. Vesling *l. a. p.* 97. Joh. Riolan. *Anthrop. Lib. II. cap.* 35. *fol.* 199. Regn. de Graaf *l. a. p.* 242. Jean Palfyn *l. a. p.* 59. *seq.* 74. *seq.* Berger. *l. a. p.* 454. *seq.* Joh. Guglielm. Paul. *Annot. in Joh. Horn. Microcosm.* §. 69. *p.* 248. Andr. Vesal. *Anat. Lib. V. cap.* 15. *f.* 408. *seq.* Job. a Meekren *Observat. Med. Chir.* 54. *p.* 242. *seq.* Petr. Dionis *l. a. p.* 222. An glandulæ in utero reperiantur, alii autores negant, vid. Frid. Ruysch *Thes. anat. II. p.* 56. El. Camerar. *dissert. Epist.* 9. *p.* 129. alii affirmant, v. Joh. Jacob. Harder. *Apiar. Obs.* 8. *Schol. p.* 18. *M. N. C. Dec. III. An.* 5. & 6. *Obs.* 93. *p.* 181.

§. 6.

In genere dividitur uterus ab anatomicis in fundum, cervicem, vaginam & pudendum sive sinum pudoris; quia vero de his ultimis jam hactenus egimus, de utero proprie sic dicto adhuc restant cervix & fundus, vel juxta alios anatomicos fundus, cervix & os seu osculum vel orificium uteri; A nonnullis scilicet autoribus uterus in duas partes, scilicet in os & fundum, dividi solet, v. Nath. Highmor. *l. a. fol.* 98. Philippus Verheyenus uterum in partem superiorem & inferiorem dividit; superiorem & latiorem vocat fundum, inferiorem vero nominat cervicem seu collum, & quidem breve, ad differentiam colli longi, quod proprie uteri vagina dicitur. Ab aliis autem dividitur uterus in os, cervicem & fundum, vid. Anton. van der Linden *Melet. Physiolog.* §. 48. *p.* 23. Quia vero orificium uteri, internum alias dictum, in collo seu cervice situm suum habet, nullius mo- *Divisio.*

menti est hæc differentia. Per os vel orificium uteri Henricus a Deventer nunquam orificium vaginæ, sed ipsius uteri, aliis internum intelligit *v. Art. Obstetr. cap.* 13. *p.* 52.

§. 7.

Collum & orificium uteri. Est autem orificium uteri interius foramen oblongum, quando connivet, secundum verba Nathan. Highmori *Anatom. fol.* 98. tincæ piscis os exacte referens, ex infima uteri sede protuberans; Penis glandem refert, sed paulo obtusius terminatur, in medio perforatum. Collum & orificium uteri ita describit Jean Palfyn *l. a. p.* 55. *seq.* Le col est cette partie etroite, ou l'aboutissement du corps de la matrice situë au fond du vagina, qui ressemble au museau d'un petit chien nouveau né, au milieu du quel on voit un orifice, qui est le commencement d'un conduit fort étroit, qui sert à donner entrée a ce qui doit étre expulsé. Il est appellé orifice interne, cet orifice est ordinairement fendu en travers. Il est assez petit aux femmes, qui n'ont pas encore eu des enfans, mais celles, qui en ont eu, l'ont plus gros & d'une figure ronde, un peu inégale. Il est toûjours fermé, si ce n'est pour donner passage à la semence de l'homme dans le coït, selon le sentiment de plusieurs, & pour donner issuë aux menstrues, comme aussi pour l'expulsion des faux germes, & des corps étrangers, qui peuvent s'y engendrer. Idem confirmat Henricus van Sanden *Observ. de Prolaps. Uter.* §. 2. *p.* 15. in virginibus, inquiens, nisi menses fluant, tantum stylum admittit cervix uteri tenuiorem; in gravidis vero appropinquante pariendi tempore magis magisque hiat. Juxta Johann. Vesling. *Syntagm. anat. cap.* 7. *p.* 102. est uteri orificium perexiguum, latiusculum in virginibus & feminis, quæ prolem enixæ nondum fuerunt, in aliis rotundius. Et secundum Isbr. de Diemerbr. *l. a. fol.* 146. orificium hoc in virginibus angustum & æquale, in iis vero, quæ aliquoties pepererunt, majus & quasi duobus labiis subduriusculis, veluti carunculis nonnihil tumimidis, præditum, quæ labia in virginibus vix, aut non inveniuntur.

tur. Vopiscus Fortunatus Plempius *Fundam. Medic. Lib.* 2. *cap.* 9. *fol.* 139. scribit: Os internum uteri est foramen inter cervicem & fundum uteri situm: nam in uterum non est tam patulus ingressus, sicut in cervicem, sed ad cervicis finem intus corpus quoddam occurrit, referens glandem obtusam, perforatam transversa linea; quod tamen foramen si plane diducatur, rotundum fit. Petro Dionis *Anat. p.* 243. internum uteri orificium foramen est illi simile, quod in penis virilis extremitate occurrit; initium est admodum angusti meatus, qui dehiscit ad introitum præbendum iis, quæ in uterum intromitti debent, aut ad transitum permittendum iis, quæ hic emittenda sunt. Hæc pars rictum catuli canini, vel tincæ piscis optime refert. Admodum densum est hoc orificium, quoniam membranis sinuatis & corrugatis constat, quæ valde dilatari & expandi possunt. Et Johannes Antonides van der Linden *l. a. p.* 24. inquit: Cervix uteri est ea pars, quæ, ut ex fundo angustato constituitur, sic intra sinum muliebrem tota dependet. Os vero est, quod cervicis imo appositum sinui pudoris ex adverso est; inque congressu virile caput suis amplexum labris velut osculatur. Hoc mirum in modum explicare se & complicare potest.

§. 8.

Quamvis autem hoc foramen seu orificium in virginibus & ante partum satis sit angustum, coitus tamen fœcundi tempore in conceptione, secundum plurimorum autorum sententiam, illud pro assumendo semine virili se aperit, posteaque ita arcte se claudit, ut ne stilum quidem admittat; atque in hoc statu graviditatis per totum gestationis tempus usque ad partum fere permanet; hujus autem termino appropinquante per albidum quendam viscidumque, ex porosa ipsius uteri membrana interiori vel etiam ex pressa colli seu orificii substantia exstillantem humorem irrigatur, sensimque ad dilatationem emollitur, ut in partu denique pro fœtus ejusque secundinarum egressu sufficienter dehiscat ac pateat. Hinc etiam obstetrices appropinquante partus tempore ex ejusdem orificii apertura in gravi-

Clauditur & laxatur orificium.

dis instantis partus signum petere solent; siquidem ubi fœtus in statu naturali & capite inclinato egressum molitur, primum hoc orificium ita dilatatur, ut obstetrices per ejusdem minorem vel majorem aperturam, quam ipsæ vulgo coronam appellant, per tactum capitis infantis, tam de ipsius vita, quam etiam de propinquiori & instanti, aut remotiori partu judicare possint. In ipso autem partu dictum orificium ita expanditur atque dilatatur, ut non solum fœtus, tam in situ naturali, ambobus humeris, quam in præternaturali per illud excludi queat, sed etiam statim post partum fere totum dispareat atque obliteretur, nullumque ejus vestigium appareat, sed potius uterus ejusque orificium sacci instar & ejusdem amplitudinis conspiciantur. Quæ tamen orificii expansio paulo post partum se iterum adeo contrahit, ut paucos intra dies ad pristinam fere coarctationem redeat. An vero in coitu fœcundo & conceptione semper hoc orificium aperiatur, semenque viri materiale in uteri cavitatem recipiat absorbeatve, res adhuc dubia videtur, de qua alibi de conceptione agendum erit.

§. 9.

Autoritas. Hanc sententiam de orificii constrictione & laxatione confirmant sequentes & alii autores. Inquit enim Petrus Dionis *l. a. p.* 243. quamvis hiatus iste admodum angustus videatur, sufficienter tamen aperitur ad liberum transitum infanti permittendum; quod absque labore fieri non puto, cum hæc pars omnium maxime partum remoretur paulatim tantum dehiscendo infantis conatibus, quibus & dilatando allaborat. Quando chirurgi obstetricantes hoc orificium contrectant, hoc infantis caput instar coronæ cingere deprehendunt, hinc est, quod tunc coronaminis nomen obtineat: Sed postquam exiit fœtus, evanescit hoc orificium, totusque uterus nihil amplius est, quam ingens cavitas ab introitu colli usque ad ejus fundum, quod diu non perseverat; illico enim post partim contrahuntur hæ partes, quasi vacua crumena, nativumque suum statum resumunt.

Inter-

Internum orificium ad ſemen momento ejaculationis excipiendum dehiſcit; poſtquam hoc excepit tam arcte deinde iterum occluditur, ut ne minimulum ſpecillum in id penetrare queat. In hoc ſtatu permanet usque ad poſteriores graviditatis menſes, quo tempore humore quodam viſcoſo & albugineo imbuitur, qui ex internis uteri poroſitatibus tranſudando per hoc orificium emanat; quod huic emolliendo ac humectando inſervit, ut eo facilius ad fœtus emiſſionem expandatur. Interim orificii actio mere naturalis eſt, quandoquidem neceſſario agit, nec a nobis pendet illud ad aliter agendum cogere; cum contra, ſi motus ille ſpontaneus eſſet, mulieres reperiri poſſent, quæ illud ad motus, ſolitis prorſus oppoſitos, quandoque adigerent. Hæc Dionis. Juxta Johannem Veslingium *l. a. p.* 102. orificium ad ſemen ſuſcipiendum hiſcere, eodemque jam concepto exactius claudi, rurſum autem ad fœtus excluſionem, ſtupendum in modum paulatim ampliari diducique neceſſum eſt. Et ſecundum Vopiſc. Fortunat. Plemp. *l. a.* os uteri internum tempore conceptionis valde conſtringitur: tempore coitus dilatatur, penemque, ſi is longus ſatis ſit, amplectitur ſuo morſu: in partu adeo extenditur, ut fœtui egreſſum det; quod vere admirandum eſt, oſculum adeo exiguum, ut alias ne digitum quidem admittat, usque eo expandi, ut fœtui tam vaſto & grandi tranſitum præbeat. Vel juxta verba Isbrandi de Diemerbroc *Anat. Lib. I. cap.* 26. *fol.* 146. poſt ſuſceptum ſemen hoc orificium tam exacte clauditur, & lento, viſcoſo ac flaveſcente humore ſeu muco tam exacte obſignatur, ut, referente Galeno, ne ſpecilli quidem aciem admittat, nec ante partum (niſi forte per libidinoſum coitum admodum ferventem, ex quo nonnunquam ſuperfœtatio contingit) reſeratur. Tempore vero partus ſtupendum in modum, ad fœtus excluſionem, inſtar roſæ ſeſe explicantis, dilatatur, tuncque prædicti orificii labia (ut in puerperis mortuis obſervavi) ſesqui digiti craſſitiem adæquant, maxime laxa, lubrica, ſpongiæque in modum rara ac fungoſa ſunt.

Prolixe de hac materia agit Jean Palfyn *l. a. p.* 59. Cet orifice, inquiens, s'ouvre si extraordinairement à l'heure de l'accouchement à que l'enfent passe à travers pour sortir de la matrice; au quel temps cet orifice disparoist, & la matrice semble alors n'avoir qu' une grande cavité, presque egalement large, comme celle d'un sac, depuis son fond jusques à l'entree de son col, ce qui ne dure pas long têms; car immediatement apres l' accouchement ces parties se retrecissent peu à peu, & reprennent leur état naturel. Toute la cavité de ce col est ridée, inegale & percée de plusieurs petits trous, qui donnent jour à une matiere visqueuse, des que l' on presse toute la masse. Cette liqueur peut servir pour chatoüiller cette partie, en l'humectant plus qu' àl' ordinaire. Cest dans ces rides ou inégalitez qu'on a observe souvent de ces petites boules blanches, ou de ces petites vessies rondes, remplies d' une liqueur tres-claire, que les medecins appellent hydatides. Ce col de la matrice est fort-epais, parce qu'il est composé de membranes froncées & ridées, qui peuvent se dilater & s' etendre beaucoup. Les deux ou trois dernieres semaines de la grossesse l' orifice de ce col est arrosé & imbu d'une humeur glaireuse & viscide, afin qu'il puisse se relâcher davantage, & ainsi se dilater, s'entrouvrir sans violence, & enfin donner un plus libre passage au fœtus à sa sortie. Quand la femme n'est pas grosse, il est un peu plus longuet, & d'une substance un peu dure & ressevée; mais dans temps de la grossesse il s'amollit & grossit peu à peu, jusques au sixieme mois, ou environ. Apres cela il s'accourcit ordinairement & son epaisseur commence à diminuer à proportion de la distention de la matrice; desorte que dans le dernier mois de la grossesse ce col paroit presque tout applaui, & comme confus avec le globe de la matrice, & non pas allongé, ainsi qu'il étoit quand la femme n'étoit pas grosse. L'action, par la quelle l'orifice interne dela matrice s'ouvre & se ferme, suivant les differentes necessitez est entierement involuntaire, ce

qui à été fait fort à propos; car si le mouvement de cet orifice dependoit de la volonté des femmes, il y en a beaucoup, qui par ce moyen s'empecheroient de concevoir, en usant du coït, & plusieurs seroient assez mechantes pour expulser & rejetter, quand elles voudroient, ce qu'elles auroient conçu, afin de s'exempter des incommoditez de la grossesse, & d'être toujours en état de satisfaire avec volupté au desir insatiable de cette partie.

§. 10.

Dicta autem obstetricum de instante partus tempore, per orificii interni aperturam seu coronationem facta exploratio in memoriam revocat observationem, quam in annotationibus ad hypotheses Gofeyanas de generatione fœtus *p.* 62. recenset Daniel Hoffmannus: Gallus scilicet quidam nomine Gofey statuit, matricem in cohabitatione se non aperire, quod beneficio tactus innotesceret; statim enim post emissionem materiæ seminalis, si intromittatur digitus, orificium uteri internum firmiter clausum deprehenderetur, adeo ut illud nunquam fuisse apertum haud immerito videatur; imo pro confirmanda sua sententia sequentem observationem refert: Anno 1706. mense Junio, mulier quædam annorum circiter triginta, primo infante gravida, cum ultimum jam gestationis terminum se attigisse crederet, ex me quærebat, annon partui esset proxima, quo facto digitis partes illas exploravi, inveniq; non sine admiratione, illam per octo jam menses gravidam nullum habere orificium uteri internum, omniaque circa illas partes esse occlusa, nullum digito patere aditum: Præterlapso mense partu puellam enixa est dicta femina, præcedente hæmorrhagia satis copiosa ac violenta. Hæc tamen Gofeyana experientia allegato Danieli Hoffmanno *l. a. p.* 64. videtur plane fallax nec tentanda sine impudentia, nec intentum probat: potuit enim patere orificium, & suis iterum fibris constringi, ac si nunquam fuisset apertum. Et *p.* 62. ad observationem his verbis respondet:

An orificium in coitu aperiatur?

det: Credo equidem digito non patuisse orificium uteri, nec tangi ac dignosci accurate potuisse; nullum vero orificium uteri adfuisse, hinc quidem nondum sequi arbitror; peperit mulier illa elapso mense, dubio procul per orificium illud jam apertum transeunte fœtu; si dicas, ruptum fuisse uterum, nec adfuisse orificium, teste digito tangente, regerendum erit, digitum non fuisse satis oculatum judicem, nec exceptione omni majorem, cum nullus hic duriori tactui locus fuerit, nec ita impune rumpi uterum; nec deesse statim orificium illud internum, ubi non illico tangatut, vel apertum appareat.

§. II.

Orificii occlusio. Annon autem quandoque hoc uteri orificium ita occludatur, ut sperma virile uterum ingredi nequeat, non dubitamus, teste experientia autorum alibi de atretis adducenda; hoc loco saltem sufficiant verba Johannis Wieri *Obs. Lib.* 1. *p.* 953. ubi inquit: Quibusdam obsepta est pudendi pars anterior sublimiorque: aliis media: nonnullis os uteri profundius: fitque id vel membrana nervosa, crassa, dura, vel innata carne pauca vel multa. Differentia vero vel oculi inspectione ex membranæ candore, & carnis rubore, quemadmodum & indicis digiti extremitate ex renitentiæ modo dijudicatur, potissimum partibus his speculo incurvo ad trianguli formam adornato, artficiose dilatatis, quandoque etiam anhelitu fortiter retento. Quo autem totam orificii interni clausuram etiam exemplis probemus, videri potest observatio Matthæi Harderi de anatome feminæ ex suppessione lochiorum stupendo abdominis tumore defunctæ, in qua præter alia orificium uteri interius plane cartilagineum ac firmissime coalitum annotavit. vid. *M. N. C. Dec. III. An.* 5. *&* 6. *Obs.* 93. *p.* 181. Huc pertinet etiam observatio D. Pauli *in Histor. Morbor. Vratislav. Ann.* 1702. *p.* 210. his verbis ab ipso communicata: In duabus infœcundis mulieribus, citra ullum delectationis sensum, juxta propriam ipsarum confessionem, congressum patientibus, manus

meæ

meæ examini commissis, internum uteri orificium coalitum defectumque rugarum in collo deprehendi. In femina hydrope uteri extincta orificium uteri in solidum ligamentum impervium degenerarat teste Philippo Jacobo Hartmanno *M. N. C. Dec. II. An.* 5. *Obs.* 67. *pag.* 143. De femina Pragensi, quæ integrum sexennium ventrem tumidum gessit instar prægnantis, uterumque exiguum & arctum, & orificium proprium arctissimum & durum habuit, v. Theoph. Bonet. *Sepulchr. Lib. III. Sect.* 21. *Obs.* 55. *fol.* 1134. Orificii occlusi exemplum etiam mihi ipsi ante viginti annos in vetula quadam veneficii suspecta & accusata, vulgo die Spreewaldische Margretha dicta, hicque loci ob facinora maxime nota, demumque in carcere defuncta, observare licuit; in ejus enim sectione inter alia uteri orificium internum admodum durum adeoque angustum vel potius obstructum deprehendi, ut subtilissimum stilum absque nova perforatione intrudere non potuerim. Huc etiam pertinet orificium uteri a scirrho obstructum, cujus meminit Guilhelmus Fabricius, Hildanus *Obs. chir. Cent.* 1. *Obs.* 65. *Oper. fol.* 51. scilicet in sexagenaria matrona, quæ binis nuptiis sterilis fuerat, invenit scirrhum circa orificium fundi uteri, qui instar annuli collum matricis circumdabat, adeoque uterum claudebat, ut styli acies vix immitti posset: unde nil mirum, quod in coitu sperma a matricis ingressu perpetuo arceretur. Et *Obs.* 66. similem casum refert: Honesta scilicet matrona in primo puerperio inflammatione uteri laboraverat, curata tandem sterilis mansit. Quum autem postea morbo acuto extincta esset, in cervice ante orificium fundi uteri, scirrhus magnitudine ovi anserini, ipsi adeo adhærens, ut unum videretur corpus, nec ullo modo ab ea divelli potuerit, a Fabricio fuit inventus. Post partum difficilem mulieri cervix uteri spississima ac veluti cartilaginosa inventa & transversi digiti crassitie coaluerat, uti ex Platero refert Thomas Bartholinus *de insolit. part. viis cap.* 3. *p.* 20. Sterilitatem sequi, si hoc orificium invertatur, induretur, exulce-

Ff retur,

retur, vel cicatrice obducatur, vel humidum nimis fiat, ſcribit etiam Nathanael Highmorus *Anat. fol.* 98. vid. etiam Regn. de Graaf *l. a. p.* 237. Quamvis etiam dictum uteri orificium non penitus occluſum, ſed tantummodo nimis anguſtum ſit, ad minimum inde partus in gravidis retardari atque difficilis reddi poteſt, uti Johannes de Muralto *M. N. C. Dec. II. An.* 2. *Obſ.* 94. *p.* 229. de femina triginta annorum refert, hæc nimirum primipara a quinque diebus partus dolores ingentes ſuſtinuit, capite infantis ad oſculum uteri usque provoluto, quod tamen nullo molimine edi potuerat. Vocatus Muraltus matricis tendinoſum cingulum ſeu oſculum vertici infantis apte & arcte adplicatum, perunctis locis pollice circumcirca dilatavit & ſenſim deduxit, medicamenta fœtum pellentia matri porrexit, quo tandem puer natus debilis.

§. 12.

Fundus uteri. His de uteri cervice, ſeu collo ejusque orificio, præmiſſis, ad ipſius fundum progredimur, quod uteri major & ſuprema pars eſt, cavitatem habens unicam parvam & oblongam, in puellis & virginibus fabæ circiter vel amygdalæ mediocris capacem; imo juxta Henric. a Deventer *Art. Obſtetric. cap.* 4. *p.* *Cavitas.* 23. *ſeq.* hæc cavitas interna minima eſt, imo tam exigua, ut, ſi uterum nulla prius extenſione facta diſſeces, cavitas inſtar rimæ ſaltem appareat, ſuperiore parte inferiori impoſita ſine intervallo, ut vix comprehendi poſſit, qui ſemen virile eo penetret, niſi tempore concubitus dilatetur ſenſu & delectatione, qua feminæ tum præcipue gaudent, quæ forſan inſervit conceptioni, ſicuti poſtea partui dolores inſerviunt. Econtra vero in libidinoſis, viro fruentibus coitumque ſæpius celebrantibus, item menſtruatis & parientibus procul dubio, & quidem ab orgasmo venereo vel affluxu humorum & ſpirituum & ab ipſo partu hæc cavitas grandior ſeu laxior, atque in non prægnantibus muco quodam, a membranæ uteri internæ, (de qua ſupra diximus) poris ſeu foraminulis transſudante oblita obſervatur

vatur. Hæc tam angusta cavitas, fœtus in utero ex ovulo formandi, demumque partus tempore excludendi, domicilium, succesſive in tam amplum dilatatur spatium, ut non solum unus, sed plures interdum fœtus, per novimestre spatium indies majus incrementum sumentes, cum secundinis suis tempore legitimo per dictum orificium excludendi, in eadem morari possint. Imo in statu etiam præternaturali quandoque cavitas hæc nimis angusta deprehenditur; teste enim Matthæo Hardero in textoris cujusdam Gallensis uxore, triginta duorum circiter annorum, sex liberorum matre, & ex suppresſione lochiorum stupendo abdominis tumore defuncta, inter alia cavitas uteri vix pisum capiebat. vid. *M. N. C. Dec. III. An.* 5. *&* 6. *Obs.* 93. *p.* 181. Et in utero steatomatis instar in unam massam coalito nulla cavitas apparuit teste Joh. Tackio. v. *M. N. C. Dec. III. An.* 7. *&* 8. *Obs.* 152. *p.* 274. De utero cavitate carente v. *M. N. C. D.* 1. *An.* 6. *&* 7. *Obs.* 73. *p.* 102. Porro in hac fundi cavitate veteres certas cellulas, imprimis septem, reperiri statuebant, cui tamen fabulæ non immerito recentiores ex avtopsia contradicunt, econtra vero eandem cavitatem in medio secundum longitudinem linea quadam veluti sutura, in dextram & sinistram partem dividi asserunt, vid. Vopisc. Fort. Plemp. *l. a. fol.* 139. Jean Palfyn *l. a. fol.* 59. Joh. van Horne *Microcosm.* §. 69. *p.* 246. Isbr. de Diemerbr. *Anat. Lib.* 1. *cap.* 26. *fol.* 146. Quam tamen lineam secundum uteri longitudinem excurrentem negat Regnerus de Graaf *l. a. p.* 234. nisi substantiam fundi secundum longitudinem dissecando lineam illam efformaverint. Denique in uteri fundo tria notantur foramina in ejusdem cavitatem patentia, quorum majus est orificium uteri internum; de quo plura hactenus recensuimus; reliqua duo minora circa latera ipsius fundi, quibus annexæ sunt tubæ, Fallopianæ dictæ; per hæc foramina post conceptionem ovula impraegnata atque a dictis tubis ex ovariis excepta ad uteri cavitatem deducuntur seu trajiciuntur.

§. 13.

Figura. Restant porro adhuc alia circa uterum observanda, nimirum de ipsius figura ita scribit Petrus Dionis *Anat.* 229. uterus est rotundus & oblongus, nam ex latiore basi, quæ ejus fundum est, paulatim in acumen desinit, quo fit, ut medicæ cucurbitulæ, vel pyro similis sit, si vero collum ejus ei adjungatur, inversæ lagenæ figuram habet; non est exacte rotundus, sed antica & postica parte tantillum depressus. Si una cum collo & sinu pudoris uterus expendatur, secundum Johann. van Horne *Microcosm.* §. 69. *p. m.* 245. optime figura sua refert urinale, seu vas vitreum urinis inspiciendis aptum, quamvis uterus compressus, non, ut illud, rotundus sit. In iis, quæ maturæ viro sunt, pyri quodammodo compressi formam & magnitudinem uterum referre scribit Johannes Munnick *Anatom.* §. 31. *p.* 73. Et juxta verba Henrici à Deventer *l. a. p.* 23. uterus per se consideratus figura externa cuidam pyrorum generi haud absimilis est, infra tamen & supra vesicæ & intestino recto adjacens magis complanatus, ibique lævis & æqualis est, sed ab utroque latere minus æqualis. Secundum Nicol. Venett. *de la Generat. Part.* 1. *Cap. Art.* 4. *p.* 24. à considerer une fiole renversée, l'on a une idée assez juste de la figure de la matrice, si ce n'est qu'elle est un peu applatie, lors que elle est vuide. Attamen non semper uterus ejusdem est figuræ, hinc etiam inquit Jean Palfyn *l. a. p.* 52. on ne sauroit precisement determiner la figure de la matrice. Elle represente ordinairement dans les femmes celle d'une poire; dans les vierges elle est un peu applatie devant & derniere, & dans celles, qui ont enfanté, elle est plus ronde. Dans le temps de la grossesse elle ressemble dans les premiers mois à le vessie de l'urine, & se dilate peu à peu, jusqu'à ce que dans les derniers mois, elle approche de la figure spherique, pourvû qu'on n'y comprenne pas son col, qui ne suit pas la dilatation de son fond, mais conserve toûjours son premier état ou sa figure; non seulement dans les personnes raisonnables,

mais

mais même dans les vaches, dans les brebis & plusieurs autres especes d'animaux. Et Regnerus de Graaf *l. a. cap.* 8. *p.* 233. ita scribit: Figura uteri varia est: alia in gravidis, alia in non gravidis; in his pyri quodammodo figuram repræsentat: male igitur ob depressionem illam cucurbitulæ chirurgorum (utpote cujus fundus rotundus est) eum assimilant; & adhuc magis a veritate aberrant, qui illum rotundum aut quadratum pronunciant. In gravidis vero prioribus mensibus vesicæ urinariæ non absimilis est, pedetentim tamen magis magisq; distenditur, & quidem ita, ut si collum ejus excipias, postremis mensibus ad figuram sphæricam proxime accedat. Collum enim dilatationem uteri non insequitur, at pristinum fere statum usque retinet; idque non in hominibus solum, verum in vaccis, ovibus aliisque animantibus indies evenire conspicimus. Figuram uteri mirabilem in macilenta rustica Haynæ in Franconia post partum difficilem defuncta annotavit atque delineavit Christianus Franciscus Paulini *M. N. C. Dec. II. An.* 5. *App. p.* 68.

§. 14.

Pariter quoque uteri magnitudo non semper eadem est, sed non modo ratione ætatis & staturæ seu proceritatis corporis, sed etiam temperamenti, salacitatis seu libidinis, sterilitatis, graviditatis & partus differt. In recens natis uterum aliquando drachmam, aliquando drachmam unam cum semisse propendisse, annotavit Regnerus de Graaf *l. a. pag.* 238. In vetulis vero & virginibus jam pubescentibus ejusdem fere magnitudinis est, & utplurimum ab uncia una ad sesquiunciam ponderat. In validioribus, & iis, quæ sæpius pepererunt, aut frequentius veneri indulgent, major evadit, rarius tamen duas uncias excedit, nisi in statu præternaturali quandoque observatur. Juxta Guilielm. Harv. *de Generat. animal. de Part. p. m.* 529. varia est uteri constitutio; eaque non modo præternaturalis, sed etiam secundum naturam; tempore nempe fœcunditatis aut sterilitatis. In puellis & effœtis fabæ magnitudine exsanguis est. In virgine

Magnitudo.

Ff 3 nubili,

nubili, pyri magnitudinem & formam refert. In mulieribus fœcundis & ad concipiendum idoneis parvæ cucurbitulæ aut ovi anserini amplitudine conspicitur, simulque cum mammis turgescit, laxatur & carnosior factus incalescit. vid. etiam Gothofr. Mœbii *Physiolog. cap. 20. pag. 539.* Longitudo autem uteri non imprægnati ab extremitate simili usque ad cervicem seu osculum magis ordinaria est circiter trium digitorum; latitudo fundi duorum & semis, & crassities fere duorum. v. Casp. Bauhin. *Theatr. anat. Lib. I. cap. 37. p. 122.* Crassities seu densitas uteri pariter valde diversa est: in virginibus enim est tenuis, sed densior fit in feminis uterum gerentibus; quæ tamen moles post partum iterum decrescit, ita ut intra duas vel tres a partu hebdomadas, per largam vel sufficientem lochiorum expurgationem tanta uteri moles, uti ante partum observatur, ad pristinam magnitudinem redeat. De uteri crassitie ita scribit Galenus *de dissect. Uter. seu vulvæ cap. 8. fol. m. 114.* Tunicæ vulvæ non semper eandem crassitudinem servant, sed prima ætate sicut parvæ, ita etiam tenues sunt: postea vero profluentibus jam menstruis, pro magnitudinis ratione crassitudinem etiam augent: quemadmodum minuitur tam magnitudo, quam crassitudo, cum mulier vel concipiendi tempus excessit, vel menses non amplius emittit. Atque hæc quantum ad ætates spectat, differentia est. Cum menstruorum purgatio instat, crassa plane vulva ac tumens apparet, utpote sanguinis humiditate irrigata; tenuis contra atque arida, cum ab hoc expurgationis tempore longissime abest: Ejus, quæ jam uterum gessit, crassior, crassissima ejus, cui sæpissime id contingit. Et Avicenna *Lib. 3. Fen. 21. Tr. 1. cap. 1. fol. m. 389.* inquit: Matrix ingrossatur & inspissatur, quasi ipsa impinguetur: & illud est in hora menstruorum. Deinde, cum purgatur, extenuatur & exsiccatur. vid. etiam Andr. Vesal. *de Corp. hum. Fabric. Lib. 5. cap. 15. fol. m. 411. seqq.* Juxta Thom. Bartholin. *Anat. Lib. 1. cap. 28. p. 261.* Crassities uteri variat: nam in virginibus tenuis est substantia, in adultioribus crassior; & quo sæpius

Longitudo.

Crassities.

sæpius mulier uterum gessit, eo crassior est uteri substantia. Mensibus fluentibus crassescit uterus; & quando instat mensium excretio, tumida & crassa apparet uteri substantia. Uterus secundum Gualter. Charleton. *de Catamen. cap.* 3. *p.* 18. statim ab exclusio fœtu cum secundis, sese sensim recolligit, cervicem arctat atque interiora versus in locum pristinum se retrahit: partimque per diaphoresin insensibiliter minuitur, partim in lochia solvitur; dum interim partes omnes vicinæ, ossa, venter totaque regio hypogastrica simul constringuntur & firmantur. In specie admodum densus est uterus prope orificium suum internum, quod est regio illius angustissima, hinc fit, ut extendi & dilatari valeat, quantum necesse est ad fœtus exitum. Variatur etiam uteri densitas, maximeque insignis evadit menstruationis tempore, quoniam sanguis appulsus, perque totam ejusdem substantiam diffusus, illum tumidum reddit; cessante autem motu sanguinis atque influxu extraordinario uteri crassities iterum minuitur. Uteri dissecti substantiam in anteriori parte transversi pollicis, in lateribus ac posteriori parte, versus lumbos, duodecim transversos digitos adæquantem observavit Regnerus de Graaf *vid. l. a. p.* 250. Talis uteri crassities etiam ex impedito lochiorum fluxu oritur, uti Matthias Harderus in modo allegata feminæ ex suppressione lochiorum defunctæ sectione annotavit *M. N. C. Dec. III. An.* 5. *&* 6. *Obs.* 93. *pag.* 181. in illa enim crassitie tres digitos superabat. De substantia uteri in statu præternaturali quatuor digitos transversos crassa, vid. Jean Palfyn *l. a. p.* 79. *seq.* Econtra vero in femina quadam, quæ gravidam se esse dicebat, sed falso, cum, punctura cultello prope lumbos facta, prodiret aqua purulenta, atque in tantum fœtida, ut nemo adstantium fœtorem perferre posset, uterus in loco suo naturali situs vix nucem juglandem magnitudine æquavit, juxta Joh. Rudolph. Salzmann. *Observat. anat. p.* 31. 33. Et principissæ cujusdam, quæ ob arctitudinem uteri a prægresso matrimonio solvebatur, meminit Thuanus *Libr.* 104. *edit. German. Tom. II. fol. m.* 1118. *parvus.*

§. 15. Præ-

§. 15.

Uterus p. n. magnus. Præter naturam uterus quandoque in immensam magnitudinem expanditur, uti de puella ex Baugrandii chirurgi jurati communicatione refert Nicolaus Blegny *Zodiac. Med. Gallic. An. II. Mens. Jul. Obs. 5. p.* 144. Dictus scilicet chirurgus aperiendo cadaver puellæ jubente & coram magistratu, deprehendit uterum adeo expansum, ut fere universam abdominis capacitatem impleret, unde tam valide compressæ sunt partes vicinæ, ut in angustissimum spatium coactæ essent: Uterus dictus omnino infarctus erat materia quadam rubicunda, carni minutim dissectæ non absimili, quæ maligna qualitate propriam partis substantiam absumpserat, adeo ut quibusdam in locis ad chartæ tenuitatem accederet, etsi nondum effluxisset annus integer ab initio morbi. In feminæ, quæ mortua fuit reperta, aperto abdomine apparebant intestina mirum in modum inflata. In ventriculo prope pylorum nonnulla rubicunda sanguine suffusa stigmata notabantur. Uterus præsertim ultra modum erat expansus continens atro-rubentem sanguinem muco tincto immixtum. vid. Act. Berolin. *Vol. IV. pag. 91. seq.* In vidua quinquaginta circiter annorum repertus uterus ad libras octoginta & septem mercatorias ponderans, referente Guihelmo Fabricio, Hild. *Obs. Chir. Cent. V. Obs.* 49. *fol.* 436. De feminæ decima quinta vice utero gerentis utero, in consuetam molem excreto, tamque ponderoso, ut solitaria manu elevari nequiverit, in Act. medic. Berolin. *Vol. VIII. Obs.* 7. *p.* 84. *seq.* observationem a Chudenio annotatam legere licet. Uterum naturali triplo aut quadruplo majorem, externa fronte callosum, gibbosum, variisque diversæ magnitudinis & figuræ protuberantiis spectabilem in virgine sexaginta quinque annos nata, observavit Sylvius Samuel Anhorn *M. N. C. Dec. II. An.* 6. *Obs.* 34. *p.* 291. Uteri incrementum enorme annotavit Gerardus Blasius *Obs. med. Part.* 1. *Obs.* 7. *p.* 12. in cadavere virginis septuaginta annorum; totus scilicet uterus pinguedinem quasi cartilagineam referebat, naturali

rali

rali figura destitutus, imo & magnitudine, librarum octodecim erat. Huic virgini anno ætatis nono fluxus menstrualis supervenit atque ad quinquaginta annos duravit, unde etiam causam autor hic incrementi dicti sanguinis copiam constituit. Uxor rustici cujusdam ex tecto horrei in vomerem incidens pudenda læsit, sic ut ipsa vomeris acies in uteri substantiam impacta fuerit; unde uterus capitis puerilis magnitudine intumescens extra corpus prolapsus est. Teste Johanne Baptista a Lamzweerde *Append. ad Joh. Scultet. Armament. Obs.* 71. *p.* 270. Admirandam uteri vastissimi molem, orbicularem, quoquoversum expansam ponderis triginta septem librarum Parisiensium, varia in se continentem, in illustrissima quadam matrona observavit Franciscus Rossetus, *vid. ejusd. Tract. de Exsect. Fœtus Append. p.* 209. *seqq. Et sect.* 5. *cap.* 4. *p.* 115. refert, se in mulieris uteri substantia carnosa collectionem adeo admirabilem tam humorum quam carnosarum excrescentiarum, membranarum, tendonum, officulorum &c. vidisse, ut pondus omnium esset librarum quadraginta. In propria uxore non gravida Maximilianus Preussius uterum instar summum gravidæ per totum abdomen extensum, omnibusque fere integumentis & visceribus ventris inferioris firmissime adnatum seu accretum deprehendebat, cujus totum, tum superficiem, tum substantiam, duos pollices undique crassam, tum cavitatem quoque satis capacem, innumerabiles ubique fere perreptabant replebantque cystides magnitudine ovorum columbinorum & gallinaceorum, quarum aliæ repræsentabant steatomata, sebaceo-cartilaginea materia repleta, aliæ vero sacculos lympha pellucidissima plenos. vid. *M. N. C. Dec. III. An.* 5. *&* 6. *p.* 536. Uterum raræ excrescentiæ & sexaginta librarum in virgine annotavit Johannes Theodorus Mœren *ibid. An.* 7. *&* 8. *Obs.* 100. *p.* 167. *seq.* In femina anno ætatis suæ quinquagesimo defuncta uterum ad minimum quadraginta libras pendentem se observasse scribit Regnerus de Graaf *de mul. organ. cap.* 8. *oper. pag.* 238. *seq.* Viduæ cujusdam venter, ut in

prægnante, intumuit, cujus exemptus uterus ad libras octoginta sex ponderavit, vid. Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. III. Sect.* 13. *fol.* 889. ex Guil. Fabric. Hild. *Oper. Cent. V. Obs.* 49. *f. m.* 436.

§. 16.

An uterus gravidarum incrassetur?

Circa hanc uteri magnitudinem atque crassitiem occurrit etiam quæstio de utero gravidarum atque puerperarum, scilicet per aliquot fere secula inter se certarunt anatomici, an uterus post impragnationem ob fœtus incrementum tantummodo indies extendatur, atque instar aliarum membranarum attenuetur? an vero ipsius substantia, juxta quorundam sententiam, præter dilatationem simul incrassetur? de qua materia diversæ autorum opiniones ex ipsorum verbis patent. Et primo quidem, si membranarum, ex quibus maximam partem uterus constare scribitur, naturam consideramus, utique ipsarum substantia per expansionem non crassior, sed tenuior evadit, quid itaque mirum, quod sequentes autores gravidæ mulieris uterum cum extensione successive simul attenuari statuant? Inquit enim Galenus *de Uter. seu Vulv. dissect. cap.* 8. *fol.* 114. Vulva in principio conceptus crassa, cum prope tempus pariendi accedit, major quidem sed tenuis evadit: crassitudo enim in longitudinem extensa absumitur: in reliquo intercedente tempore pro ratione magnitudinis crassitudinem habet. Et *de Usu Part. Lib.* 14. *cap. ult. fol. m.* 291. scribit idem, tenuissimæ omnino matrices sunt, quo tempore gerunt, nempe quod profunditas in longitudinem sit absumpta, eoque imbecillima. Juxta Avicenn. *Lib. III. Fen.* 21. *Tr.* 1. *Cap.* 1. *fol. m.* 389. attenuatur matrix cum magnitudine embryonis. Et ejus dilatatio est secundum dilatationem corporis embryonis. Aetius *tetrabibl.* 4. *serm.* 4. *cap.* 1. inquit: ubi fœtus adolevit ac pariendi tempus adest, tenuissimus evadit uterus, attenuatur autem veluti vesicæ aqua repletæ solent, crassitudine in latitudinem abeunte. vid. Cornel. Stalp. van der Wiel *Obs. Cent.* 2. *Obs.* 30. *Sch. p.* 317. vid. etiam Theoph. Bonet. *Polyalth. Tom. III. Lib.* 5. *cap.* 26. *fol.* 323. *seq.* Inquit etiam Jean

negant alii

at, tenuari defenditur.

Baptiste

Baptiste Verduc *dans les Operat. de chirurg. cap.36. p.m.*166. la matrice dans les derniers mois de la grossesse a si peu d'epaisseur au de la du placenta, qu'il est tres-facile de l'ouvrir. Et Petrus Dionis *Anatom. Demonstr. IV. p.* 228. *seq.* inquit: Veterum plerique imo & recentiorum quidam retulerunt nobis, uteri membranas naturæ a cæteris prorsus discrepantis esse; quo plus dilatarentur, eo densiores fieri, & partus tempore duorum transversorum digitorum crassitiem eas habere, ob prodigiosam spirituum & sanguinis copiam, qua imbibebantur ejus membranæ, & circa naturæ sapientiam exclamabant, quæ eas tales in bonum finem condidisset, ut nimirum fœtui, dum in utero conclusus maneret, per illos spiritus & per illum sanguinem, omnia auxilia ipsi ad suam formationem necessaria conferret. Sed ausim asserere, pergit Dionis, contra virorum illorum opinionem & autoritatem, uteri membranarum naturas a cæteris non differre, illasque eandem sortem subire, quandoquidem harum densitas minuitur, prout dilatantur; imo & tenuiores sunt posterioribus graviditatis mensibus, quam prioribus. Hanc sententiam quoque fovet Franciscus Mauriceau *de prægnat. & puerperar. Part. genital. descript. anat. cap.* 4. *p. m.* 17. quod scilicet, quo magis uterus in gravida expanditur seu dilatatur, eo quoque tenuior atque subtilior evadat. Ibidemque dictus autor, alios celebres anatomicos v. g. Laurentium, Riolanum atque Bartholinum ea in re deceptos fuisse, admodum miratur, suamque sententiam prolixe defendit, inquiens, quod, quamvis dicti vel alii anatomici post fœtus exclusionem uterum ad digitum unum vel duos crassum deprehenderint, minime tamen uterus, fœtum cum secundinis continens, tantæ ante partum sit crassitiei, sed talis crassitudo potius post fœtus exitum ex contractione hactenus expansi uteri substantiam suam solitam iterum acquirat. Evolvatur etiam Henr. a Devent. *de art. obstetric. cap.* 8. *pag.* 29. *seq.* ubi plures Mauricæi rationes adducit, simul tamen refutat.

§. 17.

Alia opinio. Alii gravidarum uterum equidem in tota peripheria tenuiorem fieri arbitrantur. Excepta illa parte, cui placenta uterina est annexa, a qua substantia uteri crassior evadat. Hujus sententiæ fuit Adrianus Falcoburgius anatomicus Leidensis, scilicet revera tenuiorem fieri uteri substantiam, ut in dissectis gravidis observaverit, sed eam videri crassiorem, quod hepar uterinum illi arctissime connascatur, & hoc pluribus potuisse imponere. v. Th. Bartholin. *Anat. Lib. I. cap.* 28. *p.* 261. Alb. Kyper. *Anthropol. Lib. I. cap.* 9. §. 78. *p.* 145. Et Nicolaus Venette *de la Generat. de l'homm. Part. I. Cap.* 1. *Art.* 4. *p.* 24. ita scribit: lorsque les regles coulent aux filles, ou qu'une femme a conceu, toute la substance de la matrice s'enfle un peu plus qu'auparavant, & a mesure qu'un enfant croist, la matrice devient aussi plus simple & plus menuë dans sa circonferance, mais un peu plus épaisse dans son fonds à cause de l'arriere-fais, qui y est placé, & de l'abondance des vaisseaux, dont la matrice est parsemée en cet endroit la: ce que l'experience de plusieurs dissections m'a souvent fait remarquer.

§. 18.

Utero eandem crassitiem permanere. Alii uterum post impraegnationem ad partum usque dilatari, ipsius autem substantiam in gravidis neque tenuiorem neque crassiorem fieri, sed eandem circa partus tempus crassitiem, qualis in statu naturali atque in non gravidis esse solet, retinere statuunt. Inquit enim Johannes Gothofridus Bergerus *Physiol. med. Lib. II. cap.* 2. *p.* 496. non exigua censenda est copia humorum, qui contrahente se utero ex hujus arteriis & meatibus in venas regrediuntur, & cum per vasa illa compressa movere ea vi amplius nequeant, reliqua corporis vasa replent. Nam uterus gravidus tantam humorum copiam cum in vasis & inde egredientibus tubulis & vaginulis, tum ipsis in fibris suis recipit, ut quamvis sensim cum mole & incremento fœtus dilatetur & extendatur, tamen parum extenuetur, sed unam & eandem prope

cum

cum utero virgineo crasſitiem retineat: Id quod experientia docet, atque adverſus Galenum, Veſalium, Falcoburgium & Franciſcum Mauriceau, cum alii, tum Bohnius & Henricus a Deventer clare oſtenderunt. Juxta Joh. Frid. Ortlob *Hiſtor. Part. Diſſert.* 26. §. 7. *p.* 283. Uterus vix pugni magnitudinem in non gravidis æquans ſecundum proportionem fœtus grandeſcentis augetur & expanditur; id quod inprimis ob fundum liberum facilius evenit. Etenim in imprægnatione ad turgeſcentiam rarefactoriam diſponitur, atque hinc augetur, & abdominis non modo viſcera ſurſum premit, ſed integumenta muſculoſa, & ipſam cutem ejus externam inſigniter dilatat. Interim ab interfluente uteri pelliculas ſanguine ejus crasſities prior adhuc conſervatur, ut in maxima licet mole non extenuetur, ſed ejusdem denſitatis deprehendatur. Quod etiam alii confirmant experientia & autopſia, ſiquidem C. H. E. *Itinerar. Anglic. p. m.* 80. idem ſe in cadavere feminæ inſtante partu mortuæ obſervaſſe ſcribit; Uterus, inquiens, per crucem diſſectus ejusdem apparebat crasſitiei, ac fuit ante imprægnationem, quamvis admittat inſignem illam extenſionem ſphæricam; quod incredibile videri posſit illis, qui non conſiderant, ingentem illam tunicæ uteri mediæ vel vaſculoſæ intumeſcentiam, quæ ſucceſſive cum fœtu accreſcit indies. Et Jean Palfyn *dans la deſcript. des part. des femm. p.* 55. ſcribit: Monſieur Malpighi dans ſa lettre touchant la matrice, dit, que dans une femme groſſe de ſept mois, elle eſt de l'epaiſſeur d'un doigt. (Hæc fere eſt crasſities naturalis.) Dans pluſieurs femmes groſſes de ſept, huit & neuf mois, auquelles j'ay fait la ſection ceſarienne immediatement apres la mort, je l'ay toujours trouvée de l'epaiſſeur d'un travers de doigt. Huc pertinet obſervatio Mauricii Hoffmanni, cui a Johanne Leonicero uterus poſt partum cum ſecundinis relictis puerperæ defunctæ conſpiciendus offerebatur, certisſimo indicio, etſi ſub fœtus geſtatione uteri membranæ extendantur, parietes tamen non fieri teneriores. *vid. Ephemerid. Acad. N. C. Cent. IX. & X.*

App.p. 444. Imo Johannes Bohnius *Circul. anat. physiol. Progymn. III. p.* 43. *seq.* totum & ad tot ſecula extenſum certamen medicum, an nimirum uterus ab increſcentis fœtus mole diſtentus ratione ſuæ ſubſtantiæ aut parietum attenuetur, an potius incraſſetur? facile & ad hunc modum forſan componere licere, ait, ſcilicet quando craſſeſcere in gravidis dicitur uteri ſubſtantia, haud illo ſenſu hoc fit, quaſi hæc, quæ in non prægnante pollici transverſo craſſitie accedit, in geſtante ultra hanc tumeat, utpote quod contra autopſiam, quæ in cunctis, quorum ſecandi copia mihi facta fuit, ſubjectis uterum a fœtu ad partum usque explicatum ratione ſuæ ſubſtantiæ digiti minoris profunditatem vix excedere, hinc utero vacuo longe tenuiorem, præprimis circa fundum monſtravit. Quod ſi vero craſſities hæc cum circumferentia & amplitudine, qua uterus prægnantis ultimis menſibus gaudet, comparetur; illa revera mirum in modum aucta dici debet, i. e. uteri ſubſtantiæ & moli multum acceſſit, quod antea non habebat, ita ut, quæ extra imprægnationem rariſſime unciarum duarum, nunc libræ unius ac alterius pondus multum excedat. Unde veroſimile fit, illos, qui augmentum hoc uteri negarunt, ſine autopſia ſoli rationi, a veſicæ dilatatione petitæ, confiſos fuiſſe, cujus major expanſio majorem extenuationem comitem nanciſcatur: aut uteros maxime exſuccos & per hæmorrhagias exſiccatos tantum ſecuiſſe, quale quid de Caux ſibi adveniſſe perhibet.

§. 19.

Uterum dilatari & incraſſari.

Denique adhuc alii & quidem recentiorum multi gravidarum uterum non modo indies ad partum usque dilatari, ſed etiam ultimis menſibus ratione craſſitiei ſtatum naturalem longe ſuperare defendunt; ex quibus Caſparus Bauhinus *Theatr. anat. Lib.* 1. *cap.* 37. *p.* 123. ita ſcribit: Conceptus tempore uteri ſubſtantia craſſeſcit, mollior redditur, &, ubi concepit, craſſior eſt, & circa tempus partus craſſiſſima, ita ut poſtremis menſibus duorum pene digitorum craſſitudinem, non uno tan-

tantum loco, ſed ubique maxime verſus elatiorem fundi ipſius partem in uteri vaſa coeunt & ſecundinæ adhærent, æquet, cum non ſolum in ampliſſimam circumferentiam extendatur, ſed etiam ſemper craſſior fiat, & ſecundum quamcunque ſui partem a primo conceptu ad partum usque augeatur &c. Andreas Laurentius *Hiſtor. anat. Lib. VII. cap.* 11. *f.* 271. inquit: Prægnantibus non membranea videtur uteri ſubſtantia, ſed tota fere carnoſa, fungoſa, ſpongiæ ſimilis, in multos cortices, fungorum more, facile dividua, ut ſanguinis & ſpirituum copiam pro fœtus alimento & vita contineret. Neque vero (ut medici fere omnes ſentiunt) quantum indies uteri cavitas ad incrementum fœtus in longum, latum & profundum ampliatur, tantum ambarum tunicarum craſſities minuitur & tenuatur: ſed contra dilatatione craſſior evadit, ut poſtremis menſibus duorum pene digitorum crasſitiem æquet. Mirandum, inquit Guilielmus Harvæus *de Part. in Exercitat. de Generat. p. m.* 524. uteri ſubſtantiam pro fœtus incremento non modo indies ampliari ſive diſtendi, ſed craſſeſcere & carnoſiorem ac robuſtiorem fieri. Et *p.* 529. ſcribit, ſe ſtatim a partu uterum magnitudine capiti æqualem, & plus quam digiti majoris latitudine craſſum vaſisque plurimis ſanguine refertum vidiſſe. Juxta Johann. Riolan. *Anthropogr. Lib. VI. cap.* 2. *f.* 364. muliebris uteri ſubſtantia in aliis carnoſa eſt, ſolida & dura, in gravidis ſenſim mollis, fungoſa ſpongioſaque redditur: ita ut in multos cortices quatuor aut quinque cæparum more, dividatur. Hæc ſubſtantia contra naturam aliarum membranarum, quanto magis diſtenditur, tanto magis augetur & craſſeſcit, adeo ut inſtante partu pollicari ſit crasſitie; ſed circa elatiorem fundi partem duorum pæne digitorum crasſitiem æquat. Juxta Joh. Conr. Axtium *de Partu ſeptimeſt. p. m.* 77. eſt uterus ita diſpoſitus a natura, ut, quo grandior fit fœtus, ita amplius ſe extendat, non tamen ideo extenuatur, ſed fit crasſior, rarior tamen inſtar ſpongiæ. De uteri gravidarum incremento ita ſentit Regnerus de Graaf *de Mulier. Organ.*

Organ. cap 8. *p.* 239. aliqui tempore ingravidationis uterum ad tantam molem excrescere statuunt, quatenus ejus membranæ ad fœtus incrementum explicentur, eadem ratione ut vesica urinaria propter urinæ affluentis copiam; adeo ut Galenus, Vesalius & alii credant, uterum, quo magis extenditur, eo magis attenuari; sed ocularis experientia refragatur, & autoritas variorum autorum; nam a primo conceptu usque ad partum totius uteri fundi substantia augetur, quatenus in fœtus gestatione, propter affluentis alimenti copiam, sensim uterus ita dilatatur, ut postremis mensibus pollicem vel (ut quidam volunt) duos digitos transversos æquet; & quod mirum & consideratione dignissimum est, uterus, quo magis dilatatur, eo magis etiam incrassatur ejus substantia, cujus contrarium in vesica, ventriculo ac reliquis corporis partibus contingit. &c. Uterum prodigiose crassum & amplum in femina septem annos gravida simulque hydropica, observatum refert Jean Palfyn *l. a. p.* 79. Paucis a conceptione diebus duplo crassiorem non imprægnato seu non gravido observavit Fridericus Ruysch. v. *Mich. Ettmüll. Op. Vol. I. f. m.* 163. Juxta Johann van Horne *Microcosm.* §. 70. *p.* 253. mulieribus uterus graviditatis tempore pro fœtus incremento valde extenditur, sed interim de crassitie sua nihil remittit, verum quadruplo crassior, attamen fungosior & laxior evadit; &, si transversim secetur, cernuntur multa foramina, ut pumice, imo integri sinus, qui nihil aliud sunt, quam tubuli arteriarum ampliores nunc redditi, ob sanguinem continuo aggestum. vid. etiam Francisc. Plazzon. *de Partib. Generat. Lib.* 2. *cap.* 7. *p.* 126. *seq.* Secundum Thom. Bartholin. *Anat. Lib.* 1. *Cap.* 28. *p.* 261. uterus a primo conceptu usque ad partum augetur secundum omnes dimensiones, & uti amplior, sic crassior paulatim redditur, & mollior, ita ut postremis mensibus duos digitos crassa sit uteri substantia. Adeo tum uterus a membranea substantia abit, & rubra fit, fungosa & spongiosa substantia, moreque pumicis foraminibus pervia, in multos quasi cortices divisibibis: quod

fit

fit ob affluxum ſanguinis & ſpirituum pro fœtu copioſum. Et contra ſententiam eorum, qui illam tantum uteri partem, cui annexa eſt placenta uterina, crasſiorem videri ſtatuunt, dicit idem Bartholinus, Nicolaum Fontanum in utero gravidæ ſeparaſſe hepar uterinum a membrana, atque membranam admodum craſſam inveniſſe. Adeſſe quoque eam crasſitiem ea parte, qua placenta utero non adnaſcitur, Harvejus teſtatur. Recte id quidem, imbibit enim membrana veluti ſpongioſa affluentem uteri humiditatem ſuperfluumque ſanguinem, & crasſiorem ſubſtantiæ conditionem induit &c. Uteri in gravida disrupti corpus duos transverſos digitos craſſum, & hiatu pulchre pomum granatum, ut depingi ſolet, repræſentans, Johannem Caſparum Fausſium obſervaſſe, refert idem Bartholinus *de inſolit. Part. hum. viis cap.* 2. *p. m.* 77. In femina quadam, decima quinta vice utero gerente diſſecti uteri ſubſtantia craſſitiem ſiſtebat ſesquipalmarem, quæ in ſe ſpectata erat carnoſo-vaſculoſa, multisque fibris intertexta. v. Act. Berolinenſ. Med. *Vol. VIII. Obſ.* 8. *p.* 85. Uterum mulieris, quæ a paucis diebus aut horis conceperat, eodem modo conſtitutum, ſicuti poſt coitum prolificum, ſcilicet mole juſto majorem, & ſubſtantia multo craſſiorem ſe inveniſſe ſcribit Fridericus Ruyſchius *Theſ. anat. VI. p.* 4. Idem autor etiam *l. a. p.* 15. in muliere, quæ a marito in adulterio deprehenſa occiſa erat, uterum aliquanto tumidiorem deprehendit, itaque ſuſpicabatur, illam concepiſſe, uteroque aperto invenit, ejus ſubſtantiam craſſiorem. Secundum Isbrand. de Diemerbr. *Anat. Lib. cap.* 27. *p.* 157. increſcente fœtu uteri ſubſtantia paullatim mollis ſpongioſaque redditur, & ſenſim, quanto magis increſcit fœtus, tanto magis ampliatur, uterus craſſeſcit, ac ſimul carnoſior & rotundior evadit, ſicque una cum fœtu increſcit ejus domicilium, ita ut tandem circa elatiorem fundi partem pollicis, imo ſæpe duorum fere digitorum transverſorum craſſitiem acquirat. In noſocomio Argentinenſi aperuit Johannes Rudolphus Salzmannus corpus puerperæ ſtatim poſt puerperium de-

functæ, cujus ſubſtantia uteri admodum craſſa erat, & fere duorum digitorum craſſitiem adæquabat &c. vid. Salzmann. *Obſ. anat. p.* 43. *ſeq.* Ita etiam ſentit Joh. Veslingius *Syntagm. anat. Cap.* 7. *p.* 98. intercedit inter membranas uteri, qua fundum ejus proximumque cervicem ambiunt, carnoſus contextus, qui poſt fœtum conceptum affluentium humorum ubertate ſpongiæ in modum imbutus ſenſimque laxatus, mirabilem in gravidis uteri craſſitiem efficit, & cum maceratis pariter membranis diſtentionem admittit &c. vel juxta verba Isbrandi de Diemerbr. *l. a. f.* 137. inter membranas uteri carnoſus & fibroſus contextus quidam reperitur, qui in mulieribus gravidis ab affluentium humorum nutritiorum ubertate admodum, una cum dictis membranis, increſcit, ita ut, quo magis augetur & increſcit fœtus, eo carnoſior, fibroſior & craſſior evadat uterus, qui poſtremis geſtationis menſibus pollicis & nonnunquam circiter duorum digitorum crasſitiem adæquat. Hæc crasſities non eſt, ex ſolis humoribus in poroſitates uteri ſe inſinuantibus, ut multi exiſtimant, ſed eſt vera & ſatis denſa caro, quæ poſtea muſculorum inſtar inſervit ad fœtus expulſionem: qualem carnoſam uteri ſubſtantiam anno 1653. menſe Novembri in theatro anatomico publice demonſtravi, in cadavere puerperæ, duodecim horis poſt partum mortuæ: & non ita dudum privatim in alia muliere in partu una cum fœtu extincta. Hoc tamen carnoſum incrementum poſt partum, humoribus & ſanguine maxima copia foras effluentibus, denuo emaciatur & exareſcit, atque ſic ad priſtinam formam & magnitudinem uterus redit ac contrahitur. Cauſam, cur mulierum gravidarum uterus non modo ampliorem cavitatem acquirat, ad continendum fœtum; ſed etiam indies crasſior evadat in tubulis uterinis, quærit Gualterus Chaletonus *de Cauſ. Catamenior. cap.* 7. *p. m.* 126. Et Vopiſcus Fortunatus Plempius *Anat. Lib.* 2. *cap.* 9. *fol.* 138. inquit: gravidis uterus in maximam excreſcit molem, quanta nempe continendo fœtui eſt ſatis: & quod præter aliarum membranarum eſt indolem,

dolem, quo magis a fœtu dilatatur, eo incraſſatur magis. Id quod Galenum latuit, primusque prodidit Arantius; poſt quem alii idem obſervarunt. Sed an forſan apparet tantum craſſior, neque eſt revera, quod hepar uterinum ſive placenta ei arcte connaſcatur; & hoc imponat diſſectoribus? Ita exiſtimat Adrianus, Falcoburgius Anatomicus Leidenſis dexterrimus. Non adſentio Philoſophis etiam, juxta Andr. Petermann. *Caſ. med. legal. Dec.* 1. *Caſ.* 10. *p.* 103. notum eſt, uterum in ſpecie humanum, non ſimilem eſſe veſicæ, quæ quo plenior eſt, eo magis ipſius ſubſtantia extenditur atque tenuior evadit, ſed ſubſtantia uteri in gravidis indies craſſior evadit, ſiquidem in ſubſtantia, veteribus dicta ſpongioſa, recentioribus vero glanduloſa, fluida colligitur materia, quæ poſtmodum ſenſim atque ſenſim per pudenda profluit. Talis materia medicis vocatur lochia. Prolixe etiam hanc ſententiam de craſſitudine uteri in prægnantibus peculiari capite defendit, atque Franciſci Mauricæi argumenta in contrarium refutat Henricus a Deventer *de Art. obſtetric. cap.* 8. *p.* 29. *ſeqq.*

§. 20.

Cuinam autem hactenus recenſitarum opinionum ſit adhærendum, cuilibet liberum judicium concedo, id tantum, quid mihi ab aliquot annis obſervare licuerit, paucis recenſurus. Anno ſcilicet 1696. rhedarii cujusdam uxor partui proxima in altero brachio magnum vas aqua plenum, in altero vero filium duorum annorum geſtans per anguſtas ſcalas aſcenſura, ex improviſo in abdomine rupturam cum magno dolore ſentiebat, ſubſequente autem die accerſita obſtetrix, dextram infantis manum extra pudenda emiſſam reperit, quam ipſa fruſtra reponere tentavit, ac irrito ſic omni obſtetricis labore tandem puerpera naturæ tributum ſolvit. Hinc ſtatim ad me advolans obſtetrix cadaveris aperturam expetebat. Qua facta fœtum cum annexis extra uterum & tunicas in abdomine jacentem, brachiumque dextrum per uteri rupturam, verſus vaginam tenden-

Autoris ſententia.

tem, ipſam autem uteri ſubſtantiam ultra pollicem craſſam deprehendebam, licet fœtus & uterus jamjam corruptioni aliquatenus eſſent obnoxii. Et anno 1698. die 19. Sept. cujusdam piſtoris uxor non primipara, per viginti horas ſummis ad partum doloribus cruciata, poſt auditum ab adſtantibus in abdomine crepitum irrito pariendi conatu vix animam efflarat; cum ſtatim ad ſectionem requiſitus puerperæ abdomen inciderem, atque ingratum fœtorem, ex quo uteri ſphacelum atque rupturam judicabam, cum omnibus adſtantibus ſentirem. Aperto dehinc abdomine fœtus nudus in abdomine hærebat, & ita quidem, ut dorſum ipſius & pedes oculos noſtros ſtatim incurrerent, caput vero verſus uteri rupturam circa inteſtinum vergeret. Talis autem rupturæ ad ſpithamam longæ, item alius in parte ſuperiori a me diſſecti vulneris, labia duorum digitorum crasſitiem longe ſuperabant. Id quod etiam poſtmodum in alia femina, partui proxima & veneri propinati ſuſpecta, ratione officii a me diſſecta, item adhuc in alia puerpera in noſocomio noſtro poſt paucas a partu horas cum chirurgis ordinariis obſervare contigit. Ex his proinde obſervationibus ultimæ ſententiæ, quod ſcilicet uteri ſubſtantia in gravidis, non modo in fundo, ſed etiam circa latera, tempore partus, præter naturam incraſſetur, autopſia convictus ſubſcribam, nemo mihi vitio vertet.

§. 21.

Uteri officium. Circa officium uteri dubitant equidem plerique autores, an ipſe ad individui ſeu feminæ vitam, conſervationem atque valetudinem aliquid conferat, quibus tamen ita reſpondet Gothofredus Mœbius *Fundam. Medic. Phyſiolog. cap.* 20. *p.* 551. ad individui conſervationem dicunt, uterum non eſſe neceſſarium, quum femina ſine utero vivere potuiſſet; ſed ad ſpeciei propagationem. Verum hoc quidem eſt in vetulis, non item in juvenibus, quibus matrix abſolute ad valetudinem videtur neceſſaria. Quod ſive concedatur, ſive ab aliis etiam negetur,

prima-

primarium tamen ejusdem officium ad speciei seu generis humani propagationem inservit, hinc juxta Gualter. Charlet. *de Catamen. cap.* 2. *pag.* 9. uteri tanta tamque conspicua dignitas est, ut licet ad individui conservationem non sit necessarius, ad speciei tamen æternitatem fœtusque γένεσιν καὶ τελείωσιν maxima sit ejus nobilitas. Triplex autem utero officium seu functio ab autoribus adscribitur, 1) ut sit via, per quam ipse semen virile, & quidem secundum nonnullos materialiter, vel secundum alios tantummodo spiritualiter, seu quoad ipsius partem spirituosiorem, quæ plerisque autoribus aura genitalis vel seminalis dicitur, per suum orificium internum in coitu recipiat, indeque per certos ductus, seu tubas Fallopianas, ad testes muliebres, aliis ovaria dictos, pro imprægnando uno vel pluribus ovulis transmittat, seu progressum concedat. 2) Ut ovula in ovariis imprægnata spirituque genitali turgida, tanquam fœtus primordia per tubas Fallopianas ex testiculis propulsa in fundum suum seu cavitatem suscipiat, per certum tempus foveat, conservet, nutrimentum ipsi porrigat, demumque, post novimestre temporis spatium, fœtum exclusioni maturum, mediante fibrarum constrictione atque orificii apertura ad transitum stimulet atque extrudat. 3) Adhuc alii usui secundario destinatus est uterus, scilicet ut muliebre corpus a superfluis quibusdam & noxiis humoribus expurget, atque a variis incommodis præservet ac vindicet. De hoc uteri officio inquit Johannes Antonides van der Linden *Meletemet. Physiolog.* §. 48 *p.* 24. Quod uteri officium attinet, in cunno, quod concipiendum est, cuditur; in utero, quod conceptum est, formatur, & articulatur gestaturque, donec ad plenam pervenerit maturitatem, qua adepta confert non parum ad partum uterus suo etiam conatu. Ad quæstionem, an uteri vi specifica & facultate fœtus formatio in eo peragatur? respondet Isbrandus de Diemerbr. *Anat. Lib. I. cap.* 25. *fol. m.* 141. vim formatricem ipsi semini inesse, uterum vero non plus conferre ad generationem hominis, quam terra confert ad genera-

 tionem

tionem plantarum, præbere scilicet ovis & semini locum securum, temperatum & alimentum sufficiens.

§. 22.

Uterus an ad vitam necessarius? Interim vero ad vitam & coitum non æque, uti ad generationem, necessarius est uterus muliebris, siquidem exempla & rationes in contrarium, scilicet feminas sine utero vivere atque congredi posse, medici annotarunt. Inquit enim Paulus Ægineta: Constat, tota ablata matrice nec mortem inde subsequi, v. Joh. Lang. *Epist. med. Lib. II. Ep.* 39. *p.* 672. Juxta Th. Bartholin. *Cent.* 3. *Epist.* 64. *p.* 259. uterus, quanquam feminis necessarius, innoxie aufertur; est veteribus castrandi modus. Item scribit Isbrandus de Diemerbroc *l. a.* Uterus est pars necessaria ad generationem, verum hinc tamen non concludendum, quod etiam penitus necessaria pars sit ad ipsius mulieris vitam, cum mulier etiam vivere possit utero destituta, ut in iis liquet, quibus uterus foras prolapsus, ab aere & frigore externo non solum ulcerosus factus & corruptus, verum etiam excisus est, quæ tamen postea (succrescente aliqua cartilaginea substantia, abscissi uteri foramen intus consolidante) multis annis sanæ vixerunt, imo etiam cum suis maritis venerem exercuerunt, idque æquali fere cum voluptate, ac si uterum adhuc habuissent. Mulierem absque utero vivere, imo & ad coitum aptam esse, defendit etiam Guilhelmus Fabricius Hildanus *Respons. ad Mich. Dœring. Oper. fol.* 901. *Uteri defectus.* Tale exemplum feminæ sine utero, a nativitate viventis coitumque celebrantis, jam supra *Sect.* 1. *Cap.* 5. §. 7. ex Realdo Columbo *de Re anat. Lib.* 15. *p.* 495. adduximus. Dictæ scilicet feminæ vulva ab aliarum feminarum vulvis nihil peculiare & diversum habebat, & matricis colli portio prominebat; in abdomine autem nullus uterus aderat, neque vasa seminaria, neque testes; & quoties cum viro coibat, quod sæpe fieri solebat, mirandum in modum conquerebatur. *Resectio.* Quandoque uterus prolapsus & gangrænosus feminis rescinditur, absque vitæ periculo, qualia exempla novendecim uteri, vel ex procidentia, vel

gan-

gangræna vel aliter vitiati, totius citra valetudinem exſecti, ex aliis autoribus recenſet Caſparus Bauhinus *Append. ad Franc. Roſſet. de Exſect. Fœt. pag. m.* 197. *ſeq.* De femina, quæ triginta annos ſine utero vixit, hanc obſervationem communicat Zacutus Luſitanus *de Prax. med. admir. Lib.* 2. *Obſ.* 85. *fol. m.* 62. Feminæ poſt caſum ab arbore alta uterus extra propendit pugni magnitudine, nec ullo modo potuit intus reduci, ſed mali cydonei figuram in infima prolapſa parte repræſentabat. Poſt aliquot annos uterus frigore ita obduruit, & lividus eſt factus, cum mollitie ſumma & horribili fœtore; quare chirurgi uterum delapſum præciderunt, ipſaque a tanto malo facta eſt immunis. Rem veneream exercebat, ſed citra voluptatem ullam: resque domeſticas commodisſime exercebat. Idem Zacutus etiam *de Medicor. princip. Hiſtor. Lib. III. Hiſtor.* 6. *Oper. Tom. I. fol.* 464. uteri totius citra periculum abſciſſi exemplum ex Rhaſio refert. Inquit etiam Thomas Bartholinus *Cent. II. Hiſtor.* 91. *p.* 291. *ſeq.* plurimæ feminæ & diu ſatis & ſatis feliciter ſine utero vixerunt, ſi obſervationibus Abenzoaris, Æginetæ, Wieri, Zacuti credimus; imo prolapſum putridumque citra periculum abſciſſum viderunt Rhaſes, Carpus, Mercurialis, Joh. Langius, C. Vega, Paræus, Bauhinus aliique. Fernelius refert, viſam a ſe puerperam, quæ una cum fœtu uterum radicitus evulſum absque vitæ noxa emiſerat &c. De muliere, cui poſt uteri procidentiam, corruptionem & ablationem ſuperſtiti menſes per anum fluebant, vid. Felic. Plater. *Obſ. Lib.* 3. *p.* 764. *ſeq.* Johannes Langius *Epiſtol. Med. Lib.* 39. *p. m.* 671. ſcribit, ſe in muliere Bononienſi matricem vidiſſe elapſam & cucurbitæ inſtar inflatam, quam Carpus chirurgus, ſe cooperante, novacula abſciderit; hanc tamen feminam toto biennio Bononiæ crebro ſibi obviam & ſuperſtitem ſe vidiſſe. Chriſtophorus a Vega cuidam feminæ ætatis annorum triginta quatuor uterum putrefactum abſcindere præcepit, quæ poſt decem annos adhuc vixit, uti refert *de Art. medend. Lib.* 3. *cap.* 10. *fol.* 398. De muliere vulvæ pernicioſo ulcere vexata, adeo

ut

ut quamvis hujus malitiam omni ſtudio & diligentia tollere conarentur medici, corrupta interim & fruſtulis comminuta deſcendens, non prius fluere deſiſteret, quam tota putreſcens decideret, ac ſic mulierem ingenti malo liberaret; quæ, licet vulva carens, ſana tamen annos decem ſupervixit, juxta Anton. Beniven. *Obſ. Medic. Cap.* 11. *p.* 155. in cujus obſervationis annotatione Rembertus Dodonæus vulvam & uterum pro ſynonymis habet. Supra allegatus Franciſcus Roſſetus *Sect.* 4. *cap.* 5. *p.* 92. *ſeq.* ſex hiſtorias de utero absque vitæ periculo ablato, & *cap.* 6. *p.* 100. *ſeq.* binas hiſtorias de utero, absque tamen marte, ſponte elapſo commemorat. Feminas longæviores utero privatas ſæpe ſe obſervaſſe refert Johannes Georgius Volkamerus *M. N. C. Dec.* 1. *An.* 6. *&* 7. *Obſ.* 73. *p.* 103. idque exemplo virginis, quæ poſt amiſſum ſexus feminei characterem vegeta & incolumis vivebat, confirmabat. vid. etiam Gothofr. Mœbii *Phyſiolog. cap.* 20. *p.* 580. Georg Franc. *Satyr. med.* 2. *p. m.* 42. Rara etiam eſt obſervatio Maximiliani Preuſſii de hydrope abdominis ſaccato cum veſicæ ac uteri defectu in femina quadam ſex liberorum matre, quæ undecimo & dimidio ante obitum annis, poſt quam hauſtulum vini (propinante omnibusque modis perſuadente quadam femina, non admodum ipſi alias propenſa) bibiſſet, mox peſſima experiebatur ſymptomata, de qua vid. *M. N. C. Dec. II. An.* 7. *Obſ.* 141. *p.* 274. *ſeqq.* Pluribus de uteri amputatione alibi de mulierum caſtratione agemus. De quæſtione, an uterus ſit in feminis neceſſarius ad vitam ut ad generationem, agit Johannes Benedictus Sinibaldus *Geneanthrop. Lib. IV. Tract.* 1. *cap.* 2. *pag.* 415. *ſeq.* ubi inter alia inquit: ad ſpeciei propagationem eſt uterus tam neceſſarius, ut absque illo fieri nullatenus conceptio valeret. Sed licet mulier aliquatenus poſſit absque utero vivere; ſemper tamen valetudinarie absque illo futurum erit, ut degat, ſiquidem ab univerſo corpore excrementa ad uterum confluunt, qui eadem, ut ſentina immunda, excipit & absque noxa deturbat &c. Licet etiam uterus ad generationem ex ea

ratione

ratione non abſolute neceſſarius videatur, quia interdum obſervantur fœtus in ovariis, vel tubis vel uteri cavitate, qui nunquam ad uterum pervenerunt, de quibus in alio tractatu de conceptione pluribus agemus; ſemper tamen in tali caſu mater & fœtus in mortis faucibus hæreat, atque rarisſimum eſt exemplum fœtus humani poſt XXI. menſes ex uteri fundo matre ſalva ac ſuperſtite, ab Abrahamo Cypriano exciſi, de quo vid. ipſius epiſtola.

§. 23.

Porro uterum a parte antica veſicæ, atque a poſtica inteſtino recto annecti, jam ſupra de uteri ſitu diximus, utraque tamen connexio non æque in fundo, quam cervice deprehenditur, quo enim in prægnantibus uteri fundus ſecundum fœtus magnitudinem liberius atque ſufficienter extendi poſſit, nulli adjacenti parti ſecundum naturam ſubſtantia ſua annectitur, quanquam interdum etiam uterum præter naturam aliis partibus annexum vel concretum reperiamus, ſiquidem Alardus Mauritius Eggendes lethalem uteri cum omento & veſica concretionem in œnopolæ cujusdam uxore annotavit; in hujus poſt varia gravidis frequentia ſymptomata defunctæ aperto abdomine inteſtina, flatibus tumida, eaque per funiculum a ſtomacho ad pubem usque in duas quaſi partes diviſa conſpexit; novitate rei adductus caute hunc funiculum, ſeu potius ſupertenſam chordam, manibus apprehendit, deprehenditque eſſe omentum, quod parte ſui dextra inferiore veſicæ & uteri fundo per duram & nodoſam membranam accreverat. vid. *M. N. C. Dec. III. An.* 4. *Obſ.* 7. *p.* 14. *ſeq.* Et Maximilianus Preuſſius *ibid. An.* 5. *&* 6. *Obſ.* 226. *p.* 526. *&* 536. in propria uxore uterum inſtar ſummum gravidæ per totum abdomen extenſum omnibusque fere integumentis & viſceribus ventris inferioris firmiſſime adnatum ſeu accretum deprehendit. Uterus in magnitudinem ingentem extenſus peritonæo a linea alba usque ad coſtas ſpurias & renem dextrum, in femina duorum fere annorum ſpatio graviſſime utero

Connexio.

laborante, adeo tenaciter adhærescebat, ut vix avelli posset: hinc dolor ille maximus, quem in dextro latere passa fuerat. v. Guilel. Fabric. Hild. *Obs. Chirurg. Cent. II. Obs.* 55. *fol.* 128. In femina, hydrope uteri laborante, uterus, qui alias liber esse solet, circa fundum, ut tempore conceptionis vel potius gestationis extendi & in omnes dimensiones ampliari possit, ita peritonæo coaluit, ut divelli non posset, nisi magna difficultate. v. Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. III. Sect.* 21. *fol.* 1136. *seq.* Et *fol.* 1134. Utriculus præternaturalis, ventris capacitatem explens, exortumque ab uteri fundo extimo sumens, peritonæo firmiter adhæsisse legitur, ut digitis avellendus fuerit.

§. 24.

Ligamenta. De connexione vero naturali pluribus agunt autores hactenus allegati, quorum plerique, ad impediendum, ne uterus ipsiusve fundus situm mutet, continuisque motibus agitetur, quatuor ei circa latera tribuunt ligamenta, seu duo paria, bina scilicet superiora seu lata, & totidem inferiora seu rotunda, vel teretia dicta, quanquam etiam uterum tribus ligamentis teretibus præditum semel se vidisse referat Fridericus Ruysch. *Thes. Anat. IV. p.* 48. *item Obs. anat. chirurg. Obs.* 88. *pag.* 112. *seq.* Primum par seu ligamenta superiora vocantur etiam alæ vespertilionum, ob figuram, quam referunt, & consistunt ex substantia membranacea a peritonæo producta, & secundum Isbrand. de Diemerbr. *Anat. Lib. I. cap.* 25. *fol.* 138. fibris carneis intertexta, unde Vesalius & Archangelus unamquamque lateris partem musculos esse putarunt; en quoy (secundum verba de Jean Palfyn *l. a. p.* 65.) ils errent, puis qu'on les voit seulement de couleur ronge aux cadavres, qu'on a gardé quelques jours: & que ces fibres qu'on appelle charneux, n'on seulement, que la forte couleur de la chair. Hæc ligamenta alii vasa deferentia appellant, quia semen muliebre seu ovula per eadem ad uterum deferuntur.

§. 25. Ro-

§. 25.

Rotunda vero ligamenta ab uteri corpore & quidem circa latera ibidem loci, ubi tubæ Fallopianæ sunt annexæ, oriuntur, atque in principio seu circa uterum latiora postmodum sensim evadunt tenuiora atque teretia; consistunt ex duplici membrana, interne innumeris omnium vasorum generum, v. g. arteriosorum, venosorum, lymphaticorum, & nervorum propaginibus dotata seu repleta. Ad extra excurrentia hæc ligamenta in plurimas tandem subdividuntur expansiones fibrillaceas & prope clitoridem evanescunt. Inquit autem Joh. Swammerdam. *Mirac. Natur. seu de Uter. muliebr. Fabric. cap.* 1. circa ligamenta rotunda notandum, non omnia eorundem vasa circa clitoridem terminari, sed aliqua ex his ipsum ex utero sanguinem denuo ad inferiora deducere, quod in postrema sectione mea observare mihi contigit; ideoque solers natura valvulas illis in locis inverso ordine locavit, ut regredi sanguis ad uterum nequeat, eo qui a figuris meis videre est modo. *vid. Biblioth. anatom. du Clerc & Magett. Tom. I. fol. m.* 499. Ligamenta rotunda secundum Georg. Phil. Nenter. *Physiol. cap.* 2. §. 54. *pag.* 44. per duplicaturam peritonæi descendunt, & super os pubis oblique ducta prope clitoridem desinunt. Ab hisce ligamentis speciem quandam herniæ inguinalis, quæ incipiente graviditate sensim sensimque disparebat, post partum vero semper redibat, se vidisse addit idem autor. **Rotunda.**

§. 26.

Hæc ligamenta rotunda nonnullis autoribus videntur cava & quidem pro transmittendo certo quodam liquore. Inquit enim Johannes de Muralto *Vademec. anat. Exercit.* 9. *pag.* 419. alterum par ligamentorum rotundum & teres concavum est & *p.* 422. scribit: Ligamenta uteri sunt exacte cava & inflari possunt in iis, quæ continuo in amplexus feruntur. Petrus Dionis *Anat. Demonst. IV. Sect.* 2. *p.* 231. inquit: hæc duo ligamenta sunt longa nervosa, rotunda & satis crassa prope uterum, ubi cava **An cava?**

deprehenduntur æque ac in ſuo usque ad os pubis itinere; juxta Joh. Vesling. *Syntagm. anat. cap.* 7. *pag.* 100. alterum ligamentorum par poroſum intus circaque finem evidentius concavum, & aquoſo, item, quod teſtes exhibent, ſemine, in repentino fato ſublatis mulieribus madidum. Franciſcus Bayle *Diſſert. med.* 2. *p.* 55. inquit: Teretia hæc ligamenta ſunt ſecundum longitudinem excavata ductu, quem in uteri cavitatem apertum deprehendi. Juxta Th. Bartholin. *Anat. p.* 263. par inferius ligamentorum cavum eſt, maxime in fine. Et Isbrandus de Diemerbroc *Anatom.* (*primæ editionis*) *Lib. I. cap.* 23. *p. m.* 136. inquit: Præter ductus, utero annexos, Veslingius utrimque adhuc aliam viam ſatis conſpicuam invenit, oſtenditque etiam a teſtibus & tubis ductum quendam protendi in uteri ligamentum teres ſeu vermiforme, quod a lateribus fundi uteri utrimque verſus inferiora deſcendit, ac peritonæo cum tendinibus muſculorum obliquorum perforato ſupra pubis oſſa clitoridi jungitur: *addo*, in eumque aperitur. Quod ipſum, pergit Diemerbroc, etiam nos in ſectionibus noſtris tali modo invenimus. Hæc tamen ligamentorum cavitas aliis anatomicis dubia videtur, imo ipſe Johannes van Horne, qui *Microcoſm.* §. 69. hæc ligamenta rotunda quoque concava judicat, in epiſtola ſeu prodromo de Genital. *Oper. p. m.* 272. ita ſcribit: non eſt vera aſſertio Spigelii aliorumque ſtatuentium, ligamenta uteri rotunda concava eſſe, quinimo nihil aliud ſunt, quam minutiſſimæ arteriolæ, peculiari involucro donatæ, ut ſecurius pergant extra abdomen ad pinguedinem pubis & femoris partis internæ. *vid. etiam Biblioth. anat. Tom. I. fol.* 498. Hujus cavitatis etiam ne verbulo quidem meminit Godefridus Bidloo *Anatom. Tab.* 51. inquiens: Membranæ ligamenti rotundi titulo indigitata ſpithamæ longitudinis, inter peritonæi duplicaturam; extra abdomen utrimque inguina verſus deducitur; unde ſupra pubis oſſa excurrens, prope vulvæ ſuperiora in plurimas ſubdividitur fibrillaceas expanſiones. Membrana hæc, ut innumeris omnium

vaſorum

vaſorum generum propaginibus, ita etiam multifariis permeatur membranulis ac fibrulis, a priori deductis eique annexis, harumque agmina ſeorſim obvelantibus, ſuſpendentibus atque a ſeſe invicem diſtinguentibus. Ut adeo ligamenti ductus, quem in uteri cavitatem apertum deprehendit Franciſcus Bayle *l. a.* Johanni Guilielmo Pauli *Annot. in Horn. Microc. p.* 249. ſatis dubius videatur. Autores horum ligamentorum cavitatem negantes vide circa finem ſequentis paragraphi.

§. 27.

Quem uſum ligamentis recenſitis aſſignarint anatomici veteres ac recentiores, ex ſola ipſorum denominatione ſufficienter apparet, nimirum ut uterum in ſitu ſuo retineant, ipſiusque prolapſum tam in latus alterum, quam ad vaginam, vel extra pudenda impediant. Ex recentioribus enim anatomicis inquit Philippus Verheyen *Anat. Tr. II. c.* 23. *p. m.* 187. Ligamentorum uſus eſt tenere uterum utrimque æqualiter tenſum, atque adeo impedire, ne multum in hoc illudve latus inclinet: maxime in gravidis, in quibus alioquin fundus, utpote longe ultra cervicem extenſus, miſere fluctuaret. Et juxta Henricum a Devent. *de Art. Obſtetric. Cap.* 4. *p. m.* 24. & alios ligamentorum præcipuus uſus eſt: 1) uterum non imprægnatum rectum tenere, idque aliquandiu quoque tempore impr ægnationis. 2) Poſt partum eundem mediante contractione in priſtinum locum & genuinam reſtituere poſituram. Extenſio enim & laxitas ligamentorum & membranarum, quibus uterus alligatur, anſam præbent procidentiæ & obliquæ uteri poſituræ. Item Johannes Gothofredus Bergerus *Phyſiol. Lib. II. cap.* 1. *pag.* 454. ſcribit: Uterus lateribus ſuis quatuor ope ligamentorum, quorum duo lata, & totidem teretia ſunt, oſſibus ilii & pubis, quo in recto teneatur ſitu, ad alligatur. Et ſecundum Albertum Kyper. *Anthropol. Lib.* 1. §. 78. *p.* 144. uteri fundus quatuor ligamentis validis firmatur in ſuo loco &c. Juxta Thomam Bartholinum *Anat. Lib.* 1. *cap.* 28. *p.* 262. ad latera uterus annectitur per ligamentorum duo

Ligamentorum uſus.

paria, quorum usus uterum suspensum tenere. Et *pag.* 63. Paris ligamentorum inferioris usus est, uteri fundum sursum trahere, ne decidat in relaxatis & ponderibus & laboribus, quod tamen de primo pari rectius dixeris; secundo impedire ascensum uteri ad superiora &c. Johanni Veslingio *l. a. p.* 99. primum par ligamentorum adeo membranosum est & latum, ut tubis ac testibus fundique protuberantiis attensum matricem ilium ossibus alliget. Imo ab horum ligamentorum relaxatione & ruptura uteri fundum in vaginam, quandoque etiam extra pudenda procidere plerique statuunt. Unde Baldassar Timæus a Güldenklee *Respons.* 37. *Op.* 1068. inquit: ab elevatione gravioris ponderis, ligamenta uteri facile extendi & rumpi possunt, quo facto uterus prolabitur. Hippocrat. *Lib.* 2. *de Morb. mul. &c.* Ligamenta lata vasorum præparantium & deferentium deductioni ad uterum inservire, vid. Kyper. *l. c.* vel juxta Phil. *Verheyen l. a.* ut testiculos, tubas Fallopianas & quædam alia vasa sustentent. Et secundum Petr. Dionis *Anat. p.* 230. inserviunt ligamenta lata deducendis vasis ad uterum tendentibus, & testiculis in situ suo naturali firmandis. Nicolaus Venette *de la Generat. de l'homme Lib.* 1. *Cap.* 1. *Art.* 4. *p.* 24. ita loquitur: Les liens de la matrice la tiennent tellement attachée à toutes les parties du bas ventre, qu'elle ne peut en estre ébroulée qu'avec violence. Son col l'attache par le bas, & deux ligaments ronds, qui se communiquent aus aisnes, & au dedans des cuisses, l'empechent de s'elancer en haut dans les suffocations, dont les femmes sont souvent attaquées. Mais comme la matrice ne peut monter, elle ne peut aussi descendre si ce n'est par quelque effort extraordinaire. Car elle est attachée en haut par deux ligaments, qui estant fermes & larges ressemblent en quelque façon à des ailes de chauve-souris. Et bien que ces ligamens ne touchent point la matrice pour l'assujetir, ils tiennent pourtant ces cornes si fermes qui en sont des parties, qu'elle ne se peut affaisser. C'est dans ces ligamens larges, que les testicu-

les

les ſont placés & les vaiſſeaux, qui portent la ſemence à la matrice. Ce ſont les liens, qui empêchent la matrice de tomber de ſon lieu par le poids de l'enfant, ou par les violens efforts de l'accouchement ſi bien que cette partie eſtant affermie de tous coſtez, il eſt bien comme impoſſibles, qu'elle ſorte du lieu, où la nature l'a placée: comme l'antiquité nous l'a voulu perſuader.

§. 28.

Per ligamenta liquor.

Præter hos uſus ligamentis nonnulli anatomici alium adhuc adſcribunt, ſcilicet cum eadem concava ſtatuerint, per eorum cavitatem liquorem quendam vel excrementitium, vel nobiliorem verſus exteriora vel alias partes propelli arbitrantur. Hinc Johannes Veslingius *loco all. pag.* 100. *ſeq.* ligamentum rotundum poroſum atque aquoſo ſemine in mulieribus repentino fato ſublatis madidum defendens ſequentia addit: Itaque veroſimilius erit, per utrumque hoc vermiforme vas, cum teſtibus ad cervicem meatus deſunt, clauſo potisſimum uteri oſculo, ſeminalem materiam ex illius cavitate & anteriora pudendi excerni, aliaque in utero præter naturam coacervata excrementa per eadem vaſcula ad utrumque inguen expelli. Dominicus de Marchett. *Anatom. Cap.* 7. *p. m.* 75. refert ſe in puellis ligamenta rotunda ſanguine plena obſervaſſe. Hac de cauſa, pergit idem, dicunt hæc ligamenta in feminis eſſe perforata: unde quando bubones in feminis excitantur, per ligamenta rotunda materia ad inguina pervenire poteſt. Juxta Andr. Laurent. *Anat. Lib.* 7. *cap.* 5. *f.* 272. ligamenta aliquando ita dilatantur, ut bubonocelem pariant. Et Albertus Kyperus *l. a. p.* 144. *ſeq.* inquit: in inguinibus ligamenta inferiora ſupra & infra glandulis fulciuntur, & nonnullis, cum cava ſint, cenſentur inſervire excrementitiorum humorum evacuationi; & Spigelius atteſtatur, ſe ligamenta illa parte vicina utero in femina quadam, quæ ex nimio coitu mortua dicebatur, plena reperiſſe ſemine. Hanc ſententiam fovet etiam Joannes Riolanus

Anthro-

Anthropogr. Lib. II. Cap. 35. *fol. m.* 183. *seq.* inferiora, inquiens, ligamenta rotunda sunt ac fistulosa, sanguine referta, extrinsecus carnosa, in inguine superne & inferne glandulis suffulta, ibique membranæ modo dilatata, portionem clitoridi communicant; Istud ligamentum non tantum utero designatum est, sed quia fistulosum, instar canalis, devehit ad inguinis glandulas superfluos partium genitalium humores: indè fit, ut in quibusdam hystericis virginibus atque mulieribus inguina tumeant, interiora femora doleant, convulsis ejusmodi ligamentis, quæ humore distenta breviora fiunt, & erigendi corporis atque extendendi femoris commoditatem impediunt. Sed ubi partes seminales lue venerea sunt inquinatæ, si robustæ fuerint, virulentum humorem per hoc ligamentum fistulosum in glandulas inguinum, uteri emunctoria transmittunt, in quibus bubones venerei, ut in viris excitantur, quod a nobis sæpius observatum. vid. etiam Casp. Bauhin. *Theatr. anatom. Lib.* 1. *cap.* 37. *p.* 121. Isbrandus de Diemerbr. *edit. prim. l. a. p.* 136. ita pergit: Hoc appellatum ligamentum intus porosum, sicut vasa deferentia in viris (pori tamen sunt multo laxiores & nunquam satis conspicui) circaque finem evidentius concavum, & juxta Veslingium & Spigelium semine madidum & repletum fuit. Quæ omnia certo indicio sunt, semen non tantum per ordinarios & notos ductus deferri in uteri cavitatem, verum etiam aliqua sui parte per has vias defluere ad clitoridem, hæcque dicta ligamenta vermiformia non esse proprie uteri ligamenta, sed vera vasa deferentia &c. Denique medicus quidam Gallicus nomine Govey, in certo casu, feminam quandam, cui internum uteri orificium occlusum fuisse statuit, a semine virili per tale ligamentum communicato impraegnatam fœtumque in inguine dextro repertum fuisse defendit, inquiens, cum ligamenta uteri rotunda ejusdem cum utero sint substantiæ ac continuitatis, quorum textura æqualiter spiritibus animalibus, ex liquore seminali provenientibus, perfusa est, procul dubio illi

ovulo

ovulo, per tubæ fimbrias elapſo, fœcunditatem communicarunt. vid. Daniel. Hoffmann. *Anat. med. ad Hypotheſ. Goveyan. de Generat. Fœt. p. m.* 84. Hanc tamen ſententiam Goveyanam tam ratione conceptionis, quam loci fœtum includentis ſuſpectam reddit dictus Hoffmannus. Cavitatem horum ligamentorum alii autores adhuc econtra rejiciunt, & ipſe Isbrandus de Diemerbroc in editione nova *Lib.* 1. *cap.* 25. *f.* 139. propriæ ſententiæ, quam in priori editione defenderat, contradicit, aliorumque autorum opiniones refutat, inquiens: hæc ligamenta uteri fundum partibus anterioribus & inferioribus laxe devinciunt. Bauhinus laxos in iis poros, & nonnunquam inferiore parte humorem aliquem mucidum animadvertens, judicavit illa duobus uſibus inſervire, ſcilicet partim ligamentorum munere fungi; partim per ſuos poros genitalium partium ſuperfluos humores excernere. Spigelius eundem humorem mucidum videns, judicavit, illum eſſe ſemen, quod in mulieribus aliqua ſui parte per hæc ligamenta (quæ putat eſſe vera vaſa deferentia) defertur ad vaginam uterinam & clitoridem. Poſt Spigelium antehac etiam me idem ille mucidus humor in eandemSpigelii opinionem deduxit, a qua poſtmodum deſtiti ob rationes præcedente capite dictas. Veslingius putavit, præter ſemen etiam quamcumque ſaburram circa uterum collectam per hæc ligamenta evacuari: quod tamen penitus impoſſibile, cum nullam ſufficientem cavitatem habeant, per quam ſemen & talem ſaburram transmittere poſſent, quæ duo etiam nusquam in aliis quibuscunque viis miſceri, & ſimul profluere veroſimile eſt, cum ſemen ſic neceſſario ab illa ſaburra contaminaretur & corrumperetur &c. (vid. etiam Regn. de Graaf *pag.* 274. *ſeq.*) Porro ſi quando herniæ in feminis obſervantur, tales non a dilatatione horum ligamentorum, ſecundum allegatum Laurentium, ſed potius peritonæi, ortum ſumunt, ſiquidem rotunda uteri ligamenta inter duplicaturam peritonæi verſus inguina utrinque aſcendunt, & ut vaſa ſpermatica in maribus, ita hæc li-

gamenta in mulieribus extra abdominis cavitatem prodeant, hinc illæ eadem ratione, ut viri, herniis ſunt obnoxiæ, quatenus ſcilicet peritonæum eo in loco, ubi ligamenta exeunt, præter modum dilatatur, uti obſervavit Regnerus de Graaf, dum filiam hernia laborantem poſt mortem diſſecaret; eo namque in loco, ubi rotunda uteri ligamenta abdomen deſerunt, peritonæum adeo relaxatum invenit, ut integram foveam ſive burſam efformaret, per quam inteſtina in inguen deſcendendo herniam inteſtinalem producebant. v. Regn. de Graaf *de Mulier. Org. cap.* 10. *p.*272. *ſeq.* Quod confirmat etiam Jean Palfyn *l.a.p.*68. his verbis: Les ligamens ronds prennent leur commencement de côtez du fond de la matrice, tout proche l'endroit, ou les trompes de Fallope y ſont unies, où ils ſont fort larges & deſcendent delà obliquement, un de chaque côté, entre la duplicature du peritoine en ſe diminuant, peu a peu jusques aux aines, & ſe portent hors de la cavité de l'abdomen, paſſant par les anneaux des muſcles transverſaux & obliques, conformement aux vaiſſeaux ſpermatiques des hommes. Et comme la membrane interne du peritoine en ce lieu n'etant pas fortifiée par la membrane externe, & par conſequent plus foible en cet endroit, que presque par tout ailleurs. Voila la raiſon, pour la quelle les femmes ſont ſujettes, auſſi bien que les hommes; non ſeulement à une eſpece de hernie, qu'on nomme bubonocele, ou incomplete, mais auſſi a l'hernie complete, ou l'inteſtin & l'omentum ſeparement ou conjointement, deſcendent quelquefois non pas ſeulement jusques aux levres de la vulve, mais jusqu'au milieu de la cuiſſe &c.

§. 29.

An vero ſint ligamenta?

Alii adhuc anatomici dictis uteri ligamentis, & mea quidem ſententia non inepte, ligamentorum munus & nomen penitus denegant, cum in abdominis pelvi imprimis lata per ſe libera jaceant, nulliq; oſſi, nec alii parti, ita affixa reperiantur, quin per ſe, vel ſaltem ſimul cum tubis Fallopianis elevari valeant,

unde

unde eadem uteri neque aſcenſum, neque deſcenſum impedire poſſe judicandum. Hinc ſcribit Petrus Dionis *Anat. Demonſtr. IV. p.*231. Opinio eſt, quod ligamenta impediant, ne uterus nimis alte aſſurgat. Si unicus eorum hic eſſet uſus, admodum neceſſaria non eſſent; fundum enim uteri ejus cervici propinquius eſt, quam ut ab ea multum recedere putari poſſit. Præterea ſi hoc unum intendiſſet natura, quod eorum ope uterum in hypogaſtrio retineret, longe a ſcopo aberraſſet, cum aſcenſum usque ad epigaſtrium graviditatis tempore ipſi permittant; imo nedum durante graviditate ligamenta illa in eodem loco eum continere queunt &c. Quærit etiam Carolus Drelincurtius *Experim. anat. de Uter. p. m.* 96. An uterus ad quatuor catenas, ceu furibundum animal in animali alligetur? hoc eſt, an quatuor ille ligamentis, ceu funiculis atque loris, infrenetur, effreni libidinis œſtrone laſciviat? An ejus ligamenta duo inferiora dicta ipſum ſuperiorem ſuſpendant, ne procidat, uti neotericorum codices ferunt? Nam illi profecto feminas in ſpeculo viderunt globoſo ambulantes inverſas. Ipſis etenim incedentibus vertice nequit uterus, ligamentis inferioribus, ceu habenis contentus atque revulſus, in diaphragma devolvi atque procidere. An ejus alia ligamenta ſuperiora duo uterum intra ſuas ſedes firmius ſtabiliant, quam pinnulæ verſatiles ædificiorum fundamenta ſtatuminent? Juxta Frideric. Ruyſch. *Muſ. anat. ſive Catalog. Rarior. p.* 114. partes membranaceæ inter tubas & ovaria ligamenta uteri lata audiunt, ſed falſo; horum interventu tubæ quidem ovariis alligantur, non vero uterus peritonæo, niſi in ſtatu præternaturali. Scribit etiam Franciſcus Boyle *Diſſert. med. II. de Sympath. Uter. p. m.*55. cum utrumque ligamentorum ſtructuram nuper conſiderarem, mihi viſi ſunt anatomici eorum uſus negligentius inveſtigaſſe, & parum congrue ligamentorum nomine ea appellaviſſe; cum procul dubio aliis nobilioribusque dicata ſint, quam ligandi muneribus. Interim tamen idem Boyle certi aliquid de ipſorum uſu determinare non

 audet.

audet. Theodorus Kerckringius *Spicileg. Anat. Obs.* 20. *p.* 47. inquit: Quae ligamenta dicuntur uteri vespertilionum alis assimilata, eum non ligant. Et *pag. seq.* ait, tales expansiones alis vespertilionum assimilantes perperam ligamenta vocantur, nec ossi ilio, nec cuiquam alteri alligantur, sed libera fluctuant. Ligamenta illa nulli heroum anatomiae unquam alligata viderunt, sed ex opinione vulgari affirmaverunt.

§. 30.

Uteri motus. An vero uterus in coitu descendat, vel ad orificium vaginae quasi procedat, & quidem ex desiderio attrahendi sperma virile? vel an in passione sic dicta hysterica, & ab odoramentis versus superiora & fauces usque ascendat atque per ventrem oberret? vid. Avicenn. *Lib. III. Fen* 21. *Tr.* 1. *cap.* 1. *fol.* 389. Isbr. de Diemerbr. *Anatom. Lib. I. cap.* 25. *fol.* 142. *seq.* Thom. Bartholin. *Anat. ref. Lib.* 1. *cap.* 28. *p.* 274. *seq.* Petr. Dionis *Anat. Demonstr.* 4. *p.* 232. Gerard. Blas. *Annotat. in Joh. Vesling. Syntagm. cap.* 7. *p.* 100. Casp. Bauhin. *Theatr. anat. p.* 120. Joh. Lang. *Epistol. medic. Lib.* 1. *Epist.* 23. *p.* 98. Joh. Riolan. *l. a. f.* 184. Francisc. Plazzon. *de Part. Generat. Lib.* 2. *cap.* 7. *p.* 129. De uteri cum variis corporis partibus consensu, vid. Franc. Boyle *Dissert. med. II. pag.* 35. *seq.* Gothofr. Moeb. *Physiolog. cap.* 20. *p.* 540.

§. 31.

Uterus duplex. Hactenus de uteri statu naturali egimus, restant adhuc alia extraordinaria seu praeter naturam ab anatomicis & medicis observata. Sicuti enim in feminis secundum naturam unica tantum vulva atque vagina reperitur, quas tamen quoque duplices in quibusdam mulieribus observatas *Sect. I. Cap.* 5. §. 12. *& Sect. III. Cap.* 1. §. 13. adduximus; ita etiam hoc loco praeternaturalis uteri numerus considerandus occurrit. Duplicis scilicet uteri in una eademque femina observati exempla recensent autores, quorum tamen observatores nonnunquam decepti testiculum muliebrem seu ovarium, ob foetum in eo deprehensum, pro altero utero habuerunt. Quale exemplum, ex Benedicti Vassalii,

lii,

lii, chirurgi Parisiensis observatione referunt collectores Actorum philosophicorum apud Henric. Oldenburg. 1669. *Mens. Jun. p.* 814. *seq.* in relatione de muliere quadam duplicem uterum habente, Parisiis, ubi corpus dissectum fuit, impressa; ibidem publicator figuram inseruit, quæ duas matrices sexto Januarii 1669. a Benedicto Vassalio, chirurgo, corpus mulieris triginta duorum annorum ætatis, sanguinei temperamenti & masculi aspectus aperienti, repertas ostendit. Hæ duæ matrices tam egregie diligenti naturæ cura dispositæ erant, ut quæ vera erat, undecies conceperit, nempe septem masculos & quatuor feminas, omnes justo tempore natos & ad amussim efformatos. Illos vero demum secutus est frater, tantum fœtus, qui in adjuncto utero conceptus est, in loco extensionis adeo impatienti, ut cum ampliorem locum quæreret, postquam matri per duos menses & semis gravissima symptomata effecerit, demum circa trium vel quatuor mensium ætatem repagula solvit, & suum in matris tumulo reperit, vasta sanguinis effusione in tota abdominis capacitate effecta, quæ matrem in tam violentos motus convulsivos totum triduum conjecit, ut eis diem supremum obierit. Quo dictus Vassalius, posteaquam (partibus balsamo servatis) particularem ejus dissectionem per integrum mensem in sua domo, coram doctissimis medicis, chirurgis, pharmacopolis, obstetricibus, aliisque naturæ scrutatoribus confecerat, consultum duxit ejus historiam conservare, eandem & partium figuras, de quibus sermo sit, typis committendo, una cum tabula. Huic observationi equidem allegatus Oldenburgius addit, fieri posse, ut id, quod a Vassalio hujus relationis publicatore, secundus uterus existimatur, nihil aliud sit, quam vere matrix extensa, vel id, quod anatomicis tuba Fallopii vocatur. Verum enim vero, si uteri hujus duplicis figuram, ibidem communicatam, recte intuemur, certe nihil aliud, quam fœtus in expanso ovario dextro, nulla autem matricis extensio, apparet. Unde hæc observatio mihi potius ad fœtus tubarios pertinere videtur, quam

ad duplicem uterum. Hujus ſententiæ quoque fuit Johannes Sigismundus Elsholzius *in Epiſt. de Concept. tubar. ad VVolrathum Huxholtium* ita perſcribens: ad demonſtrationem Vaſſalii quod attinet, quamvis cum nemine contendere velim, admodum ægre tamen a me impetrare poſſum, ut credam, gemino inſtructam utero fuiſſe Pariſienſem illam gravidam: niſi vocabulum uteri latiſſime accipere velimus pro quacunque capſula fœtum includente. Quotusquisque enim appictam embryi domunculam attentius conſiderat, dextram uteri genuini tubam dilatatam, non autem accurate loquendo uterum ſecundum eſſe confitebitur. *vid. M. N. C. Dec. I. An.* 4. *&* 5. *App. p.* 76. *ſeqq.* Et Johannes Conradus Peyerus inquit: Putarunt equidem, qui mulierem iſtam diſſecuerunt, eam duplici fuiſſe utero inſtructam, cum non niſi tuba eſſet a fœtu, inibi ex ovo in tranſitu hærente genito, in magnam molem dilatata.

§. 32.

Aliam relationem hiſtoricam de utero duplici in femina a Petro Dionis, chirurgo regio Pariſienſi, obſervato communicatam legimus in *M. N. C. Dec. II. An.* 2. *pag.* 475. *ſeqq.* vid. etiam Theoph. Bonet. *Medicin. ſeptentr. Part. II. Lib.* 4. *Obſ.* 2. *f.* 6. *ſeq.* Scilicet mulier quædam viginti annorum, ſecundo conjugii menſe gravida facta primo de impraegnatione dubitavit; ſed cum ubera dolerent, vomitus crebri ſecuti, appetitus inordinati, & faſtidia frequentiora adeſſent, dubium omne ceſſavit: Poſt menſem quartum & dimidium infantis motum ſentiebat; quinto menſe menſtrua fluere deſinebant, & materiæ ſeroſæ quid ſuccedebat, tunc & corpore craſſior apparebat, & crebrius motum embryi ſentiebat, niſi quod illam ſolo latere ſiniſtro, & loco cæteris altiore motum ejus ſenſerit. Anno 1681. quinto Junii ſubito ingenti ventris dolore, per tres aut quatuor horas ita vehementi corripiebatur, ut inſtantem omnes abortum metuerent. Poſt duodecimum diem ſupervenere convulſiones cum ſummo extremarum partium frigore; tandem ventre palam increſcente

in ſedili conſedit, ubi poſt quadrantem horæ exſpiravit. Poſt obitum chirurgus Cæſaream tentavit operationem, ut infantem vel vivum ſervaret, vel baptiſmo maturum fœtum non privaret. Inciſis tegumentis, muſculis & peritonæo ſe obtulit infans, ſuper inteſtinis incumbens, annexus etiamnum chorda ſua umbilicali ſecundinis ſuis, natabatque in magna ſanguinis quantitate, qui totam ventris capacitatem impleverat. Poſtea cum inteſtina in ſuperiorem abdominis partem impuliſſet Petrus Dionis, vidit corpus figuræ rotundæ, proportione reſpondens magnitudini infantis, quod cavitas eſſe matricis videbatur: & iſte quidem erat locus infantis, unde egreſſus fuit, hoſpitium. Sed pars ea erat redundans, ſita in latere ſiniſtro, ab ordinario & vero utero transverſorum digitorum duorum ſpatio diſtans: & in parte ſua laterali ſiniſtra omnia habebat, quæ cavitati matricis ordinariæ adhærere ſolent; nempe vaſa ſpermatica, teſticulum unum, cornu ſive tubam unam, ligamentum latum & rotundum. Cum vero Dionis partes easdem in parte dextra corporis hujus non inveniret, ulterius in eas inquiſivit. Adhærebant illi corpori paulo, quam præcedens, minori, in medio ſito hypogaſtrio, verſus dextram regionem; figura ſimili cavitati uteri, niſi quod craſſior erat, & longior, quam in ſtatu ſuo naturali eſſe ſolet. Et hæc quidem vere erat cavitas uteri, quem adſtantibus oſtendit archiatris, qui non minus quam Dionis mirati ſunt, duas omnino ſimiles cavitatis uteri partes reperiri, cum hac ſola differentia, quod ſiniſterior ſimilis eſſet cavitati extenſæ, quæ infantem continuit; altera autem cavitas in ſua conveniente magnitudine conſtituta; atque ita duo iſta corpora continua erant collo matricis &c. Figuram depicti hujus uteri duplicis ibidem p. 483. videre licet. Anno 1615. menſe Junio, in oppido Stenio, hermaphroditam puellam multis præſentibus diſſecuit Johannes Riolanus; in quo penis parvus prominebat absque ſcroto & teſticulis; ſed ab orificio duplici externo usque ad fundum uteri, duplex erat matrix mediano pariete ſecreta,

reli-

reliquæ partes genitales ſimplices erant, ac ſi fuiſſet unicus uterus. vid. Joh. Riolan. *Anthropograph. Lib. cap.* 35. *fol. m.* 197. *ſeq.*

§. 33.

Alia adhuc exempla. Duplicem uterum in femina Pariſiis obſervatum duabus figuris, totidemque tabulis depictum reperire etiam licet circa finem tractatuli Margaritæ du Tertre *de l' Inſtruction des Apprentiſſe Sage-femmes*, in quarum tabula prima hæc legitur relatio: Premiere figure de la double matrice d'une femme, qui accoucha de ſon ſecond accouchement à l' hopital general, le 28. Novembre 1684. qui furt apportée le 29. à l'hotel Dieu a la Salles des accouchées, où elle mourut le ſix Decembre ſuivant dela quelle Madame de la Marche, Maiſtreſſe Sage-femme du dit Lótel Dieu, fit faire l' ouverture pour l' inſtruction des apprantiſſes Sage-femmes, comme l' on fait ordinairement. Secundum has figuras in unica vagina uteri diſſecta circa regionem orificii interni duo reperiuntur orificia, valvulæ ab obſervatore dicta, ſibi adjacentia, per quæ ad utriusque ſuperjacentis uteri cavitates ingreſſus conceditur. Dexter autem uterus ſiniſtro major conſpicitur. Hujus uteri duplicis rariſſimi meminit etiam Laurentius Heiſterus *Orat. de Increment. Anatom. p.* 59. *&* 151. Item Philippus Jacobus Hartmannus in aurigæ uxore hydrope & mola uteri afflicta duplicem quaſi uterum ſeu geminum ejus corpus in ſectione detexit; alterum minus, quod cum collo uteri cohærebat, atque patulo ſatis foramine in hoc exibat, ovi anſerini magnitudine, ſexque digitos craſſum; cujus ſitus minus erat naturalis, quod non medium inter inteſtinum & veſicam, ſed ad alterum latus propenderet, declinante parte ſuperiori, fundo ſcilicet uteri ſiniſtrorſum: neque figura hujus erat ſecundum naturam, ſed detorta, cum piriformem naturam intendiſſet, recedentibus quibusdam anfractibus ad aliam quamvis ſpeciem aberrabat. Ubi Hartmannus orificio tubulum inſeruit, diſtendit corpus minus uteri, in quantum craſſities permittebat; idem, cum injectione experiretur, aqua reſiliit; ſcilicet

licet

licet nec flatus nec injectio viam inveniebat, quæ in majus corpus uteri, quocum continenter connectebatur, contenderet. Fundum minoris uteri cæcum, & corpus majoris uteri, interstitium quoddam distinguebat, colli æmulum, quod veluti isthmus hæc corpora committebat; constabat autem ex ligamentis duobus arctissime compactis, quorum in cornua abinde divisorum expansio majoris uteri efformarat corpus &c. v. *M. N. C. Dec. II. An.* 5. *Obs.* 68. *p.* 147. *seq.* Romæ in nosocomio S. Spiritus Johannes Faber, Lynceus, cum Angelo Colio Senensi infantem projectitium, pro hermaphrodito habitum, secuit, qui in inguine tumores habuit, nulla in eo masculina vasa seminaria reperta, sed, quod mirabile dictu, duos intra ventrem offendit uteros, cum annexis ubique testiculis, sed unico tantum testiculo, unico suo utero adhærente, ac vasis deferentibus semen, uti & præparantibus. Harum una matrix intus penitus abscondita, nec cervicem ad externa perrexit; altera in dextero latere exterius collum suum produxit, & vulvam dictam constituit, quæ visa quidem, sed haud penetrans judicata, quod ductus ille adeo angustus, ut vix aciculæ caput admiserit, & sic infans duplex femina inventa fuerit, uti refert Philippus Jacobus Sachs a Lewenheimb *M. N. C. Dec. I. A.* 1. *Obs.* 110. *p. m.* 258. vid. etiam Paul. Zacch. *Quæst. med. legal. Lib. VII. Tit.* 1. *Quæst.* 8. *n.* 34. *fol.* 600. Duplicis uteri Parisiis observati ex Tilingio meminit Thomas Bartholinus *Anat. Lib. I. cap.* 29. *p.* 277. Huc pertinent etiam uteri bipartiti, & bicornes, uti in brutis multiparis observantur, item septo medio divisi, de quibus vid. Joh. Riolan. *Anthropogr. Lib. II. cap.* 35. *fol. m.* 197. ubi inquit: fratrem Bauhini in quadam puella vidisse uterum bipartitum, qualem canes habent; observasse etiam Sylvium in puella uterum veluti bicornem, ut in multiparis. Eodem loco meminit etiam Riolanus: Anno 1599. in scholis Longobardorum dissectam fuisse mulierem, cujus uterus septo medio divisus fuisset. In gemellis feminini sexus, coalitis ossibus sacris & partibus obscœnis, monstrosis uterum ge-

minum totidemque vaginas, sed vulvam unicam observavit Johannes Conradus Peyerus. vid. *M. N. C. Dec. II. An.* 2. *Obs.* III. *p.* 267. In monstro hermaphroditico uterum, uti bestiarum πολυτόκων bicornem a Katzky observatum fuisse referunt acta Berolinens. *Vol. IX. n. 6. p. 61.* Ab utero bipartito Casparus Bauhinus superfœtationem derivare videtur, inquiens: anne mulieres eæ, quæ superfœtare solent, aut plures fœtus, quam duos generant, bipartitum uterum habeant, quemadmodum canes, lepores, & similia animalia, quæ multos generant fœtus, mihi dubium movit fratris mei charissimi Johannis Bauhini observatio, qui circa annum 1565. dum ordinarius esset Lugdunensium medicus, & chirurgis anatomen demonstraret, in quadam puella uterum bipartitum, qualem canes habent, observavit: quod, ut rem valde raram, doctissimis medicis Lugdunensibus & multis aliis demonstravit. Ea ergo de re anatomici, si mulierum corpora talia occurrant, cogitabunt, cujus nomine hoc proponere libuit. vid. Francisc. Rosset. *de Part. cæsar. Append. p. m.* 225. In femina hydrope uteri exstincta parietem intergerinum, quo satis crasso divisus cellulas duas formarat, observavit Philippus Jacobus Hartmannus *M. N. C. Dec. II. An.* 5. *Obs.* 67. *p.* 143. De uteri defectu paulo ante egimus.

§. 34.

Uteri situs p. n. Situm uteri naturalem pro impedienda ejusdem læsione inter vesicam & intestinum rectum, tanquam inter duo pulvinaria esse, supra §. 4. diximus, quandoque tamen præternaturalis quoque ejusdem situs observatur; teste enim Laurentio Heistero in muliere cælibe, annos triginta tres nata, uterus non in medio pelvis, sed prorsus in dextro ejus latere situs erat, ut vix ulla vi versus medium reduci posset. vid. Ephemerid. Acad. N. C. *Cent. V. & VI. Obs.* 86. *p.* 167. In muliere quindecim diebus a partu strangulata uterum in dextrum latus inclinatum & firmiter adstrictum se vidisse refert Johannes Riolanus *Anthropogr. Lib. II. cap. 35. fol.* 184. Talem uteri in alterutrum latus re-

tra-

tractionem annotavit etiam Fridericus Ruyschius *Obs. anat. chirurg. Cent. Obs.* 88. *p.* 112. ubi inquit: Uterum præter naturam in hoc vel illud latus torqueri, situmque naturalem mutare, nonnunquam exploravi digitis in viventibus de dolore hypogastrii, mingendi desiderio continuo, & conatu expellendi frequentissimo conquerentibus. Semel tantum in cadavere offendi os uteri in latus sinistrum fuisse retractum.

§. 35.

Nonnunquam substantia uteri præter naturam indurescit, atque vel cartilaginea vel scirrhosa evadit. In nobilissima enim muliere, quæ anno ætatis quinquagesimo quinto decessit, exiguam matricem durissimam ac ferme cartilagineam, & intra canalem veræ cervicis carnositatem exiguam inferne positam, tanquam pessulum ostio obditum, se vidisse scribit Joannes Riolanus *Anthropograph. Lib. II. Cap.* 35. *fol. m.* 197. Cartilagineum uterum in vidua quadraginta quatuor annorum annotavit Andreas Cnœffelius; a quo uterus primo cum magna admiratione totus lapidosus putabatur, quantitate quidem parvus, sed nimis durus. Tandem vi dissectus totus uterus cum orificio interiori erat cartilagineus, relicta cavitate interna ad amplitudinem nucis juglandis, vid. *M. N. C. Dec. I. An.* 4. *&* 5. *Obs.* 57. *p.* 48. Pinguedinem cartilagineam referebat uterus octodecim librarum in virgine septuaginta annorum, cujus supra ex Gerard. Blas. *Observ. med. Part.* 1. *Obs.* 7. *p.* 12. meminimus. *Uterus cartilagineus.*

§. 36.

De uteri scirrho scribit Ambrosius Pareus *Lib.* 23. *cap.* 36. *fol.* 524. extitisse mulieres, quarum cadaveribus dissectis visus sit uterus scirrhoso tumore caput humanum æquante obsessus, in quibus curandis omnem medici lusissent operam, quod non in uteri corpore subesse vitium, sed in uteri capacitate conclusam latere molam persuasum haberent. Uterum scirrhosa duritie protuberantem, intusque pure simili ferme pultaceo turgidum, in illustri matrona post febrem lentam hecticam observa- *Uterus scirrhosus.*

vit Johannes Mauricius Hoffmannus v. *Eph. Acad. N. C. Cent. VII. & VIII. 127. p. 296.* Scirrhum insignis magnitudinis à fundo uteri incipientem & ad os uteri desinentem in militis cujusdam uxore ob partus impossibilitatem uteriq; rupturam defuncta se observasse scribit Tobias Knoblochius ad Gregorium Horstium, v. *hujus Oper. Tom. II. Lib. 2. Obs. 5. fol. m. 62.* Uterum partim scirrhosum partim putridum multaque sanie repletum in textoris cujusdam Ulmensis uxore trium & triginta annorum, sex liberorum matre denuoque gravida, observavit Johannes Andreas Usenberzius, v. *Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent. IX. & X. Obs. 31. p. 65.* De utero toto duro in substantia & scirrhoso vid. Act. Medic. Berolin. *Decad. II. Vol. 4. p. 71.* In muliere circiter quinquaginta annos nata uterum scirrhosum, & ligamenta ejus relaxata reperit Adamus Brendelius, *cujus vid. Observ. anatom. Dec. II. Obs. 1. p. 7. & 8.* Anno 1648. uxor operarii cujusdam Leidensis per aliquod temporis spatium maximo abdominis tumore afficiebatur, donec tandem, eo quotidie incrementum sumente & magis indurescente, naturæ debitum solveret; cujus cum cadaver aperiretur, uterus cum abdomine totus scirrhosus repertus est, nullo viscere, quod mirum, in abdomine conspicuo. Hic tumor ita durus erat, ut cultro, quamvis acutissimo, non nisi vi discindi potuerit, juxta observationem Simonis Schulzii *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obs. 60. p. 118.* Bina ejusmodi exempla recenset Georgius Dethardingius *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. App. p. 69. seq.* Militis nimirum uxor suppressis mensibus ac abdominis quotidiana intumescentia se imprægnatam credebat, sed quod vigesima tertia graviditatis suæ septimana elapsa nondum foetum se movere sentiret, premi potius pubem pondere insolito, Dethardingium consilii ergo accedebat, & jam allatas querelas enarrabat. Dum hic abdomen tangit, supra dextrum inguen tumorem digitis percipit durissimum, oblongum, ad pubem protensum, ibidemque plane rotundum, versus pudenda acuminatum, unde alium latere foetum durioris cervicis, nec meditan-

ditandam esse hujus exclusionem, scirrhum nempe uteri esse dixit; quod prognosticon eventus comprobavit, dum lento tandem morbo confecta diem obiit. Spem tamen medici resecando cadaver haud vanas de scirrho conjecturas confirmandi, illusit amicorum agnatorumque religiosior morositas. Felicioribus avibus in virgine quadam desponsata, quæ phthisi obierat, idem autor uterum offendit naturalis equidem magnitudinis, sed duritiei insolitæ, ut acutissimo cultro illum solvere vix potuerit. De utero scirrhoso & deformi, qui in magnam molem auctus extra pudendum propendebat, vid. Frid. Ruysch. *Obs. anat. chir. Obs.* 7. *p.* 13. Scirrhum matricis cum difficultate parturiendi & ruptura uteri annotavit Guilhelmus Fabricius Hildanus *Obs. chir. Cent.* 1. *Obs.* 67. *Oper. fol.* 51. *seq.* A scirrho circa internum uteri orificium sterilitatem ortam idem observavit *l. a. Obs.* 65. item *Obs.* 66. in cervice ante orificium fundi uteri scirrhum magnitudine ovi anserini, ipsi adeo adhærentem, ut unum videretur corpus, nec ullo modo ab ea divelli potuerit, idem vidisse scribit. Et *fol.* 901. *seq.* idem autor scribit se observasse, quod scirrho uteri laborantes vix parere possint, idque alia adhuc observatione, de femina ob scirrhum matricis una cum fœtu moriente, confirmat; in hujus enim dissectione exempto fœtu scirrhum durissimum, qui magnitudinem capitis fere adæquabat, invenit. Corpus autem uteri in scirrhum concretum atque induratum fuerat, atque ratione hujus scirrhi uterus ita angustus fuerat, ut tempore partus sese extendere non posset. Tumorem uteri scirrhosum chalybis usu sanatum observavit Zacutus Lusitanus *de Prax. med. adm. Lib.* 2. *Obs.* 88. *f. m.* 62. scilicet femina quædam ex menstrui retentione in uteri regione tormina persensit atq; in pubis regione tumor apparuit aliqualiter durus & indolens, qui ab ovi magnitudine incipiens ita quinquennio excrevit, ut cucurbitam rotundam magnam repræsentaret, in cujus profundo, tactu murmur percipiebatur. Uteri substantiam

partim scirrhosam, partim quasi glandulosam, sive ex globulis rotundis, ovi luteis induratis, non adeo dissimilibus compositam vidit Regnerus de Graaf *de Mulier. Organ. cap.* 8. *p. m.* 250. it. *M. N. C. Dec.* 1. *An.* 1. *Obs.* 128. *p.* 286. *seq.* Uterum scirrhosum tamque duræ substantiæ, ut novaculæ aciem vix admitteret, licet acutissimam, in femina, quæ vivens ob pergrande abdomen gravidam se existimaret, deprehendit Simon Aloysius Tudecius. v. *M. N. C. Dec.* 1. *An.* 9. & 10. *Obs.* 126. *p.* 301.

§. 37.

Lapideus. Uterum in muliere totum lapideum esse redditum, ponderis septem librarum, cum interim mulier ipsa diu viveret sine manifesta ægritudine, ex Johanne Schenckio refert Antonius Deusingius *de Fœt. Mussipont. Sect.* 5. vid. Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. Append. p.* 45. vid. ipse Schenck. *Obs. medic. Lib.* 4. *f.* 608. In sectione cujusdam mulieris triginta septem annorum uterum lapideum, ponderis septem librarum, se invenisse ait Gregorius Horstius *Oper. Tom. II. Libr.* 11. *Obs.* 2. *fol. m.* 522. Matronæ gibbosæ difficiliore respiratione per totum vitæ spatium laborantis uterus lapideam penitus duritiem induerat, referente Christiano de Helwich *Ephem. Acad. N. C. An.* 10. *Obs.* 32. *p.* 310. De utero mulieris hydropicæ tuberoso historiam ad Johannem de Muralto scripsit Johannes Conrad Peyerus *Parerg. med. pag.* 125. *seq.* & 132. De utero steatomatico sequentem observationem recenset Johannes Tackius *M. N. C. Dec. III. An.* 7. & 8. *Obs.* 152. *p.* 274. Anno 1653. secui feminam demortuam, cujus uterus instar steatomatis in unam massam coaluerat, nulla cavitate intus apparente. Massa erat plane pinguis & carnea, ponderis librarum trium cum dimidia. *Callosus.* Uterum naturali triplo aut quadruplo majorem, externa fronte callosum, gibbosum, variis diversæ magnitudinis & figuræ protuberantiis spectabilem in virgine sexaginta quinque annos nata observavit Sylvius Samuel Anhornius *M. N. C. Dec. II. An.* 6. *Obs.* 34. *p.* 91. *Spongiosus.* Uterum plane spongiosum cavernosumve non solum in femina gravida, sed

etiam

etiam in virgine nymphomania seu furore uterino extincta uterum quasi spongiosum factum & in molem majorem, quam naturaliter esse debet, elatum & tumidum, humoribus subalbidis scatentem, se annotasse refert Adamus Brendelius *Observ. anat. Dec. II. Obs. 8. p. 25. & Dec. III. Obs. 10. p. 27.*

§. 38.

Carcinomate uteri laborantes mulieres aliquot se tractasse refert Henricus ab Heer *Obs. 14. p. 135.* quarum una anno 1605. anus septuagenaria, a cunis temperamenti biliosissimi, post inguinis, in ventris lumborumque dolores, de vulvæ excoriatione prurituque maximo questa, cum post universalia pessum argenteum, solo mercurialis succo, gossypio excepto fartum, imponendum Heerius curasset, minimo post tempore, pessus nitidissimus & jam ab aurifabro missus, omni pice nigrior extractus est fœtentissimus, ichore tenui nigro, gravissimo olente madens. Itaque de cancro uteri nihil dubitavit; millies miratus, quomodo candidissimum argentum, momento tam pertinaci nigredine tingeretur, ut nullis ancillarum lotionibus aut fricationibus vel minimum mundaretur, atque sola aurificis arte perpurgari posset. Juxta Joh. Nicolai Pechlini *Obs. Lib. 1. Obs. 22. p. 50. seq.* cancro uterino anus sexagenaria, a multis annis uteri fluxu albo laborans, atque de torminibus & crudeli circa hypogastrium dolore conquerens laborabat, quæ referebat materiam naturalibus profluere saniosam, albam, cinericiam, flavam, cœruleam, aliquando etiam striis sanguinis distinctam, tenuem crassam, semper tamen & supra quam credi potest male olentem, quamvis in tam longa consuetudine de odore minus sibi constaret. Post mortem omnia circa uterum inflammata aut sphacelata, & perrupto utrinque pariete aditus in vesicam pariter atque intestinum rectum patefactus, atque hinc modo urinæ cum fœda uteri sanie, nunc cum alvi excrementis commercia & reciproci motus. Sed ne voraginem hunc, quæ altius penetraverat, sollicite nimis exploraret Pechlinus, prohibuit invalescens usque fœtor. Id

Cancrosus.

tamen

tamen constat, laceras quoque uteri partes & squamosa vesicæ strigmenta, velut ἀποτρίμματα defluxisse; & vero ad levissimum specilli contactum veluti in lamellas putridaque ramenta uteri corpus secedebat, occupante undique cloacæ margines nigredine cadaverosa.

§. 39.

In utero fungi. In utero fungi interdum ejusmodi excrescentiæ fungosæ & carnosæ, tam ex ipso utero, quam vagina ortæ, tantum acquirunt incrementum, ut uteri prolapsum mentiantur, atque circa pudenda apparentes resectione vel deligatione chirurgica sint auferendæ. Coloniæ enim Agrippinæ mulier erat, quæ hystericis passionibus mirum in modum cruciabatur. Qui eam curabant, procidentiam uteri earum miseriarum causam esse, & scire se, & manu tangere opinabantur; propendebat enim extra corpus quidpiam, quod illi non aliud, quam uterum esse, vel esse posse existimabant: hæc interim mulier omnia, quæ menses obstructi & reliquus uteri furor excitare solet, miserrima symptomata perpessa tandem morte ab his liberata fuit. Cum autem hoc cadaver a chirurgis secaretur, causa apparuit tantorum malorum prorsus alia, quam opinati fuerant: non enim prociderat uterus, sed interno ejus orificio adnatum erat sarcoma, quod diductum per totam vaginæ longitudinem extra corpus sese ostenderat, juxta observationem Theodori Kerckringii *Spicileg. Obs.* 53. *p.* 113. *seq.* ubi se ipsum, aliam secantem puellam, similis sarcomatis rudimentum instar dactyli orificio uteri interno adhærescens, invenisse addit. De ejusmodi excrescentiis fungosis ita scribit Nicolaus Tulpius *Obs. med. Lib.* 3. *cap.* 33. *pag.* 247. *seq.* fungum, primum quidem indolentem vident medici; sed mox non sine doloris sensu; qui eo plerumque fit gravior, quo plus æstuet, a præassata bile. Cujus uberior affluxus excitat in ipso non modo dolorem, pruritum ac inflammationem, sed interdum utique livorem & post illum veram carcinomatis naturam, uti evidenter demonstrant mammæ, lingua, labia, guttur, vulva;

vulva; aliæ partes, vel raræ ac teretes, vel glandulis ita refertæ: ut facile degenerent in fungos, proximum carcinomatis subjectum. Deinde dictus autor sequentem observationem de fungo ex vulva exciso recenset: Matrona pia ac verecunda, lacessita aliquandiu ab immodico menstruorum profluvio, incidit tandem in urgentem urinæ difficultatem, & ex illa quasi in veri partus conamina; a quibus licet nihil expelleretur solidi, dilatabatur tamen inde usque eo angustum vulvæ os, ut obstetrix in auxilium vocata potuerit illic sentire fungum vulvæ tam firmiter basi sua adnatum, ut nulla vi inde dimoveretur: quapropter chirurgus requisitus, explorata tumoris natura, scalpellum nec timide dimisit in sinum pudoris, nec infeliciter excidit fungum hunc uteri æquantem magnitudine sua ovum gallinaceum. Idemque autor *l. a. cap. seq. p.* 251. majorem quoque fungum ibidem excisum describit. Vidua quædam pia & honesta, atque temperamento melancholico prædita, ætatis circiter anno quadragesimo septimo, viduitatis octavo, tempore menstruationis frigidiori aeri se exponens in hypogastrio leves quosdam sentiebat dolores, quos exiguus in pudendo excipiebat tumor, quotidie crescens, adeo ut extra pudoris sinum propenderet substantia quædam sphacelosa, maxime fœtens, & duos pugnos magnitudine superans, de qua chirurgus ultra libram abrasit. In hujus autem ægrotæ aperto cadavere substantia illa sphacelosa, nil aliud fuit, nisi excrescentia fungosa, ex uteri collo majori & hujus antica parte prope vesicæ orificium enata; verbo, ipsa uteri colli substantia rugosa, spongiosa & fungosa, a mensium & corruptorum humorum affluxu ampliata atque dilatata, juxta Georgium Segerum *M. N. C. Dec. I. An.* 2. *Obs.* 121. *p.* 199. *seqq.* Talem excrescentiam carneam observavit etiam Theodorus Zwingerus in rustica quinquagenariæ proxima, a biennio lumborum doloribus atque mingendi desiderio divexata, quæ postmodum in vagina uteri sentire quid cœpit, quod obstetrices fungum coagulati sanguinis esse sphacelatum arbi-

Mm tratæ,

tratæ, manu illum extrahendum ſtatuunt; quarum peritior loco grumi carneam molem duas ſpithamas longitudine propemodum æquantem pertinaciter protrahit. Animadverterunt autem obſtetrices, corpus illud præternaturale non ex vagina ſaltem, ſed ex utero ipſo deſcendere &c. *v. M. N. C. Dec. II. An.* 2. *Obſ.* 176. *p.* 413. Sic Cornelius Salpartius van der Wiel *Obſ. rar. Cent. prior. Obſ.* 87. *p.* 368. *ſeq.* de fungi cancroſi ex interiori matricis colli parte extractione ſequentem obſervationem communicat: Honeſta quædam vidua Hagæ habitans quadraginta circiter annos habens, temperamentique calidi ac ſicci, nec non atra (quam olim dixere) infeſtata bile, de tumore quodam extra corpus propendente mihi queſta eſt, quem non parum incommodi ſibi adferre, quoque veluti ſtimulis aſſidue ſe pungi dixit; fœtore inſuper ingenti illum abundare, ac inſtantibus catameniis extendi amplioremque fieri multo aſſeruit. Hunc tumorem exacte perſpectum fungum, ſive colli matricis excreſcentiam cancroſam eſſe comperientes medici atque chirurgi, anteriori quidem parte latiorem, poſteriori vero anguſtiorem; ſtatuunt idcirco baſin hujus excreſcentiæ, ſi contingere daretur, valido cingere filo, ac quotidie paulo arctius vincire, ut tumor a ſana parte ſepararetur. Id ut perficeretur, utramque fili extremitatem craſſiori firmiorique alligarunt ſpecillo, ut, hoc contorto, illud contraheretur coarctaretque excreſcentiam. Hoc ita ſucceſſit, ut illa intra quatuor vel quinque dies alimento deſtituta protinus decideret. Fungi hujus magnitudinem ibidem dictus autor depingit. Pſeudomedicus quidam pauperculum curavit intenſo uteri dolore laborantem, cum interno ardore intoleberabili conjuncto. Medenti apparuit ſpongioſa caro amygdalæ magnitudine, quæ uterum in tumorem tantiſper elevabat. Illam corrodere volens, oleo vitrioli pertractavit; ſed cum nullum fructum ægra perſentiret, forcipe carnem violenter reſecuit. Poſt ſectionem tanta hæmorrhagia ſequuta, ut exhauſtis viribus, e vita diſceſſerit. vid. Zacut. Luſit. *de Prax.*

med.

med. admir. Lib. II. Obs. 86. Oper. Tom. 3. fol. 62. ubi etiam *Obs.* 87. feminæ trigenariæ satis robustæ & fortis meminit, quæ in labio uteri tumore scirrhoso Gallicano vexabatur, qui ad ovi magnitudinem deveniens dolore & ardore percepto illam misere noctu præsertim excruciabat. Tumor nec sudorificis ex smilace aspera, mercurialibusve unguentis aut topicis discuti potuit. Observata autem diæta femina solo syrupo, ibidem descripto, fuit curata. Huc pertinet etiam polypus uteri carnosus, cujus meminit Fridericus Ruyschius *Obs. 6. p. 12. seq.* Anno, inquiens, 1673. me vocarunt ad mulierem, a longo tempore ex fluore albo immani, uteri prolapsu laborantem, e cujus orificio interiori variæ excrescentiæ (quas ob similitudinem cum polypis narium eodem nomine apte vocari posse putamus) membranaceo-carnosæ propendebant. Hi polypi adeo dolebant, uterusque tantum humoris aquosi & acris quotidie profundebat, ut ordinaria remedia proficere nil potuerint, & vehementiora usurpare non ausi fuerimus, propter malignitatis indicia; & recte, ut eventus docuit: Ulcus enim malignum mortem acceleravit, brevique post exspiravit ægra. Hos & alios polypos, quos mulier quædam diversis vicibus excreverat, dictus Ruyschius ibidem delineavit. In feminæ cujusdam nobilissimæ uteri nulla labe infecti, sed circa fundum duriusculi, cavitate polypus exiguus fuit repertus, uti refert Januarius Janellius Epist. ad Joh. Mariam Lancisium. *v. Ephem. Acad. N. C. Cent. IX. & X. p. 509. & 517.*

§. 40.

Nonnunquam etiam in utero aliæ excrescentiæ carneæ, molæ & nattæ annotantur, quales molas tam a virginibus illibatis, quod, si verum sit, admirari subit, quam vetulis, viris non utentibus, excretas depingit Fredericus Ruyschius *Obs. 58. pag. 74. seq.* inquiens: Sæpissime in abortu, fœtu enixo, remanet per aliquot septimanas, imo menses, placentula, quæ a compressione uteri non solum uteri figuram adipiscitur, verum etiam *Molæ.*

ſæpius ita induratur, ut carnis ſubſtantiam duritie longe ſuperet & pro mola habeatur. A feminæ ſeptem & viginti annorum, cum marito ſeptuagenario ad ſextum annum in ſterili matrimonio viventis, uteri ſiniſtro labio, pendentem nattam, uncias quatuordecim & dimidiam pendentem annotavit Godofredus Schubartus *M. N. C. Dec. I. An.* 6. *&* 7. *Obſ.* 19. *p.* 29. Aliquando talis excreſcentia habet figuram & magnitudinem ovi anſerini, uti in piſtoris cujusdam uxore annotavit Johannes Jacobus Wepfferus *M. N. C. Dec. II. An.* 5. *Obſ.* 150. *pag.* 306. *ſeq.* Secundum autopſiam Georgii Abrahami Mercklini virginis a cancro mammæ extinctæ uterus globum ſive rotundum cartilagineo-oſſeum, adeoque prædurum tumorem, magnitudine ovi gallinacei in ſe continuit, *vid. M. N. C. Dec. II. An.* 1 *Obſ.* 89. *p.* 213. De mole ſeu excreſcentia carnea, duas ſpithamas longitudine propemodum æquante, ex utero ipſo deſcendente atque ab obſtetrice extracta, vide obſervationem Theodori Zwingeri, *M. N. C. Dec. II. An.* 2. *Obſ.* 186. *pag.* 414. *ſeq.* De alio tumore ita ſcribit François Mauriceau *Obſervat. ſur la Groſſeſſe Obſ.* 398. *pag.* 233. j'ay accouché une femme d'une fille, qui vint naturellement, mais avant qu'elle accouchaſt, on luy ſentoit au deſſous du conduit de l'urine une tumeur charnuë dela groſſeur d'un œuf de pigeon, ſe forjetter jusques au dehors de la partie honteuſe, procedant de la partie ſuperieure de l'orifice interne de la matrice, qui eſtoit tellement tumefiée & allongée, qu'elle en paroiſſoit manifeſtement au dehors &c.

Natta.

§. 41.

Flatus ex utero.

Interdum etiam uterus totumque abdomen a flatibus ſeu ventis in utero incarceratis in tantum excreſcit, ut tales feminæ tam a ſeipſis, quam aliis pro gravidis habeantur, uti Philippus Hœchſtetterus *Obſerv. med. Decad.* 6. *Caſ.* 4. *p.* 689. in textoris cujusdam uxore ventum ex utero excluſum annotavit. Hæc enim femina biennio geſtarat uterum, ſibique primum vivum ineſſe utero fœtum perſuadebat; at legitimum partus tempus

præ-

prætergrediens ſententiam mutavit. Variis conſiliis uſa, quid in utero latitaret, ex nullo tripode certum oraculum. Tandem biennio elapſo cum dolore, parturientium ſimili, ter pepedit, ut poeta loquitur, ſive ut ipſa expreſſit, ter cum maximo conatu flatum ex utero per pudenda excluſit. Femina quædam uteri dolore ex intervallis quatiebatur immaniter, qui ſenſim ceſſabat, excitato, in lævo uteri labio, flatuoſo tumore, aliquando ita magno, ut mali cydonei magnitudinem ſuperaret, duro & inſenſili, ut ſcirrhum diceres, quem non fuiſſe reſolutionis brevitas comprobabat manifeſte; tota enim moles cum ex flatu craſſo eſſet ſuborta, duarum horarum ſpatio, excreto crepitu evaneſcebat. Ab uteri frigida intemperie vitium emanabat, ex qua nebuloſus flatus elatus tumorem concitabat, juxta verba Zacuti Luſitani *de Prax. med. admir. Lib. II. Obſ. 90. fol. m. 63.* Puella quædam viro matura motibus convulſivis, vagis tamen, affligebatur, ex quibus conjecit Petrus Pachequus illam ſuffocatione laborare, miſſis ex antro pudoris vaporibus, quam tamen in momento liberavit. v. Lazar. River. *Obſ. communic. p. 263.* De flatibus ex pudendo puerperæ erumpentibus obſervationem refert Philippus Salmuth *Obſ. med. Cent. 2. Obſ. 75. p. 85.* ſcilicet puerpera quædam ſecunda a partu ſeptimana, cum aeri frigidiori incautius ſe exponeret, in ſævisſimum infimi ventris dolorem atque cruciatum incidit, qui cum nullo plane remedio mulierculárum ceſſaret, imo magis adaugeretur, pro mortua ac deſperata eſt relicta. Salmuthius autem conſulit, ut ſtatim ſuppoſitorio utatur, deinde hauſtum cereviſiæ, in qua flores chamomillæ prius ebullierint, bibat; item ſacculum ex miſio, ſale, furfure, lupulo & floribus chamomillæ in ſartagine frixis & calefactis calide imponat atque ſæpius repetat. Quibus ſane factum, ut ſpiritu bis ex pudendo erumpente, dolor iſte ſævisſimus ceſſaret, & illa ſanitati reſtitueretur. Ex utero per naturam muliebrem flatus proruiſſe binis exemplis ſe obſervaſſe teſtatur Thomas Bartholinus *Act. Hafn. Vol. II. Obſ. 34. p. 136.* Vidit etiam Chriſtianus Franciſcus Paullini

pauperculam vetulam extreme ſcorbuticam, de continuis fere & grandibus flatibus, cumprimis ex pudendo, cum notabili ſibilo & ſubſequente fragore exploſis, ſerio conquerentem. vid. *M. N. C. Dec. II. An.* 5. *Append, p.* 57. Ejusmodi exempla etiam refert Franciſcus Mauriceau *dans les Obſervations ſur la Groſſeſſe Obſ.* 150. *p.* 62. ubi inquit: Une petite femme avoit en elle une choſe bien particuliere, qui eſtoit, que n'eſtant pas groſſe, elle rendoit aſſez ſouvent des vents par la matrice, avec auſſi grand bruit, que ſi c'euſt eſté de l'anus; ce qui procedoit vrayſemblablement de quelque humeur gluante & visqueuſe, qui eſtant renfermée dans la matrice, & venant à s'y rarefier par la chaleur de cette partie, s'y convertiſſoit en ces ventoſitez, qui venant a ſortir ſubitement & avec impetuoſité de ſon orifice interne, faiſoient un bruit ſemblable à celuy des vents, qui ſortent ordinairement de l'anus. J'ay encore vû pluſieurs autres femmes, & meſme quelques femmes groſſes ſujettes au meſme accident, dont elles ne ſouffroient aucune autre incommodité, que l'indecence de ce bruit, qu'elles rendoient toujours involuntairement en quelque compagnie qu'elles fuſſent. In muſici cujusdam uxore gravida, ob uteri fortisſimam conſtrictionem extincta, inter corporis ſectionem, minima facta uteri inciſione, ſtatim flatus inibi collecti tanto cum fragore fuere exploſi, ut horrore adſtantes concuterentur omnes; erat enim tantus, quantus ex inſtrumento ſclopezante minori pulvere pyrio accenſo fieri poteſt, juxta relationem Samuelis Steurlini *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. VII. Obſ.* 20. *p.* 47. De falſa ingravidatione & flatuum loco fœtus excluſione Ambroſius Stegmannus *M. N. C. Dec. III. An.* 7. *&* 8. *Obſ.* 33. *p.* 56. ita loquitur: Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus: ſic ſæpe ſpes falſa alit mulieres, ut non raro per tres anni quadras & ultra ventres geſtent prætumidos, aliaque experiantur ingravidationis ſigna alias infallibilia, in quibus tamen uterus mentitur ingravidationem, & loco partus legitimi ſpurium excludit ſpiritum, quale fatum hic Islebiæ paupercula

quæ-

quædam experta eſt, quæ a primo ad ultimum usque geſtationis diem temere credidit de ingravidatione. Accedit itaque nonus menſis, recedit & adhuc ſemel, aſt de fœtus exitu altum ſilentium; crevit tamen interim venter a die in diem majorem in molem, ut ruptionem etiam exinde metueret miſera, quia continuis laboribus corpus movere illam ex neceſsitate oportebat. Accidit autem, ut mulieroula hæc, poſt elapſos duos annos & tres menſes, ſicque completos ter novem menſes, a cereviſiario quodam in terram projecta a mole & falſo ſuo partu ex improviſo liberaretur. Cum enim ex lapſu, poſterioribus ſuis nimium quantum conquateret terram, ex utero illius flatus quidam, bombardæ minoris ad inſtar ſonitum edens, erupit, ſecutisque flatibus aliis venter paulatim detumuit & priſtinam ferme formam recuperavit. Quandoque etiam in ipſis gravidis tales uteri flatus ſeu venti obſervantur, unde cauti eſſe debent medici, ne in ejusmodi cura loco materiæ viſcoſæ, tanquam flatuum cauſæ fœtum ſimul expellant. Exemplum autem feminæ, ex cujus utero, quarto graviditatis menſe, flatus prodierant, commemorat Franciſcus Mauriceau *l. a. Obſ.* 110. *p.* 64. Le 18. May 1674. j'ay accouché une femme âgée de vingt-cinq ans, de temperament pituiteux, de ſon ſecond enfant, qui eſtoit une fille, qui vint au terme de huit mois & vingt jour, a ce que me dit la mere, qui ſçavoit préciſement le jour, qu'elle eſtoit devenuë groſſe. Cet enfant ſe portoit aſſez bien, quoique la mere euſt rendu par pluſieurs fois des vents par la matrice, avec auſſi grand bruit, que ſi c'euſt eſté de l'anus, lorsqu'elle eſtoit au quatriéme mois de cette groſſeſſe, ce qui faiſoit, que ſon medecin, ne croyant pas, qu'elle fuſt groſſe en ce temps, luy avoit conſeillé de faire pluſieurs remedes, qui auroient pû eſtre préjudiciables à ſa groſſeſſe, ſi je ne l'en euſſe detournée, en l'aſſurant, qu'elle eſtoit effectivement groſſe d'enfant, non obſtant l'accident des vents, qu'elle rendoit pour lors par la matrice. De fragore in partu difficili primiparæ ſequentem obſervatio-

nem

nem cum annexo judicio refert Christianus Gotlieb Reusnerus *Ephemer. Acad. Nat. Cur. Cent. V. & VI. Obs. 22. p. 259. seq.* Cursoris cujusdam uxor annorum viginti, in aula Illustrissimi Comitis de Schaffgotsch &c. legitimo tempore ad partum se accingit, qui ad viginti quatuor horas procrastinatur; paulo post conatus uteri augentur, & clinicæ audiunt fragorem ex utero ingentem, sonitui bombardæ minoris similem, **als wenn man einen Puffer losschiesset**, mox embryonem masculum excludit sanum & vegetum, obstetrix, quæ ultra septingentis mulieribus in partu auxiliatrices præbuit manus, se nunquam talem fragorem audivisse affirmabat. Unde fragor ille sonorus? non immerito quæritur. Judicet benevolus lector, quicquid velit; me quod attinet, suppono cum Arnisæo, Pinæo, Guillemeau, Riolano, Paræo, Bauhino, Spigelio, Harvæo, ossa pubis in partu maxime laborioso primiparæ a se invicem divelli posse, non tam ad latera, quam antrorsum, inde fragor iste concipiendus. Hæc Reusnerus. Cujus tamen pace talem fragorem potius a flatus vehementis ex uteri proruptione, quam ab ossium pubis divulsione, derivare vellem, cum etiam Ambrosius Stegmannus in observatione modo allegata similis flatus, bombardæ minoris ad instar sonitum edentis meminerit. De muliere ter ventum pariente sub titulo molæ ventosæ, observationem communicat Zacutus Lusitanus *de Prax. med. admir. Lib. 2. Obs. 150. fol. m. 79.* novimestris, inquiens, dolore partus vexata convocatis obstetricibus pariendi tempus expectat. At cum vehementi nixu cogitur expellere fœtum, bombum & strepitum multum magna cum violentia per uterum edidit, ac si tonitruum exaudiretur. Aliquantisper subsidente ventre, immanis dolor iterum eam apprehendit, vacuatoque per uterum flatu lenius conquievit. Tertio lumborum dolore diro post tres dies afflicta, cohibita respiratione ad vacuandos flatus summa vi enititur, quos cum forte præ eorum crassitie expellere nequit, fotibus aliisque carminantibus adjuta, ut in colica ventosa fieri consue-

vit,

vit ab omni tumore & dolore immunis evasit. Ipsa alacriter vivens, post unum annum & post duos, iterum in idem infortunium incidens similiter excreto flatu & detumescente ventre melius habuit &c. Et *Obs. seq. fol.* 80. Baronis cujusdam uxoris meminit, quæ, cum utero gestare opinaretur, in octavo mense miro sonitu exaudito, flatum pro expectato infante excrevit. Acciti medici ad discutiendos flatus mira consulunt auxilia. His celebratis monent, ut habitet cum viro; hæc post mensem gravida putabatur, sed & procedente tempore, crescente ventris tumore, gravidationis increvit suspicio. Sed in octavo mense, loco fœtus, sonorum flatum dimidii quadrantis spatio per uterum exclusit cum albæ pituitæ colluvie multa &c. Plura exempla vid. Dan. Sennert. *Pract. Med. Lib. IV. Part. I. Sect. 2. cap.* 10. *p.* 59. Gottfr. Welschens Hebammenb. *Part. II. cap.* 41. *p.* 580. *seq.* Rembert. Dodon. *Obs. med. cap.* 49. *p.* 119. *seq.*

§. 42.

An autem veritati respondeat, quod ex Lycostene & Cornelio Gemma refert Johannes Benedictus Sinibaldus *Geneanthrop. Lib. IV. Tr. 2. cap. 3. p.* 457. scilicet in Thuringia ex mulieris cujusdam, difficili partu laborantis, utero tam ingentem cum fragore flammam exiliisse, ut videretur bellicum tormentum excussum, adeoque & pueri nates & obstetricis manus ambussisse; ipse lector judicet. *An ex utero flamma?*

§. 43.

Sæpius etiam a colluvie serosa, tam in substantia, quam cavitate uteri contenta venter, ita distenditur, ut feminæ primis mensibus pro gravidis habeantur, cum tamen potius sit uteri hydrops. Augustæ enim in mulieris textricis utero serosæ aquæ supra sexaginta Augustanas mensuras, quæ singulæ tres pendent libras, post mortem, una cum multis medicis reperit Andreas Vesalius, nullibi interim circum intestina præsente aqua, aut laxo in manibus aut pedibus tumore, vid. Andr. Vesal. *Anat. Lib. V. cap.* 9. *f. m.* 394. Cum femina quædam leprosa tumo- *Uteri hydrops.*

rem in ventre haberet, qui prægnationem oſtendere videretur; atque accederet motus interior ventris talis, qualis in vera impprægnatione adeſſe ſolet, embryone in utero ſeſe primo movente, judicatum fuit, gravidam eſſe hanc. Tandem vero, cum tempus partus præteriret, neque venter detumeſceret, hæc femina diem ſuum obiit. In hujus demortuæ cadavere hepar & vicina membra erant integra, ſed uterus aqua plenus vehementer intumuit: quo diſſecto, aqua citrina & putrida copioſe effluxit, uti ex Jacobi Oethæi obſervationibus refert Theophilus Bonetus *Sepulchret. Lib. III. Sect.* 21. *Obſ.* 55. *fol.* 1140. Multa ejusmodi exempla ibidem *fol.* 1130. 1134. 1136. *ſeqq.* congeſta reperies. Mulier quædam aqua intercute adeo laborabat, ut nulla de ſalute ejus ſpes ſupereſſet; caſu autem de eminente quodam loco ad terram devolvitur, & utero ad lapidem eliſo disjectoque, ita prorſus omnis effuſus eſt humor, ut, quæ puerum octimenſem geſtare videbatur, enixam crederes. Sed nec multo poſt aut tempore aut labore idoneis ad hanc rem adhibitis præſidiis, penitus ſanata eſt mulier, referente Antonio Benivenio *Obſ. medic. cap.* 109. *p.* 285. Ex Jacobo de Partibus refert Cornelius Stalp. van der Wiel *Obſ. rar. Cent. poſt. Obſ.* 28. *Schol. p.* 293. præcipuam quandam matronam, non diſſentientibus medicis obſtetricibusque, ſe putaſſe gravidam. Inſtante autem, ut credebatur, partus tempore, plurimum aquæ ex utero prodiit, unde brevi tenuior matronæ evaſit venter. Uxor ablutoris pannorum ſigna habens hydropiſis, cum quadam die abluerat pannos viro ſuo, ſeque ſuper vas plenum aqua ad abluendum inclinaret, defecit & cecidit, & emiſit per vulvam quantitatem viginti cotularum aquæ croceæ, & alleviata eſt, & ultimo convaluit, uti ex Raſe allegat Marcellus Donatus *Hiſt. med. mirab. Lib.* 4. *cap.* 21. *p.* 422. Rara etiam eſt obſervatio hydropis uterini fœtum comitantis, quam de propria uxore communicat Gvilhelmus Fabricius Hildanus *Cent. II. Obſ.* 56. *f. m.* 128. *ſeq.* Ipſius ſcilicet ſeptimo uterum geſtantis, venter tempore in monſtroſam magnitudinem

nem intumescebat, adeo ut ipsam duos aut tres ad minimum enixuram fœtus cuncti arbitrarentur. Spatio hebdomadum sex ante partum crura pedesque hydropicorum more intumuerant, quin etiam dolores tum ventris laterisque dextri, tum quoque renum & crurum, adeo aucti fuerant, ut noctes diesque continuo ejulare atque lamentari coacta esset, lectumque amplius sibi egredi non liceret. Denique dolores parturientium, quamvis leviores, continui tamen ipsam infestaverant, qui sensim accreti usque ad tertiam diem, qua dolore vehementissimo per os uteri apertum ultra libras octodecim mercatorum aquæ limpidissimæ, nulloque cruore admixto, maximo ac uno impetu effluxere, atque in isto motu fœtus ad exitum sese paraverat. Et postquam per semihoram quievisset, rursus dolore & conatu maximo correpta est; tum primo aqua, quæ fœtum comitari solet ad libras novem effluxa, puellum simul peperit robustissimum. De hydrope uteri occulto casuque curato sequentem casum refert Johannes Georgius Josephus Schwallerus *M. N. C. Dec. III. An.* 5. *&* 6. *Obs.* 57. *p.* 114. *seq.* Virgo tenuioris fortunæ, ante quindecim jam circiter annos, ætatis consistentis, sine marito gravida credebatur. Evanuit autem falso dispersus rumor, dum magis magisve quotidie regio hypogastrica (absque tamen unico hydropis præsentis prodromo) intumescere visa est; cortius adhuc, quando supremo medico medicinam porrigente, fœtum sine patre nuperrime feliciter enixa est. Domo egrediens paupercula summo mane templum aditura fortuito inter lapides prona in tumidum ventrem humi cadit, surgit & iter continuat; domum vero rediens a domesticis rogata, quæ deperditi adeo faciei coloris causa esset? mox respondit: Sie wäre frühe, da sie in die Kirche gewolt, im Ausgehen, ohngefehr auf einen grossen Stein gefallen, mitten ihres geschwollenen Bauchs, und habe in ihr etwas sehr gethönet, ietzund aber vermeyne sie, es blasen alle Winde in ihr zusammen, und saugern so fest, im übrigen sey ihr nit gar übel. Sequenti die sub vesperam copiosa aqua

per genitalia effluere, ægra debilitari, esurire, lecto decumbere cogitur, in quintum usque a casu diem, quo tempore curiositatis gratia illam invisi, fluxus omnino cessare, evanescere tumor, redire colorata facies, continuare ciborum appetitus, verbo funditus sanari cœpit, cum omnium admiratione. Redii aliquot abhinc diebus, & similia proferentem mihi libenter audivi: Es wåre wahr, sie håtte vor das Wasser gelassen, es seyen unglaubliche Maaß Wasser, doch kålter, als der Harn, den sie nach Wunsch erhalten kônne, nit aber das andere, diese 4. oder 5. Tage von ihr geloffen, ietzt sey sie vôllig gesund, der Bauch natürlich klein, habe gute Lust zu Speise und Tranck, schaffe, arbeite nach Belieben, allein den Magen, so von der grossen Geschwulst diese 15. Jahr hinter sich getrieben, kônne sie nicht wohl biegen ꝛc. De uteri hydrope & adhibita paracentesi non æque felici vid. *Ephemer. A. N. C. Cent. V. & VI. Obs.* 67. *p.* 114. Juxta Rembert. Dodon. *Obs. med. cap.* 49. *p. m.* 120. vidua quædam, dum se gravidam relictam existimaret, novem mensibus, defuncto marito adimpletis, supervenientibus partus doloribus, non nisi aquosos humores enixa est, a quibus liberata lacte ubera habuit repleta haud aliter, quam si fœtum peperisset. Huc pertinet etiam observatio Christophori Rœsleri de femina quadam, quæ usque ad quintum mensem gravida fuit; circa cujus finem duos peperit filios, eosque mortuos. Præcessit partum magna copia serosi humoris, ut hydria magna impleretur. Primus natus est hora undecima noctis, secundus hora prima matutina. De hydrope uteri ex mensium retentione, per umbilicum evacuato observationem Miscellaneis *N. C. Dec. II. An.* 1. *Obs.* 114. *p.* 283. inseruit Johannes de Muralto; circa quam tamen ipse adhuc dubius videtur. vid. etiam Johan. Schenck. *Observ. medic. Lib. IV. fol.* 618. *seqq.* & Theoph. Bonet. *Sepulchret. fol.* 1183. Venetiis fuere nobiles mulieres, quas medici putabant solum hydropicas esse, & tamen inventæ sunt una cum aqua conceptum habuisse, juxta Hieron. Mercurial. *de Morb. Mulier. Lib. I.*

cap.

cap. 2. in Israel. Spacch. Gynæc. fol. 212. Quæstoris cujusdam femina gravida hydropem uteri incurrebat, tanto cum tumore, ut ad mammas usque se extenderet, & abdomen ruptionem minaretur, omnemque fere totius corporis massam sufflaminabat, ut ægra supina per aliquot dies jacens in agone posita videretur. Tandem tamen gemellos pariebat, unum vivum, alterum mortuum, cum tanta proruentis aquæ copia, ut viginti quatuor libras excederet, teste Gothofredo Mœbio *Physiolog. Cap. XX. p.* 540. *&* 578. Inquit etiam Rembertus Dodonæus *l. a. Sch. pag.* 121. se meminisse, nonnullis una cum fœtu copiosum aquosum humorem ex utero processisse, fœtu debili ac non vitali. Nobilissima quædam matrona quadraginta octo annorum concepisse sibi imaginata est, fere namque per integrum annum venter intumescere cœpit, & sexto mense aquæ copiosius uteri exstillarunt. Absoluto stato pariendi tempore dolores partus insurgebant, quasi infans ad exitum promoveretur; signa omnia instantis partus aderant, mammæ turgebant, liquores iterum copiosi utero secreti sunt: obstetrix cum adstantibus pusionem expectabant, at eventu lugubri, nihil enim præter aquas secretum fuit &c. teste Johanne de Muralto *M. N. C. Dec. II. An.* 2. *Obs.* 95. *p.* 235. Vixit per plures annos in oppido Newenstein hospita, quæ hydrope uterino laborans tantam ventris molem gestavit, ut fascia eam sublevare cogeretur, quæ tandem viribus exhausta & demortua; in cujus utero medici ipsius cadaver aperientes invenerunt copiosissimam aquam; ejus orificium autem interius ita occlusum & obliteratum, ut exacte inquirentibus nullum vestigium ejus apparuerit. vid. Joh. Christian. Eisenmenger. *Epistol. ad Joh. Dan. Horst. in Laurent. Strauss. de Fœt. Mussipont. p. m.* 60.

§. 44.

Ad hydropem uteri quoque referunt autores, quando aqua non libere in uteri cavitate fluctuat, sed vel limpida vel etiam spissa certis vesiculis seu hydatidibus inclusa ibidem reperitur, *In utero hydatides.*

ritur, quales hydatides tam per se, quam cum fœtu, exclusas atque in sectionibus repertas, sub nomine molarum aquosarum, hinc inde legimus. Referente enim Christophoro a Vega *de Art. medend. Lib. III. Sect.* 10. *cap.* 13. *fol. m.* 399. mulier quædam, cui venter intumescebat & menses retinebantur, constantissime contendebat, se in utero gestare fœtum vivum, quem moveri dicebat, at vero remediis adhibitis sexto mense excrevit ab utero varia & admiratione digna, quæ in pelvi magna suscepit obstetrix supra septuaginta vesicas membranosas ac membranis hærentes, aqua pallida plenas, castaneæ quantitatis: septem vero frustra membranis involuta, coloris carnis lienis, quorum quædam medietatem lienis humani æquabant, quædam paulo minora. Aqua vero multa erumpebat, & tota moles libras Romanas duodecim appendebat. Ducentas vesiculas sive ovula a virgine rejectas annotavit Nicolaus Venette *de la Generat. p. m.* 440. inquiens: La nuit du 23. Janvier 1680. Mademoiselle L. aprés des pressantes tranchées rendit environ 200. boules ou petits œufs sans coquille. Chaque boule estoit attachée par sa petite queuë, qui tenoit à des fibres charnuës, tissues & entre lassées ensemble. La moitié des boules estoient grosses comme le bout du doigt, & l'autre moitié comme de petits pois. Elles estoient toutes transparentes & la membrane, qui les couvroit, estoit assez dure; l'humeur, qui y estoit contenuë, estoit claire & en quelque façon gluante. Elle estoit un peu salée & acerbe au goust, & je ne doute pas, que ce ne soient de pareilles boules, qui occupent ordinairement les cornes de la matrice, quand elles sont prolifiques. Comme celles-cy n'avoient pas esté renduës fecondes par la bonne semence du mary, & que les vaisseaux ejaculatoires les avoient rejettées comme inutiles, c'est de la sans doute, qu'estoit venu ce faux germe. Vidua quædam paupercula Claudia Bernard appetentibus menstruis per duodecim annos circiter motibus afflictata est convulsivis atque hysterica dicta symptomata passa est: tandem phlegmone uteri

cum

cum febre acuta ſupervenit, quæ in empyema degeneravit. In demortuæ cadavere uterum plurima aqua turgentem, & veſiculis quibusdam purulenta materia prægnantibus diſtinctum, pariterque abdomen multa aqua diſtentum reperit Carolus Piſo, uti ſcribit *Obſervat. & Conſil. de morb. ſeroſ. Sect.* 4. *cap.* 5. *pag.* 449. quo loco etiam refert, obſtetricem inter partus monſtroſos vidiſſe enixum quendam veluti globum membranoſum flatuoſo quodam ſpiritu turgentem & diſtinctum diſtentumque veſiculis quibusdam aqueo humore puri non abſimili ſcatentibus & plenis, & alias pellucentem, ut faciem lunæ quodammodo exprimeret &c. In juvenis mulieris, quæ extra tempus imprægnationis fluore albo copioſe laborabat atque poſtmodum in hydropem uterinum incidebat, diſſecto cadavere uteri corpus cum contentis extraneis intra cavitatem illius accedebat ad pondus centum librarum; aquæ, quæ rufi coloris erant, & ſumma aciditate præditæ, viginti octo aut triginta pintas adimplebant. In cavitate uteri, parte dextra, reperta ſunt octo corpora, quaſi glanduloſa, oppleta materia alba, viſcida, fœtoris experte, verbo, ſpermati omnino ſimili: nonnulla illorum pugni erant magnitudine, alia pilæ palmariæ, &c. v. Nicol. Blegn. Zodiac. *An. III. Menſ. Octobr. Obſ.* 8. *p.* 126. Uxor quædam afflicta aliquandiu menſtruis inordinatis peperit tandem pinguem quandam maſſam, continentem in ſe innumeras veſiculas, refertas partim aqua crocea, partim ſolo ſpiritu. Excernebatur autem non confertim, ſed fruſtulatim. Sed partes hæ fuere tam frequentes, ut repleverint ferme integram ejuscemodi ſitulam, qua aquam hauriunt mulieres noſtrates, inquit Nicolaus Tulpius *Obſ. med. Lib.* 3. *cap.* 32. *p.* 247. Civis cujusdam Hagienſis uxor ſex & quadraginta circiter annos habens, poſtquam jam novem menſes fuiſſet imprægnata, multo affici cœpit dolore, quare & obſtetricem ad ſe arcesſi juſſit. Hæc autem cum ipſi inter eos labores jam totum triduum auxilium tuliſſet, nec quidquam appareret, vocata fuit alia obſtetrix, quæ poſt exactiorem examina-

tio-

tionem nullum fœtum, sed aliud quid, quod præsentibus se illico ostensuram sperabat, adesse affirmavit. Postea puerperam aggreditur, ejusque e corpore, præsentibus duobus chirurgis, magnam hydatidum copiam eduxit, racemorum more sibi invicem adhærentium, membranis extrinsecus tenuioribus, quam queis vestiuntur fœtus. Quanquam autem dicta mulier nullum ederet fœtum, puerperarum tamen more lochiorum fluxum passa est. Illa etiam postea impraegnata perfectum vivumque enixa infantem, annotante Cornelio Stalp. van der Wiel *Obs. medic. Cent. prior. Obs.* 70. *p.* 301. *seq.* ubi etiam tales hydatidum racemos delineat. vid. etiam *Cent.* 2. *Obs.* 28. *Sch. p.* 294. Bina ejusmodi exempla annotavit etiam Franciscus Valleriola *Obs. med. Lib.* 1. *Obs.* 10. *p. m.* 103. & primo quidem in civis Arelatensis filia, viro nupta, florenti ætate & optimo corporis habitu prædita, quæ ob suppressos menses nauseam, vomitum, anorexiam & alia graviditatis signa, uterum gestare se existimabat, post sex vero aut octo gestationis menses, magnis obortis doloribus, ingentem peperit membranaceum globum, totum aquosis bullis, instar ovorum piscium, refertum. Erant autem bullæ rotundæ, tumidæ, pellucidæ, diluta sanie plenæ, atque per omnem membranam, qua integebantur, disseminatæ, tanta quidem copia atque numero, ut comprehendi posse nullo pacto viderentur. Dissectis stylo bullis aquosa & diluta sanies fœtens emanabat, ad citrinum colorem inclinans. Idem etiam in obstetricis filia annotavit. Femina quædam ætatis annum agens trigesimum tertium post varia symptomata decem sibi cohærentes vesiculas aqueas acinorum uvarum mediocrium magnitudine: brevi post ingentem numerum harum vesicularum, dense sibi conjunctarum, cum hepate uterino exclusit; aderat scilicet verum hepar uterinum, ut fœtui viginti quatuor septimanarum cum chorio, in quo continebantur vesiculæ hæ magno numero, velut acini uvæ mediocris, pisi, lupini, ciceris & minoris magnitudine, fere rotundi: Omnes sibi cohærentes densam uvam referebant;

bant;

bant; & continebant humorem limpidum instar crystalli; duæ etiam juglandis magnitudine liquorem flavum insipidumque continebant: per medium ferebantur vasa sanguinea in varios ramos dirempta, qui surculos impertiebant vesiculis singulis, uti ex Wepfferi communicatione refert Johannes de Muralto, qui tales vesiculas cum hepate ultra libram semis pependisse credidit. *v. M. N. C. Dec. II. An. 2. Obs. 95. p. 236. seq.* Ibidem etiam dictus autor pictoris uxorem viginti quinque annorum, molam carneam, semipalmarem, circa quam undique hydatides ovales conspiciebantur, absque ullo infantis vestigio, abortivisse refert.

§. 45.

Quod autem paulo ante de hydrope uteri gravidarum diximus, idem etiam quandoque circa hydatides in gravidis observandum occurrit, siquidem mercatoris Dresdensis uxori, quæ jam aliquoties puerpera, tuncque temporis partui proxima ob nimiam abdominis expansionem magnumque pondus, se gemellos vel trigeminos gestare credebat, in partu post exclusum fœtum abdomen nec detumescebat, nec partus dolores remittebant, unde obstetrix puerperam ad continuandos nisus adhortabatur, spe superventuri adhuc alterius fœtus, cujus autem loco post dimidiam horam maximam sic dictam uvam, sive ingentem hydatidum copiam instar racemorum sibi invicem connexarum ex utero extrahebat. Erant autem dictæ hydatides seu vesiculæ utplurimum rotundæ, nonnullæ etiam oblongæ seu ovales atque differentis magnitudinis, siquidem a pisorum, ad globulorum lusoriorum, nucum moschatarum atque juglandium, imo ovorum gallinaceorum magnitudinem ascendebant, & aqua subcrocea, quasique mucilaginosa erant repletæ, totaque illa moles quatuor librarum pondus superabat. Rarissima observatio est, quam de propria uxore Maximilianus Preussius *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obs. 226. pag. 526. & 536.* sequentibus verbis recenset de utero: uterus instar summum gravidæ per totum abdomen extensus, omnibusque fere integumentis &

Hydatides cum fœtu.

Observatio.

visceribus ventris inferioris firmissime adnatus seu accretus deprehendebatur, cujus totum, tum superficiem & substantiam, duos pollices undique crassam, tum cavitatem quoque satis capacem, innumerabiles ubique fere perreptabant replebantque cystides, magnitudine ovorum columbinorum & gallinaceorum, quarum aliæ repræsentabant steatomata, sebaceo-cartilaginea materia repleta, aliæ vero sacculos lympha pellucidissima plenos, quorum unus quoque in ileo dextro, duabus palmis sub umbilico, musculos abdominis, macie prorsus ferme consumtos, & cutem ad extima usque, una cum pedunculo suo penetraverat, lymphamque stante adhuc vita, per integrum fere annum modo prædicto extra corporis limites profuderat. vid. etiam Palfyn *descript. anat. des part. de la femme p.* 80. *seqq.* Item mulier excrevit hydatidem seu vesiculam aqua plenam per muliebria absque placenta, subsequente maximo lochiorum fluxu per sex septemve menses durante, eoque cessante uxoris venter sensim magis magisque intumuit, ut uterus ad minimum quadraginta libras penderet. vid. Regn. de Graaf *de Mulier. Org. cap.* 8. *p.* 249. *seq.*

§. 46.

Calculi in utero. Sæpe etiam in utero calculi in sectionibus deprehenduntur, a quibus interdum abdomen instar gravidarum intumescit, vel alia symptomata oriuntur. Exempli gratia comitissa quædam a Gleichen, vidua, tumorem uteri cum motu manifesto, ceu gravida esset, incurrebat, eoque non paucos in exsecrandam superstitionem conjiciebat, quasi nescio quem Messiam paritura esset. In demortuæ autem utero plures reperti sunt calculi. vid. Gothofr. Mœbii *Fundam. Medicin. physiolog. cap.* 20. *pag.* 579. De Larissæ Dyseridis ancilla juvencula refert Hippocrates, quod venere utens vehementer doloribus afflicta fuerit, alias vero dolorem non senserit, neque conceperit unquam. Hæc, cum annum sexagesimum attigisset, a largo porri esu dolores vehementissimos, velut ex partu laboraret, exsurgens asperum quid-

dam

dam in ore uteri contrectavit. Deinde, cum jam animo linqueretur, ab alia muliere immissa manu expressus est calculus asper, fusi verticillum propemodum æquans. vid. Hippocrat. *de morb. vulgar. Lib.* 5. *Oper. Sect.* 7. *fol. m.* 240. Extincta Hippolita Gata Corrigensi doloribus uterinis diu vexata cum febre, lapis incredibilis magnitudinis gypseæ consistentiæ multo nigerrimo mucore innatans dissecto utero extractus fuit, cujus rei nos multos habemus testes, inquit Marcellus Donatus *de histor. med. mirab. Lib.* 4. *cap.* 30. *p. m.* 523. ubi alia exempla. In femina septuaginta duos annos nata uterus admodum durus, in eoque calculus magnus totam ejusdem cavitatem adimplens reperiebatur; cujus exterior cortex friabilis, interior vero substantia durior, magis tamen porosa erat. v. Steph. Blancard. *Anat. pract. Cent.* I. *Obs.* 74. *p.* 207. Lapidem in tantam molem auctum, ut uteri capacitatem prorsus impleret, menses omnino interciperet & ulcera cacoethica concitaret, se vidisse refert Nicolaus Fontanus *de Morb. Mulier. Lib.* 2. *cap.* 10. *p. m.* 94. Monialis quædam non claustrata in primo senio constituta per plures menses uterinis cruciabatur doloribus, qui nullo unquam medicamento leniri poterant, tandem ejiciebat sponte, nulloque adminiculante, per pudendum lapidem scabrosum, magnitudine & figura ovi anatini; quo ejecto cessarunt dolores, superveniente tamen ex utero fluxione putrida & corrupta cum morte. vid. Petr. Salii *Diverf. Annot. in Donat. ab Altomar. cap.* 12. *p. m.* 520. De calculis vel silicibus trium & quatuor unciarum per incantationem ex utero extractis; item de lateribus a femina quadam Gallica, Madame la Roche, cum convulsionibus ex utero prodeuntibus, vid. Joh. Muralt. *chirurg.* Schrifft. *Obs.* 67. *p. m.* 487. vid. etiam Eberh. Gockel. *Tr.* vom Beschreyen und Bezaubern *cap.* 4 *pag.* 54. In puellæ quinquennis uteri cavitate repertum lapidem oblongum, aliquomodo spongiosum, sed tamen gravem, formam ovi columbini paulisper excedentem, vidit Andreas Cnœuffelius juxta *M. N. C. Dec. I. An.* 4. & 5. *Obs.* 65. *p.* 55. Calculum quatuor

fere uncias gravem ex matrice incisa extractum se vidisse asserit Beale in Frider. Nitsch. *Ephemer. Erudit. Ann.* 1666. *p. m.* 556. vid. etiam le Journal des Sçavans *Tom. I. p. m.* 582. Non arenulas tantum, sed etiam quinque lapillos, parvula pisa referentes, cum menstruis a femina annos quadraginta duos nata, per muliebri a excretos vidit Carolus Josephus Myllerus, *vid. M. N. C. Dec. II. An.* 7. *Obs.* 228. *p.* 432. Lutetiæ in scholis medicorum aperta quædam mulier lapidem in utero habuit, juxta Joh. Wier. *de malefic. affect. Op. Lib.* 4. *cap.* 16. *p. m.* 316. In senatoris Regiomonti matronæ utero lapidem quatuor librarum, multis eminentiis lapideis coloris fusci, a Christophoro Tinctorio fuisse deprehensum, scribit Thomas Bartholinus *Histor. anat. Cent. IV. Hist.* 64. *p. m.* 364. & Steph. Blancard. *Anat. pract. Cent.* 2. *Obs.* 80. *p.* 375. De utero lapidibus referto sequentem observationem annotavit Michael Angelus Morus: Honestissima matrona quadraginta octo annorum per menses decem de acerbissimo in infimo ventre dolore conquerebatur, qui nullis cedebat remediis, licet multa in usum parata fuerint; ad tactum tumor scirrhosus in utero deprehendebatur, a quo materia acris & loturæ carnis similis destillabat. Tandem pleuritide correpta e vivis discessit. Dissecto cadavere uterus lapidibus plenus repertus est ad numerum triginta duorum. Maximi eorum magnitudinem amygdali æquabant, minimi fabis consimiles erant, & inter plicaturas & tubulos uteri infarcti & incarcerati conspiciebantur. Aliqui erant coloris flavi, aliqui æruginei, & rupti ad similitudinem cepæ varias habebant tunicas; de istis periculo facto in pauperibus ad pondus mediæ drachmæ sudor promovebatur &c. v. *Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent.* 1. *Obs.* 77. *p.* 148. vid. etiam *Act. Erudit. An.* 1712. *Mens. Aug. p.* 348. Calculum fungiformem & singularis figuræ a chirurgo quodam ex utero cujusdam adolescentulæ extractum, dominoque Breynio, Dantiscano, donatum annotavit Hector ex Valle, v. Ephemerid. *l. a. Obs.* 95. *p.* 187. ubi hunc chirurgum fortasse fuisse deceptum atque calculum

non

non ex uteri cervice, ſed ex ipſa veſica extraxiſſe addit. Huc pertinet etiam, quod Fridericus Ruyſchius *Obſ.* 1. *p.* 1. *item Theſaur. anat. VIII. pag. m.* 57. *ſeq.* recenſet, ſcilicet, poſt procidentiam uteri ex ipſo, poſt factam inciſionem, quadraginta & duos calculos, quorum magnitudinem & figuram ibidem delineat, partim inſtrumentis, partim ſolis digitis fuiſſe extractos. De uteri calculo e muliere gravida proſiliente exemplum ex Johannis Helwigii obſervationibus medicis allegat equidem Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Mirac. Mort. Lib. III. Tit.* 3. §. 80. *pag.* 1114. cum vero in tota obſervatione nulla uteri mentio fiat, ſed calculus ſatis grandis ſub figura canonis angularis incurvati, quali fabri lignarii uti ſolent, cum urina primum craſſa, & iterata vice copioſa atque ſaburra multa permiſta proſilierit, calculus hic mihi potius ex veſica expulſus videtur. Interim huc pertinere videtur hiſtoria a Luca Schrœckio in ſcholio allegatæ Helwigii obſervationis 114. *p.* 317. recenſita; nimirum femina quædam quinquaquinta duorum annorum, Sara Oſſungerin, plurimis jam retro annis ventre tumida ab aquarum medicatarum Weihencellenſium potu maximos & vix tolerabiles in ventris dolores inciderat, quos tandem calculus ovalis figuræ, & craſſitie ac magnitudine fere nucem vomicam adæquans, pondere drachmarum duarum cum totidem granis, magno cum impetu, ac ſi e manubaliſta fuiſſet exploſus, proſiliens profligavit, atque ventre detumeſcente, priſtinæ ægram ſanitati reſtituit. Calculum in Norwegia mulier per vulvam excrevit tanta præditum virtute, ut manibus puerperæ detentus, oborto in vola ſudore, potenter fœtum propellat. Hunc ſibi Fridericum III. Daniæ Regem oſtendiſſe refert Thomas Bartholinus *Epiſtol. Cent. III. Ep.* 28. *p.* 103. ubi dictus autor ita pergit: Tanta eſt clementia ſereniſſimæ Reginæ, ut non paucis in partus difficultate conſtitutis felici ſucceſſu conceſſerit. An ex utero vel veſica excretus ſit, ſi dubitent ſcrupuloſi, ſciant, certam eſſe de utero relationem, quæ probabili non caret ratione.

§. 47.

Mercurialis opinio. Per adducta hactenus exempla absque dubio Hieronymi Mercurialis opinio de calculi in utero existentia & generatione sufficienter refutatur, qui *de Morb. Mul. Lib.* 4. *cap.* 11. in Israel. Spacch. Gynæc. *f. m.* 285. scribit: Quod in vesicis mulierum gignantur calculi, & in intestinis, hoc fuit a nemine dubitatum: quod autem in utero etiam fiant lapides, apud neminem vidi, nisi apud Aetium *Lib.* 16. *cap.* 96. Sed quamquam hoc memoriæ tradiderit Aetius, verumtamen admodum dubito, an verum sit, quoniam, si situm uteri contemplemur, substantiam ipsius facile intelligere possumus, fieri non posse, ut in utero colligatur materia, quæ sit apta in lapidem indurari: quod si etiam interdum possit durari, videtur rationi consentaneum, ut excurrat. Nam si semen etiam ab utero rejicitur propter hiatum, nisi fiat conceptus, procul dubio etiam aliæ substantiæ, quæ non sunt amicæ & familiares utero, ut semen, deberent excludi: propterea non video, quomodo in utero possit concrescere lapis, nisi sanguis possit grumescere, & grumi illi possint referre formam lapidis. Atque id voluisse significare Aetium verisimilius est. Interim Aetius *Oper. Tom. III. de Re medic. Lib.* 16. *cap.* 100. *fol. m.* 173. calculum uteri curandi modum ita describit: Calculi interdum tophacei generantur, in ipso uteri vase fluitantes, quos extracturi prius clystere fimum ducente alvum evacuabimus, deinde fœnograeci & malvæ decocto adjecti rosacei portiuncula colluemus; tum mulierem supinam declivemque diductis cruribus statuemus, duosque longiores sinistræ digitos in ani foramen immittemus; dextra vero sumen comprimemus, calculum expellentes & extrorsum cogentes, ipsumque digitis in anum immissis deducentes, sensim extrahemus. Tophaceam autem substantiam extra in uteri collo vel orificio adnatam, muliere rite collocata, & locis speculo dilatatis scalpro circumcidemus, deinde curabimus, & antherum medicamentum loco inspergemus.

§. 48. De

§. 48.

De acu crinali a chirurgo ex utero puellæ extracta sequentem observationem in Nicol. Blegn. *Zodiac. Med. Gallic. An. II. Mens. Mart. Obs.* 9. *p.* 76. legimus: Puella non obscuro loco oriunda jam ab anno & amplius de dolore uterino sibi infesto conquerebatur, eo magis molesto, quod nemini revelare voluerit: ac quamvis ex intervallis colici cruciatus ac dysuria frequens ejus constantiam concuteret, pudor tamen prævaluit, ut occulta mallet esse sua mala, quam ut manus loco dolenti inferri sustineret: conscia tamen fuit seipsam ægritudinis sibi fuisse autorem: sæpe occultos veneris stimulos & acutos, quibus obnoxiæ puellæ, experta erat, præ impatientia, lenimen quæsitura, acum crinalem locis pudendis, seditionem moventibus, intruserat: sed tamen dominari in œstrum libidinis non semper licuit, uterus titillatione avidior redditus acum abripit, ac sibi asservat in orificio interno cohibitam, quo loco retrahere puellæ nequaquam concessum, quocunque demum conatu, jubente sic pudore, adhibito; initio proprio marte excogitata remedia in usum duxit, corpus illud extraneum excutere molita, metu imminentium noxarum: Nil non intentatum reliquit, sed irritos conatus animadvertens, hinc pudore, hinc dolore ex æquo urgentibus, tandem maluit prius in discrimen adduci, quam vitam; quamobrem advocari curat chirurgum Ferbosium, qui ignarus petulantiæ puellæ & anteactorum, sciscitatus tantum est de specie, doloris, quem insignem esse in partibus, quas sinus abscondit confessa est. Interim cum hujus chirurgi manus organorum vice fungantur, illico in locos dictos eas intulit, digitoque corpus extraneum deprehendit admodum longum & acutissimum. Vim adhibuit in extrahendo, sed invalidiores fuere manus, forcipemque inserere coactus fuit, cujus ope tenaciter apprehensam acum eduxit citra sanguinis effusionem, puris aut sordis cujuspiam, indicum parti injuriæ illatæ. Acus circa mediam sui partem incrustata erat materia tartarea, gypsea

Acus crinalis.

&

& arenosa, illis non absimili, ex qua coagmentantur lapides in vesica, sed ea duritie, quæ solo malleo confringi potuerit. Dicta materia undiquaque acum incrustabat; non secus ac vertibulum fuso circumductum, pollicis crassitie, imo amplius. De alia acu crinali in basi tartaro obducta, atque ex vesica juvenculæ, quæ cum chirurgo ipsam in utero hærere credebat, extracta, vid. observatio Hectoris ex Valle *Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent.* 1. *Obs.* 94. *p.* 183. in cujus Scholio *p.* 185. modo ex Nicolao Blegny allegata observatio non immerito suspecta redditur, ac si acus ista crinalis non ex utero, sed vesica a chirurgo, vicinia loci & præjudicio de attractione uteri imaginaria decepto, extracta fuisset.

§. 49.

Crines. Interdum crines in utero reperiri testatur Gvilhelmus Fabricius, Hildanus *Obs. chirurg. Cent. V. Obs.* 49. *fol. m.* 436. de vidua quadam honesta, quinquaginta circiter annorum ætatis. Hujus matronæ aperto cadavere hepar & lien sine noxa, pulmo vero semiputridus repertus fuit. Separatus & exemptus uterus ad libras octoginta & septem mercatorum ponderavit, & partim ichore quodam flavo, partim quoque materia adiposa & oleaginosa infarctus erat. Sed quod admiratione non vacat, in medio ipsius uteri crines (aut veluti lana flavescens & adiposa illa materia involuta) reperti fuerunt. Ita Constantiæ formosa quædam cujusdam civis famula a dæmone compressa sæpius post insignes uterinos cruciatus adhibitis obstetricibus *Varia.* clavos ferreos, ligna, vitra confracta, crines, stuppam, lapides, ossa, ferrum & hujusmodi per matricem excrevit innumera, uti ex Jacobo Ruffo refert Christianus Fridericus Garmannus *de Mirac. mort. l. a. p.* 1114. De ossibus fœtus per uterum prodeuntibus alibi de fœtu agemus.

§. 50.

Vermes in utero. Vermes quoque varii generis vel in ipso utero dissecto deprehenduntur, vel ex eodem prorepunt. E. g. In mulieris, gladio

dio confossæ, utero ingentem ascaridum viventium & hinc inde obreptantium copiam se reperisse scribit Baldassar Timæus a Güldenklee *Lib.4. Cas. 6. p. m.* 204. Post labiorum ac colli uterini pruritum intolerabilem ascaridum, ex parte adhuc viventium, turmam ingentem ex utero excrevit vetula septuagenaria, quondam nimis salax. v. Nicol. Guil. Becker *M. N. C. Dec. I. Obs.* 75. *p.* 121. *seq.* Idem etiam observavit Benjamin Scharffius, & quidem æque post pruritum & fervorem circa genitalia, subsequo dolore rodente & igneo quasi, ac urente, *ibid. An.* 9. *&* 10. *Obs.* 7. *p.* 44. vid. etiam Dan. Sennert. *Pract. Lib. IV. Part.* 1. *Sect.* 2. *cap.* 9. *p.* 75. Ex utero vermes longitudine dimidiam ulnam superantes in honesta femina prodire annotavit Vitus Riedlinus, filius, *Obs.* 11. *p. m.* 20. *seq.* Vermem ultra ulnæ quadrantem longum utero prodeuntem observasse obstetricem scribit Cornelius Stalpart. van der Wiel *Obs. rar. Cent. post. Obs.* 29. *p.* 311. Vermes loco mensium ex utero expulsos annotavit Dominicus Panarolus *Pentec. IV. Obs.* 12. *p.* 117. *seq.* Viduam septuagenariam cum sanguine per muliebria vermem lumbriciformem & quidem teretem, capite autem compresso excrevisse, refert Philippus Jacobus Hartmannus *M. N. C. Dec. III. An.* 5. *&* 6. *Obs.* 208. *p.* 474. Rustica quædam instantibus mensibus ordinarie pruritum uteri molestum sentiens tandem tributum suum lunare excepit, speculatura, quidnam in eo lateret; & ecce! multos longiores planeque niveos offendit vermiculos, juxta Christ. Franc. Paullini v. *M. N. C. Dec. II. An.* 5. *App. p.* 13. Post ferocissima symptomata femina quædam pruritum vehementem primo in utero, mox subsultum mirum & palpitationem in ore uteri persentiens digitos in uteri sinum intrepide immisit, chordamque seu funiculum crassum inveniens magno conatu & vi extra evulsit lumbricum teretem crassum, colore albissimum, palmi magni longitudine, vividum adhuc & in spiras sese involventem. vid. Zacut. Lusit. *Prax. Histor. Lib.* 3. *cap.* 12. *Obs.* 1. *fol.* 497. De verme erucæ magnitudine, unguiculis prominentibus capite corneo nigro &c. ex locellis

feminæ erumpente. vid. Rein. Solenandr. *Consil. Sect. V. fol.* 488. vid. etiam Joh. Wier. *Oper. Part.* 4. *cap.* 16. *p. m.* 319. Post assumptum pulverem millepedum magnam quoque millepedum copiam ex utero provenisse commemorat Stephanus Blancardus *Collect. med. phys. Cent.* 3. *Obs.* 77. *p.* 457. *seq.* A gravidis etiam per uterum vermes & alia insecta excerni, testantur observatores; uxori enim cujusdam pastoris per uterum a biennio quotidie, immo in singulas fere horas vermes pollicem longos, nunc solitarios, nunc simul plures vivos erepsisse, hoc intra tamen tempus filium utero gessisse, sospitemque peperisse, refert Johannes Matthias Faber *M. N. C. Dec. II. An.* 9. *Add. p.* 458. Mulierem quandam fœtum cum duobus serpentibus utero gestasse, hosque, ulnæ longitudine atque infantis brachii crassitie, post enixum fœtum exclusisse, descriptum legimus in Matthiæ Cornacis *Histor. gestat. Fœt. mort. in Franc. Rosset. de Part. Cæsar. p. m.* 251. Johannes Matthæus de Grado de serpente in utero ita scribit, mulier quædam habens serpentem in matrice, posita mulier ipsa ad radios solis, cum vase pleno lacte; stante ipsa muliere dilatatis cruribus supra vas, in quo radiebat sol, exivit serpens vid. Marcell. Donat. *de Med. princip. Hist. cap.* 12. *p. m.* 222. Sic varios vermes & alia animalia v. g. bufones, ranas, serpentes, lacertas, mures, glires, feles, pisciculos, astacos, anseres, pullos gallinaceos, equum, elephantum, leonem, ex utero humano prodeuntia ex variis autoribus allegat Christianus Fridericus Garmannus *Oolog. curios. Dissert. II.* §. 141. *p. m.* 168. *seq.* Non ignobilis femina in utero quidpiam ex intervallis subsultare, atque post decem dies, majorem strepitum in uteri regione sentiens, demum feram ab utero exclusit, palmo majorem, crassitudine pollicis, cærulei coloris, pedibus quatuor innixam, capite parvo, piloso & rotundo, rostro acuto. Hæc duobus diebus revixi in phiala vitrea aqua plena, magna cum adstantium & medicorum admiratione. v. Zacut. Lusit. *de Prax. med. admir. Lib. II. Obs.* 149. *f.* 79. Ibidem etiam ex Nicolai Fontani communicatione memi-

mi-

minit trigenariæ, quæ, postquam enixa est filiam & a lochiis recte purgaretur, incidit in animi deliquium cum febri acuta & delirio conjunctum. Vocata obstetrix tacto ventre, & sedulo tota uteri regione perspecta, iterum ægram parituram esse affirmat; paulo post dicta femina cum vehementi nixu & inguinum ingenti dolore, parturientium instar, excrevit per uterum rotundum globum, tenuissima membrana alba contectum, ex quo disrupto exiere duo animalia longa, anguillarum forma, viva, rubra, dorso purpureo lanugine resperso, oculis vividis, dimidii palmi longitudine, crassitie digiti minimi, quorum caput, pro corporis proportione, erat amplissimum. Ambo post duas horas per domum repere visa sunt; quibus excretis femina placide obdormivit & ab angustia immunis remansit.

§. 51.

Sæpissime quoque a variis causis, imprimis ab obstetricum temeritate vel ignorantia, circa uterum oriuntur inflammationes & abscessus vel ulcera, quale exemplum commemorat Guilielmus Harveus *de Generat. animal. de Partu p. m.* 532. *seq.* de doctoris theologiæ uxore satis boni habitus; quæ summo prolis desiderio flagrans multa a multis præscripta incassum tentaverat: menses quidem statis temporibus profluebant, sed aliquando, (præserim ab equitatione) saniosum quid & purulentum ab utero emanabat. Aliqui fluorem album esse arbitrabantur, alii ulcus sinuosum suspicati sunt. Tandem advocatus Harveus aperuit internum matricis orificium, indeque protinus cochlearia duo circiter puris saniosi, & fibris sanguineis tincti affluxerunt. Quo conspecto, ulcus in uteri cavo latitare dixit, injectisque medicamentis congruentibus pristinæ eam valetudini restituit. In virgine furore uterino defuncta uterus observabatur inflammatus, quæ inflammatio ad tubas & ovaria pertingebat. v. *M. N. C. Dec. III. An.* 5. *&* 6. *Obs.* 124. *p.* 253. Puella tredecim annorum, ex salacibus nata parentibus, a nativitate anno septimo derepente in motus convulsivos incidit, qui etiam

Uteri inflammatio & ulcera.

iam bis vel ter ſingulis ſeptimanis ad minimum accidens, reverſi ipſam humi proſtrarunt. Et quia a parentibus erat potentibus, magna medicorum turba ad ſanandam convocabatur, miſeram puellam per integros quinque annos varia medicamentorum excruciabant farragine, aſt nulli in rhamno fortunam ſalutare & hunc pertinacem debellare hoſtem licuit. Vocatus Johannes Baptiſta Verloſchnigg, ubi reliqui epilepſiam, furorem quendam uterinum ex effervefcentia ſeminis, vel uteri abſceſſum adeſſe judicavit. Hinc alterna vice ſeminis fervorem extinguentia propinavit, verum abs effectu: quare abſceſſum in ludo eſſe firmiter pronunciavit, & ut is rumperetur, per diei decurſum bis, etiam ter pulverem antimonii album, juxta Baſilium paratum, ex aqua meliſſæ exhibuit, ſeptimoque pulveris uſus die pudendum fœtido-purulenta materia manare cœpit, quod ſtillicidium ad decem prope dies duravit; hoc ceſſante abſtergentibus & mundificantibus ordinatis ex integro reſtituitur, juxta ipſius Johannis Baptiſtæ Verloſchnigg verba *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſ.* 154. *p.* 280. Uteri cervicis ulcus, e quo ichor & pus effluebat, in juvencula muliere, jam annos aliquot nupta, ſterilique obſervavit Felix Platerus *Obſ. Lib.* 2. *p. m.* 480. *ſeq.* Et *p.* 476. exemplum ulceris uteri & veſicæ cervicis cum cura recenſet. Ulcus fiſtuloſum in collo matricis, quod ſæpius multum recrementi reddidit, in illuſtri juvene annotavit Lælius a Fonte *Conſultat.* 35. *pag. m.* 225. In muliere licet craſſa, ſatis tamen prolifica, uteri ulcus admodum malignum cum inſigni dolore, usque ad profundum uteri procedens, depaſcens atque lethale deprehendiſſe ſcribit Petrus Foreſtus *Obſervat. medic. Lib.* 28. *Obſ.* 49. *fol. m.* 703. Imo ulcus in utero, absque dubio etiam exulcerato, contractum annotavit Philippus Salmuth *Obſ. med. Cent.* 3. *Obſ. II. p.* 117. novi, inquiens, nobiliſſimam matronam, cum ulcere cruris in lucem editam. Hæc munditiei ſtudens, ingentes ſumptus (prædives namque erat) in illo curando faciebat, ſed fruſtra, natura nullam prorſus unitionem

admit-

admittente. Et si quando ulcus sanatum jam, & cicatrice fere obductum videbatur, statim symptomata quædam, quasi epileptica, oboriebantur, nec remittebant, donec locus rursus aperiretur. Ut de exulcerationibus uteri, a lue venerea ortis taceamus. Anglam mulierem levcorrhœa per plures annos decumbentem, tandem corrosivis matricis ulceribus misere obiisse 1668. Lugduni Batavorum, refert Johannes de Muralto *Clav. medicin. Exercit.* 2. *p.* 64. Varias uteri exulcerati tam in gravidis, quam non gravidis, observationes recenset Franciscus Roussetus *de Part. Cæsar. Sect.* 4. *Cap.* 1. *seqq. a p.* 71. *seqq.* ubi non modo ex apostemate aperto, sed etiam ex utero, & quandoque etiam per alvum insignem puris quantitatem effluxisse legimus. Sciendum enim est, juxta Oribasium abscessum uteri rumpi quandoque per vulvæ ipsius os, quandoque per vesicam ac sæpe etiam in rectum intestinum. v. Joh. Lang. *Epist. med. Lib. II. Ep.* 39. *p.* 670.

§. 52.

Nonnunquam uteri inflammationem vel læsionem gangræna & ipse sphacelus seu putrefactio, atque vel partialis vel totalis ejusdem consumptio sequitur: v. g. anno 1684. uxor juvencula in partu difficillimo, brachio fœtus extra uterum alterutro prominente obstetricis manus auxiliatrices implorat. Obstetrix difficultatem partus, & parit**rræ matris imbecillitatem prævidens, ne in mora esse diceretur, vi adoritur negotium. Hinc reposito brachio in uterum caput infantis violenta manu nititur extrahere, sed difficili labore. Quare digito sub costis adacto, denique eundem extrahit, sed emortuum, & fracto undique cranio, fractisque costis nonnullis, referente puerperæ matre. Hinc a partu hoc summe difficili uterus cum vagina insigniter inflammatus nigricantis coloris signa dat cum gangrænæ præludiis non fallacibus fœtoreque vix ferendo. Ex uteri vagina propendent cuticulæ nonnullæ, quas forcipe abscindunt & extrahunt mulierculæ, sequuntur indies complures *Gangræna.*

 aliæ

aliæ ſic ſatis magnæ cum carunculis intermixtæ. Poſtmodum ſuccedit cutis quædam carnoſa, cui lapilli non pauci, perlarum inſtar, adnati, ſequente mictione involuntaria tantisque doloribus miſellam fatigantibus, ut nec ſedere, nec ſtare poſſet. &c. v. Ehrenfr. Hagendorn. *Hiſtor. med. phyſ. Cent. III. Hiſt.* 14. *pag.* 298. *ſeq.* Si quid placentæ utero annexum relinquitur, lochia male olentia vireſcentia & cadaveroſa promanant, & nonnunquam, proſtratis prorſus viribus uteri, ſphaceliſmus repentinus certam necem adfert. v. Guil. Harv. *de Part. pag.* 531. Honeſta quædam femina ætatis anno viceſimo octavo fœtum mortuum ejecerat maximo cum conatu & cruciatu, quo veſica disrupta fuit. Poſt fœtus editionem gangræna invaſit orificium cervicis uteri & veſicæ ipſumque anum, atque mox iſtæ partes emori incepere & continuo conſecuta eſt iſtarum partium mortificatio completa, quam Græci σφάκελον, Latini ſyderationem vocant. Nam prædictæ tres partes evaſerant prorſus nigræ, molles, putres, intermortuæ, cadaveroſæ, peſſime olentes & fœtentes, ut Martino Rulando, qui coram præſens inſpector aderat & ſingulas partes ita affectas luſtrabat, non fuerit facile aut etiam poſſibile, ob tam gravem & moleſtum fœtorem diu ibidem hærere. vid. ipſius *Curat. empir. Cent. IV. Curat.* 100. *p. m.* 295. *ſeq.* ubi curam reperies. Femina quædam vulvæ ſeu uteri pernicioſo ulcere vexabatur, cujus malitiam omni ſtudio & diligentia tollere, ſed fruſtra conati ſunt medici; nam corrupta interim vulva & fruſtulis comminuta deſcendens, non prius fluere deſtitit, quam tota putreſcens decideret: ac ſic mulierem ingenti malo liberavit, quæ licet vulva carens ſana tamen ſupervixit annos decem. v. Anton. Beniven. *Obſ.* 11. *pag.* 155. quo loco commentator Rembertus Dodonæus per vulvam uterum intelligit. Anno 1671. mulier quædam ab aliquot ſeptimanis malignum uteri ulcus contraxerat, cum tanto eoque ſanguinis profluvio, ut omnibus admirationi fuerit. Mortem ſibi ſæpius optabat, propter ineffabiles dolores & earum partium, donec tandem remediis, ob loci incommoditatem & humidita-

tem

tem nihil proficientibus, mors miſeriis finem imponeret. Aperto cadavere uteri cervix ab ejus corpore attactu ſeſe disjunxit, utpote plane putrefacto, juxta Frid. Ruyſch. *Obſ.* 12. *p.* 18. *ſeq.* Mulieri per duos annos tumidum ventrem geſtanti ſupervenit fluor alvi fœtidisſimus, excrementa erant flava, ac utplurimum alba & livida & copioſa; denique exſpiravit. Exenterato cadavere inventus eſt uterus putrefactus, qua parte rectum inteſtinum tangit, hocque ipſum totum corruptum, uti ex Horatio Augenio refert Theoph. Bonet. *ſepulchr. Lib.* 3. *Sect.* 38. *f.* 1381. Sphacelum & rupturam uteri obſervavit Johannes Mauric. Hoffmannus *Ephem. Acad. N. C. Cent. IX. & X. Obſ.* 29. *p.* 301. Sæpisſime etiam obſervatur gangræna in uteris prolapſis, de quibus alibi.

§. 53.

Uterum quandoque ab obſtetricibus lædi hactenus vidimus; dantur præterea alia quoque uteri vulnera tam lethalia, quam non lethalia, & quidem vel in non gravidis, quam ipſis prægnantibus. Accidit autem talis læſio vel in vagina uteri, vel in ipſius fundo & quidem a variis cauſis. Chirurgi enim incuria uteri vaginam cum ſubjecto inteſtino recto, in femina difficili partu laborante, novacula ita inciſam, ut excrementa alvina per hanc uteri vaginæ læſionem ſimul ejicerentur, annotavit Johannes Matthias Müllerus, uti ſupra adducimus, ex *Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Centur. V. Obſ.* 56. *p.* 87. *ſeq.* plura ejusmodi exempla vid. ſupra *Sect. I. Cap.* 5. §. 17. *ſeq.* In ipſo autem utero, proprie dicto, rariſſime vulnera occurrunt, quia ipſius ſitus in loco ſatis ſecuro atque a circumjacentibus oſſibus bene munitus eſt, neque etiam ſexus femineus adeo frequenter, ut mares, læſionis periculo ſe exponit. Rarum tamen inſignis uteri vulneris exemplum annotavit Johannes Mauricius Hoffmannus *Anatom. Patholog. Specim. IX.* §. 21. *p.* 124. de religioſo quodam Capucino, cujus mater ipſo gravida ex vehementi ad bacillum extremitate acutum alliſione non uterum ſibi ſolum, ſed fœtus etiam thoracem ſub papilla dextra pertuderat, matre poſt conſolidationem viva remanente, ut & cicatrice in dicto religioſo

Uteri vulnera.

gioſo

gioso relicta conspicua. Rariorem adhuc observationem satisque cruentam fœtus in utero matris occisi ex medici Augustani, Achillis Gassari, communicatione recenset Johannes Langius *Epistol. medic. Lib. II. Epist. 39. pag. 671.* Quum maritus, inquiens, cui nomen Andreæ Rempter erat, ira percitus, uxoris suæ ilia dextra cultro capulotenus trajecisset, ejusque intestina elapsa, Mauricius Orcheotomus accersitus calidis fotibus elota reposuisset, epigastrii vulnus consuit, tum misera facta puerpera sexto a conceptu mense, & tertio post vulnus inflictum die, puerum occisum enixa est, cujus dextram supremam calvariæ adhuc cartilaginosæ partem, sævus ille homicida verius, quam parens, usque ad sinistri oculi supercilium vulneraverat. Mater vero chirurgi opera convaluit: quæ vel hodierno die vitali fruitur aura &c. Huc pertinent etiam læsiones seu vulnera uteri, quando vel integri fœtus uterum perrumpunt, vel ipsorum ossa frustillatim eundem vulnerant & perforant, atque modo in abdominis cavitate remanent, modo etiam per varias vias exitum quærunt, qualia exempla alibi recensebimus.

Uteri ruptura.

§. 54.

Varia adhuc etiam de uteri prolapsu in hac sectione inserenda fuissent, cum autem talis procidentia utplurimum in feminis gravidis & parientibus accidere soleat, de hoc uteri prolapsu in genere & ex sectione plura dicenda reservamus.

CAPUT III.
De ovariis muliebribus.

§. 1.

Testiculi muliebres.

AD partes mulierum genitales pertinent adhuc testiculi muliebres vel potius ovaria, & ovi ductus seu tubæ sic dictæ Fallopianæ. Quoad testiculos veteres autores non modo inter se, sed etiam cum recentioribus diversas fovent sententias; alii enim nullum plane femineum semen, vel tantummodo infœcundum in testiculis elaborari admittunt; alii in iisdem semen mulie-

An semen generent?

muliebre, virili non adeo dissimile confici, illudque in coitu fœcundo ad uterum deferri, ibidem cum semine virili commisceri, atque ex hac massa commixta demum fœtum formari credunt. Cui sententiæ nonnulli etiam recentiorum sunt addicti. Quam tamen Isbrandus de Diemerbroc *Anatom. Lib.* 1. *cap.* 24. *Edit. nov. fol. m.* 130. revocat, testes muliebres, inquiens, generando semini, minus perfecto, quam est virile semen, dicatos esse; idque semen ex iis per tubas Fallopianas, aliasve quasdam vias, ab aliis descriptas, partim in uterum, partim in vaginam uterinam, infundi, præcedentibus seculis, usque ad nostra tempora ab omnibus medicis & anatomicis pro certissimo scriptum & sancitum est, atque etiam antehac a me ipso pro indubitato habitum fuit, ut patet ex præcedente prima anatomes meæ editione: quam ob causam tunc temporis adversus novam ovariorum & ovorum inventionem, mihi eousque inauditam & nunquam visam, aliquot argumenta intorsi. Sed postea totam rem diligentius examinans, aliorumque super ea in lucem editas observationes ad autopsiam conferens, manifeste comperi, dictam meam veterumque opinionem subsistere non posse, ac proinde in hac secunda meæ anatomes editione illam cantilenam necessario aliis musicis notis conscribendam aliterque cantandam esse; non enim est, ut aliquem pudeat, meliora edoctum, sententiam mutare, & ab antiquo communi errore discedere. Hunc autorem alii quoque recentiorum secuti diligenti indagatione testiculorum muliebrium a virilibus magnam differentiam, ratione substantiæ & structuræ, quantitatis, qualitatis & situs detexerunt, minimeque in illis semen fluidum seu mucosum, instar virilis, reperiri demonstrarunt, cumque in ipsis certas vesiculas oviformes deprehenderint, testiculorum in ovariorum nomen mutare voluerunt. Unde scribit Casparus Bartholinus *Epist. anat. de Ovar. Mulier. pag. m.* 44. *seq.* quæ de semine fluido in testibus mulierum, de vasis deferentibus &c. antiqui finxerunt, & hodierni nonnulli retinuerunt, falsa sunt,

cum in viviparis, quemadmodum & oviparis ovorum atque oviductuum eædem sint conditiones, conformatio atque connexio non improbabilem, quinimo demonstrabilem, haud immerito crediderim assertionem nostram, quod vera sit analogia, quæ inter feminarum testes omnium specierum, instituitur ovaria posthac tam in viviparis, quam oviparis, dicendos, vid. etiam Th. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. V. n.* 13. *p.* 52. Neque etiam pro semine muliebri habendus est humor ille in coitu aliisque occasionibus a mulieribus excretus, quem veteres pariter ex testiculis muliebribus provenire credebant, nos autem supra ex certis meatibus atque lacunis exstillare monstravimus. vid. etiam Joh. Bohn. *Circul. anat. physiol. progymn.* 1. *p.* 5. Franc. Zypæi *Fundam. Medicin. cap.* 3. *Art.* 6. *p.* 81. *& cap.* 7. *Art.* 15. *p.* 231. Huc pertinet, quod idem Casparus Bartholinus *Specim. Histor. anat. cap.* 5. §. 2. *p.* 83. refert, scilicet in viviparis per ovaria intelligi debent illa corpora, quæ antiqui testes dixerunt, & semen fluidum, quod iis falso attribuerunt, non aliud hic datur, quam illa in ovo contenta materia, adeo ut fictitia omnino sint illa vasa, per quæ vel ad uterum ipsum, vel collum ejus, materiam seminis feminini a testibus deducere veteres conati sunt. Reperiuntur quidem in uteri collo & canale, breves alii & angusti ductus, a glandulosa substantia, ibidem sita, oriundi, at qui non semen in testibus elaboratum, sed materiam saltem in glandulis secretam, effundunt ad vias illas lubricandas, quæ hactenus aliis nomine seminis muliebris imposuit, & ejusdem plane naturæ est, ac humor ille, qui in prostatis virorum in eundem usum secernitur. Nonnulli etiam duplex mulierum semen statuunt; alterum nempe ad voluptatem, alterum ad fœcundationem; quorum prius corpora glandosa seu prostatæ sic dictæ, cum reliquis in vagina ductibus, suppeditent, posterius vero seu prolificum semen nullum detur præter ova, quæ in testiculis mulierum, rectius jam ovariis, reperiuntur; v. Casp. Bartholin. *de Ovar. p.* 46. ex quibus tamen hoc ultimum proprie seminis nomine venire potest.

§. 2. Cum

§. 2.

Cum proinde testiculi muliebres non pro eodem scopo, uti viriles inserviant, neque similem humorem elaborant, quid mirum, quod etiam tanta inter ipsos differentia annotetur, siquidem testiculi muliebres virilibus sunt minores, molliores, frigidiores & humidiores, vid. Joh. de Muralt. *Clav. Medicin. Exercit.* 9. *pag.* 397. Ipsorum etiam testiculorum muliebrium pondus, magnitudo atque crassities pro ætatum diversitate diversa est. In pubescentibus enim & in ætatis flore constitutis juxta Regnerum de Graaf *de Org. Mulier. cap.* 12. *Oper. p. m.* 293. plerumque sesqui-drachmam pendent, sic ut tantum dimidiam virilis testis magnitudinem præterpropter obtineant; licet proportione servata latiores & succi pleniores existant. In provectioribus vero ac decrepitis minores, duriores & magis exhausti sensim magis ac magis emarcescunt, nunquam tamen evanescunt; minimos namque vetularum testiculos adhuc scrupulum ponderasse Graafius notavit. In infantibus demum ac recens natis a granis quinque ad semiscrupulum plerumque ponderant; ita ut in his adhuc minores sint, quam in decrepitis: quamvis plerique anatomici dicant, illos majores in infantibus esse, atque cum glandula thymo sensim decrescere. Circa hoc pondus testiculorum a Regnero de Graaf descriptum admonet Isbrandus de Diemerbroc *l. a.* Verosimile esse hanc regulam tam exactam describi non posse, quin sæpe patiatur aliquam exceptionem, & sicut in viris, ita etiam in mulieribus, sæpe aliquam adesse magnitudinis varietatem. Nam in ætate florentibus, prout magis vel minus salaces & ad venerem proclives in vita fuissent, magnitudinem, & per consequens etiam pondus, variasse, ex inspectione cadaverum certo novimus, neque etiam in omnibus vetulis eos semper ejusdem parvitatis invenimus. Inquit enim Jean Palfyn *dans la Descript. des Parties de la Femme p.* 85. Les femmes ont deux testicules ou ovaires plus mols, plus laches, plus megaux, & plus

A virilibus differunt.

Testiculorum magnitudo.

petits, & tantôt plus mols, plus durs & plus secs. Secundum Petri Dionis *Anat. Demonstr. IV. Sect. 2. p. 225.* muliebrium testiculorum crassities adeo præcise designari nequit, plerumque tamen ovi columbini minimi molem non excedit.

§. 3.

Figura. Figura testiculorum muliebrium non æque rotunda est, ac in maribus, sed fere semiovalis, cujus pars antica & postica lata est atque depressa; in inferiori parte testiculi gibbum semiovalem obtinent; in superiori vero, quam vasa sanguinea subeunt, magis plani, quam gibbosi apparent, ita ut testiculi a sanguineis vasis & suis ligamentis divisi, secundum Regnerum de Graaf *l. a.* semiovalem figuram quodammodo depressam exhibeant. Insuper etiam ipsorum superficies non æque polita & æqualis est, uti in viris, sed propter ipsorum contenta hinc inde inæqualitas quædam protuberat. Vel juxta Dominic. de Marchett. *Anat. cap. 7. pag. 70.* testiculi sunt corpora non ovalia, sicuti in viris, sed potius longa & plana, veluti multis glandulis vesiculisque formata.

§. 4.

Substantia. Inprimis autem ratione substantiæ differunt testiculi muliebres a virilibus; quia hi ex mero vasorum seminariorum contextu, illi vero primario ex vesiculis consistunt. Et sane, si mulierum testiculi seminis generationi, perinde ac virorum, incumbere debuissent, natura dubio procul iisdem ubique organis ad eundem effectum producendum usa fuisset; at in toto muliebri testiculo ne minimum ejusmodi vasculorum vestigium, utut quam diligentissime inquisiveris, reperies, cujusmodi in virorum testibus acervatim occurrunt, uti ex Peyeri epistola adducit Johannes de Muralt. *l. a. p.* 414. Supponit etiam Johann. Barholomæus Adamus Beringer *in Idæa Institut. medic. Thes.* 15. *p.* 37. testes femininos congeriem esse non minutissimorum vasculorum, sed minimarum vesicularum, sive ovulorum. Nonnulli testiculis substantiam glandulosam attribuunt, v. g. Guer-

nero

nero Rolfincio *de Partib. Generat. dicat. Part.* 2. *cap.* 3. *p.* 127. propria ipsorum substantia ex sex vel septem glandulis & vesicis coagmentata esse videtur. Secundum Gottfr. Bidloo *Anat. Tab.* 51. interna ovariorum facies ex innumerabilibus membranulis, fibrularum vasorumque plexibus glandulis ac vesiculis diaphanis composita cernitur. Glandulæ vasorum capillamentis non minus intrinsecus, quam extrinsecus obvolvuntur, a vesiculis vero differunt &c. Et juxta Thom. Bartholin. *Anat. Lib.* 1. *cap.* 26. *p.* 248. si substantiam a membrana separes, tota ex pluribus glandulis ac vesiculis coagmentata. De his glandulis ita scribit Petrus Dionis *l. a. p.* 225. *seq.* muliebrium testiculorum substantia componitur ex rotundis vesiculis & exilibus glandulis, quæ singulæ cavitatem exiguam habent, in quam desinunt extremitates capillares vasorum, quæ testiculo implantantur. Ovi liquor in parvas istas glandulas percolatus & secretus a sanguine per arterias delato, transfunditur ex hisce glandulis in exiguas illas vesiculas. Tales glandulas etiam confirmat Johannes Conradus Peyerus *Merycolog. seu de Ruminant. Lib.* 1. *cap.* 5. *p.* 49. profecto, inquiens, feminarum testiculos a coitu affici ac immutari palam indicant pullulantia tubercula fibrosa & glandulosa, quibus ovum quodlibet fœcundum admirando naturæ ingenio liberatur atque secernitur. Econtra vero Joannes Munnick *Anatom. nov. p.* 70. tales glandulas negat, inquiens: Testes substantiæ nec glandulosæ, neque vasculosæ sunt, sed nerveo-carnosæ potius; estque illorum contextus ex multis præcipue membranis ac nerveis fibrillis laxe sibi invicem junctis, in cujus intercapedine plurimæ reperiuntur vesiculæ, humore limpido plenæ. Hæ quoniam testiculos intra sitæ sunt, ceu ova in avis ovario, & similiter ac illa ad generationis actum concurrunt, passim nunc ova, ac muliebres testes ovaria appellari consueverunt. Pluribus insuper partibus, e. g. membranis seu tunicis, nervis, vasis aliisque corporibus muliebres testes consistunt, de quibus, ob evitandam prolixitatem,

hactenus allegati & alii autores evolvi, vel etiam sequentia videri possunt.

§. 5.

Substantiam testiculorum muliebrium carnosam seu musculosam anatomicus academiæ regiæ scientiarum, nomine Littre, in ovario muliebri extraordinariæ magnitudinis observavit, ejusque usum sequentibus verbis descripsit: L'ovaire droit étoit gros comme un oeuf de cane. Il étoit separé interieurement par une cloison membraneuse en deux cellules membraneuses aussi. Elles n'étoient remplis toutes deux, que d'une liqueur aqueuse, un peu épaisse & trouble, en la quelle toute la substance propre de l'ovaire s'etoit changée. Apparement cette liqueur en humectant peu à peu les membranes de l'ovaire, & en s'amassant dans leur capacité, les avoit étendus, & avoit causé la grande dilatation de cette partie. A la faveur de cette dilatation, on voyoit fort distinctement deux membranes, qui enveloppoient entierement l'ovaire, & qui avoient chacune une demi-ligne d'epaisseur. Entre ces deux membranes étoit une substance musculeuse, qui avoit la même étenduë & à peu prés la meme epaisseur. Cette substance musculeuse, que cet état extraordinaire n'avoit fait, que rendre visible, & qui doit être supposée dans tous les autres ovaires, aura plusieurs usages pour rapport aux œufs. Elle servira à entretenir & à faciliter le mouvement necessaire des liqueurs dans l'ovaire: elle fera sur toutes celles parties une compression, qui empechera les oeufs de devenir plus gros, qu'ils ne doivent être, tout qu'ils y sont renfermez, & qu'il n'ont pas été touchez de l'esprit seminal du mâle. Mais ausi dés que quelques-uns l'auront été, & que par là ils seront devenus capables de grossir malgré la compression de la substance musculeuse; elle les obligera par cette même compression, à sortir de l'ovaire, ou du moins les y aidera, v. Jean Palfyn. *l. a. p.* 87. Et Michael Ettmüllerus *Institut. med. Physiol. cap.* 22. *Vol. I. fol. m.* 161. scribit:

Per-

Perquam notum est, testium muliebrium substantiam, tam in homine, quam in brutis esse crassam ac firmam, membranosam & fibrosam, cum intercapedinibus seu alveolis quibusdam inde formatis, in quibus reperiantur quamplurimæ vesiculæ, quarum quælibet peculiarem suam habeat tunicam membranaceam admodum tenuem, neque cum alia cohæreat, repletaque sit humore albicante lacteo, ita quidem, ut in talibus vesiculis in aquam ferventem immersis, dictus humor mox coaguletur in formam albuminis vel vitelli ovi indurati, ut ita dictæ vesiculæ sint revera tot ovula, generationi destinata. Plura vid. Joh. Guilielm. Pauli *Annot. in Joh. van Horne Microcosm.* §. 67. *p.* 238. *seq.*

§. 6.

Porrro situ differunt utriusque sexus testiculi, quia secundum naturam in viris ordinarie extra abdominis cavitatem in scroto reperiuntur, quanquam interdum etiam præter naturam alter vel uterque in abdominis cavo latitanter deprehendatur, uti in Spermatologia nostra *cap. II.* §. 15. *p.* 56. *&* §. 20. *p.* 62. *item cap. IX.* §. 4. *p.* 428. probavimus. In mulieribus vero semper intra abdominis cavitatem in extremitatibus tubarum positi, latisque uteri sic dictis ligamentis annexi, circa uteri fundum latent, ibidemque quasi suspensi in non gravidis eandem fere cum uteri fundo altitudinem habent; in gravidis tamen increscens uteri fundus ab iisdem paulatim sursum recedit, unde quo uteri fundus magis ascendit, eo quoque magis ab illo distant, atque inferiorem, quam fundus, locum obtinent, econtra vero uteri latera eo magis ad testiculos accedunt. De ratione hujus situs scribit Petrus Dionis *l. a. p.* 224. nos persuasos voluerunt quidam, testiculos muliebres a natura sic locatos fuisse in hunc tantum finem, ut semen contentum calefacerent, meliusque perficerent; quam si extrinsecus, ut in viris, positi fuissent; alii dixerunt, id factum fuisse, ut mulieres ad generationem propensiores redderentur. Sed missa naturæ scopi nimis curio-

Situs.

curiosa indagatione, dicere possumus, locum, quem occupant, quovis alio ipsis commodiorem esse, quandoquidem enim cum utero magnum commerrcium & arcta relatio illis intercedit, ab eodem eos non longe distare consentaneum erat. Et juxta Regn. de Graaf *l.a.p.* 293. in interiori abdominis cavo collocantur, ut utero propius adstarent, & tanto melius atque felicius id, ad quod nati sunt, efficerent.

§. 7.

Usus. Quid autem efficiant, seu cui usui destinati sint dicti testiculi, magnum inter priscos & modernos datur dissidium, dum alii eosdem nullius usus & potius testium cadavera esse statuunt, alii in iisdem feminarum semen elaborari, atq; sub forma humoris in & extra coitum emitti defendunt, indeque nocturnas feminarum pollutiones derivant; quas & alias sententias collegit Gothofredus Mœbius *Fundam. Medicin. physiolog. Cap.* 20. *pag.* 523. *seqq.* Has vero recentiores anatomici variis rationibus refutant, inque testiculis muliebribus eorumve vesiculis seu ovulis verum semen femineum embryonisque materiam includi defendunt. Cui ex ovulis generationi pervestigandæ imprimis Guilielmus Harveus maximam navavit operam, inque suo tractatu de generatione animalium prolixe defendit. Ut itaque mirum videatur, cur ipse dictus autor *Exercitat.* 65. *p. m.* 428. variorum animalium testiculos non generationi, sed aliis usibus vilioribus, destinatos esse contendat, dum scribit: Testiculi in cervis & damis, ut & ovibus, capris ac bisulcis omnibus, visuntur quidem, sed sunt quasi parvæ glandulæ, quæ prostatis potius, aut mesenterii glandulis proportione respondent, quam semini eique prolifico concoquendo, coitusque tempore profundendo institutæ sunt. Sumque egomet hujus sententiæ, tum ob alias rationes plurimas alibi allatas, tum maxime, quod coitus tempore (quando maribus testiculi turgent, & humore seminali replentur) in cervis & damis cæterisque viviparis omnibus uteri cornua immutentur, testiculi autem dicti (tanquam

ad

ad generationem nihil facerent) nec turgeant, nec quicquam a solita constitutione (sive ante coitum, sive post ipsum) varient, neque ullo indicio utilitatem aliquam vel ad coitum vel ad generationem afferant. Circa hunc locum de testiculis femininis Harveum errorem, ut homines sumus, gravem errasse judicat Johannes Conradus Peyerus *Merycolog. sive de Ruminat. Lib.* 1. *cap.* 5. *p.* 49. ubi pergit: Contrarium sane experientia nos docuit, femellarum testiculos ad generationem animalium tantum contribuere utilitatis, ut plane fons sint & promptuarium fœtuum omnium: nam partibus istis castratione ademptis, aut casu vel morbo destructis, animalia sterilescunt, nec amplius concipiunt; quia simul abolentur ova, in quibus conceptuum ideæ speciatim delitescunt. Profecto feminarum testiculos a coitu affici ac immutari, palam indicant pullulantia tubercula fibrosa & glandulosa, quibus ovum quodlibet fœcundum admirando naturæ ingenio liberatur atque secernitur. Vidimus hæc & palpavimus aliquoties cum in vaccis, ovibus & capris, tum præcipue etiam in damis vulgaribus cervini generis. Exigui quidem, fateor, sunt damarum testiculi, sed post coitum fœcundum in alterutro eorum papilla sive tuberculum fibrosum semper succrescit, quo ovum seu conceptus ab ovario liberatur, ut per tubam postea descendat in uterum &c. Secundum verba Regneri de Graaf *l. a. p.* 302. communis femellarum testiculorum usus est, ova generare, fovere & ad maturitatem promovere; sic ut in mulieribus eodem, quo volucrum ovaria, munere fungantur; hinc potius mulierum ovaria, quam testes appellanda veniunt: siquidem nullam similitudiem tum forma, tum contento cum virilibus testibus proprie dictis obtinent: quapropter ut inutilia quædam corpora a multis habiti fuerunt; & minus recte, quandoquidem illi ad generationem summopere necessarii existant; quod probat mira vasorum præparantium circa illos contorsio, atque confirmat ipsa femellarum castratio, quam sterilitas infallibiliter concomitatur &c.

tur &c. Verbo in testiculo muliebri inchoatur generatio seu conceptio, de qua & ovulis alibi plura in peculiari tractatu tractanda erunt.

§. 8.

Testiculi magni. Restant adhuc pauca de præternaturali muliebrium testiculorum statu, quandoque enim in nimiam extenduntur magnitudinem, siquidem in hystericis virginibus testes pugno grandiores seroso semine turgentes se deprehendisse scribit Joannes Riolanus *Anthropograph. Lib.* 2. *cap.* 35 *fol. m.* 184. Testiculum dextrum totum extensum, cavum, pure repletum adeo, ut vix agnosci amplius potuerit in femina hydropica annotavit Christophorus Harderus *M. N. C. Dec.* 1. *An.* 3. *Obs.* 180. *p.* 339. Inquit etiam Casparus Bauhinus *Theatr. anat. Lib.* 1. *cap.* 35. *p.* 114. in hystericis, licet virgines adhuc sint, testiculos adeo humore seroso turgere, ut pugno grandiores reperti fuerint, & aliquando tumor instar magni globi in ipsarum ventre tactu deprehendatur. Quare & hydrops testiculorum datur, qualem in matrona observavit; e cujus dextro testiculo post mortem aperto novem seri libræ effluebant; sinister vero testiculus magnitudine fere malum cotoneum æquabat. Testem mulierem pilæ palmariæ magnitudinem excedentem, atque humorem viscidum continentem se observasse refert Isbrandus de Diemerbroc *Anatom. Lib.* 1. *cap.* 24. *p.* 131. Dextrum testem ad magnitudinem ovi gallinacei tumidum & serositate plenum vidit Dominicus de Marchett. *Anat. cap.* 7. *p.* 71. De testiculo ad pugni magnitudinem, vid. Steph. Blancard. *Collectan. med. phys. Cent.* 1. *Obs.* 28. *p.* 58. In matrona quadam per longum temporis spatium, sed frustra, gravidam se putante, inter alia ambo testiculi præter naturam adeo excreverant, ut magnitudinem pugni excederent, erantque inæquales, duri & ad instar fere uvæ, juxta Guil. Fabric. Hildan. *Obs. Chir. Cent.* 2. *Obs.* 55. *fol. m.* 128. Ancilla quædam, cui, suppressis mensibus, ita intumescebat venter, ut ratione molis male audiret, tandem de vita desperans, ut mortuum corpus secare-

caretur, pro innocentiæ testimonio petiit. Secto itaque cadavere atque emissa plurima aquæ copia, inter alia testes ab utraque parte non solum tumidi ad magnitudinem capituli recens puelli, sed etiam lividi, quasi fungosi, pleni vesicis aquosis, quæ majori ex parte ruptæ fuerant, reperiebantur &c. v. Joh. Schenck. *Obs. medic. Lib.* 3. *fol. m.* 432. In defuncta puerpera Philippus Jacobus Hartmannus testiculum dextrum magnitudine pomi Borsdorfferiani mediocris distentum conspexit. v. *M. N. C. Dec. III. An.* 5. *&* 6. *Obs.* 209. *pag.* 418. Ex feminæ, quinquaginta sex annorum, ascite cum gravitate & tumore duro ad regionem uteri laborantis, & post sesquiannum defunctæ aperto abdomine effluxerunt circiter quadraginta mensuræ aquæ sat limpidæ, & testiculus dexter tantæ erat magnitudinis, ut caput infantis æquaret, teste Adamo a Lebenwald *M. N. C. Dec. III An.* 1. *Obs.* 92. *p.* 147. De teste sinistro libras decem pendente vid. Ant. Nuck. *Adenogr. curios. cap.* 8. *p.* 90. *seq.* Testiculum sinistrum pugni magnitudinem circiter adæquantem vid. Nicol. Blegny *Zodiac. An.* 1. *p.* 7. In sorore religiosa ovarium dextrum pugni erat magnitudine, sinistrum mole & figura ovum gallinæ maximum repræsentabat. Dextro a chirurgo aperto multum puris liquidi inodori prodiit, vid. Histor. Acad. Reg. Scient. Paris. *An.* 2. *s.* 1700. *p.* 277. Ex matronæ cujusdam dextro teste majori prominebat globosum corpus, magnitudine cerasi, carnea facie, ex quo dissecto fœtidum pus, minus fluidum, instar amurcæ fuscum profluebat, observante Philippo Jacobo Hartmanno *M. N. C. Dec. II. An.* 5. *Obs.* 75. *p.* 173. Ingentes etiam testiculorum muliebrium seu ovariorum hydropes annotarunt observatores medici, vid. Joh. Jacob. Harder. *Apiar. Obs.* 87. *pag.* 325. *&* 329. *M. N. C. Dec. II. An.* 10. *Obs.* 27. *p.* 66. Joh. Mauric. Hoffmann. *Disquis. Corp. hum. anat. patholog. Specim. IX.* §. 3. *p.* 114. de ovariorum hydrope *Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent. VII. & VIII. Obs.* 114. *p.* 267. Rara etiam est observatio de hydrope ovarii muliebris utriusque, quam Johannes Muys *Prax. med. chir. Decad. X. Obs.* 7. *p. m.* 362. *seq.* recenset de virgine quadraginta annos

nata, per longam annorum seriem misere laborante mensium profluvio, inde progressu temporis in hydropem est prolapsa. Interea temporis incredibilis seri limpidi copia quotidie ex utero promanabat, cum innumeris vesiculis albis & membranosis, disruptis quidem, sed adhuc aqua viscida semiplenis, quæ aeri exposita fluidior fiebat & prorepebat. Harum vesicularum una altera major erat, sed pleræque globuli lusorii molem æquabant aut superabant. Ægrota dicebat, se posse vivide satis persentiscere has vesiculas prodire e latere sinistro; & post aliquot dies iterum affirmabat, easdem venire e latere dextro, sed hæ paulo rubicundiores existebant in extremitate sua. Morbum hunc judicat dictus Muys fuisse hydropem ovarii utriusque, atque ova sero plena ob angustias viarum in exitu fuisse disrupta, unde tanta seri copia cum vesiculis prædictis profluxerit ex utero. Remanet tamen, mea quidem sententia, adhuc dubium, quomodo tot tantique globuli, instar lusoriorum & ultra, ex ovariis per tubas ad uterum descenderint, & quo stimulo, an venereo, se tubæ ovariis pro globulis assumendis applicuerint? hinc optarem, ut ex hujus subjecti defuncti sectione meliorem notitiam & certitudinem habuissemus.

§. 9.

Calculi & alia. Cum nulla fere in corpore humano pars detur, a calculis seu lapidibus immunis, non mirum, quod etiam ovarium dextrum lapillis nonnullis instar granorum milii turgidum in meretricis cujusdam hydrope extinctæ cadavere dissecto conspexerit Benjaminus Benedictus Petermannus, juxta ipsius *Obs. medic. Dec. II. Obs. 9. p.* 40. Testem dextrum in virgine triginta trium annorum, ex mensium suppressione atrophia defuncta, propemodum scirrhosum annotavit Otho Heurnius *Obs. med. Histor.* 8. *p. m.* 13. Sinistrum ovarium admodum turgidum dissectum lentam & flavescentem gelatinam ploravit, juxta Act. Medic. Berolin. *Vol. IV. p.* 92. Materiam gelatinosam nigricantem in feminæ salacissimæ dextro ovario annotavit Gothofredus Klaunigius

gius *Ephem. Acad. Natur. Curiof. Cent. VII. & VIII. Obf.* 64. *p.* 141. De fteatomate ovarii dextri botryoide idem autor loco allegato expreffe agit; Virgo fcilicet formofa ætatis fuæ anno decimo quarto primitias experiebatur fluxus menftrui, qui mox emanens variis miferiis anfam dedit. Habitus corporis floridus fucceffive degenerabat in fubtumidum virore quodam albicantem, artus invafit laffitudo, refpiratio erat difficilis atque rara, verbo cachexia innotuit. Dehinc tumor tactu durus & doloris expers ab offe pubis ad diaphragma usque procedens totum ventrem infimum tympani inftar magnam in molem diftenderat, ut dicta virgo a nonnullis prophetis medicis gravida declararetur. In defuncta autem puella ovarii dextri nullum reftabat veftigium, poftquam propaginem dediffet huic excrefcentiæ, quæ inftar botryonis cum fuperficie nodofa uvas repræfentante longe lateque progerminaverat. Gaudebat hæc moles, decem libras ponderans, propria tunica vafisque in ea reptantibus, & diffecta ubique oftendit materiam flavefcentem febaceam, ut non hæfitaret dictus autor fcirrhofam hanc compagem fteatomatis botryoidis nomine infignire. Nonnunquam in virginibus hyftericis & puerperis poft obitum diffectis teftes atheromate & fteatomate pugni magnitudine diftentos deprehendiffe Johannem Riolanum, ex eodem allegat Theophilus Bonet. *Sepulchr. Lib. IV. fol.* 1329. De fteatomatibus ex dextro ovario puellæ quindecim annorum, ftatuarii filiæ, productis, abdomen immenfam in molem extendentibus & decem libras ponderantibus, vid. Godofr. Klaunigii *Nofocom. Charit. Obf.* 24. *pag. m.* 102. In viduæ cujusdam, peripneumonia & cordis palpitatione laborantis aperto cadavere tefticulus finifter exigui ovi magnitudinem æquabat, colore nigricante, eoque aperto fubftantia illius fpongiofa, nigra & veluti gangræna affecta vifa eft. Imo ftatim ab apertione excidit a tefticuli medio materia quædam nuclei inftar & grumo fanguinis putrefacto fimillima, obfervante Lazaro Riverio *Obf. med. Cent. I. Obf.* 60. *p.* 64.

§. 10.

In testiculis pili.

Quandoque etiam pilos numerosos non solum muliebri testiculo succrescere, sed illos quoque pilis repleri, sequenti observatione Casparus Bauhinus *Anatom. Lib.* 1. *Cap.* 35. *p.* 114. confirmat. Paupercula quædam per aliquot menses, ut hydropica, decubuit, cujus venter tantæ molis erat, ut tympanum classicum inversum referret, tumore duro, renitenti & hemisphærico. Ex umbilico disrupto, altero ante obitum die, circiter sedecim mensuræ (quælibet trium librarum) effluxere, chirurgo permittente, & vesperi rursus reserato foramine aliquot mensuræ effluxere. Cadavere aperto testiculus dexter ovi anserini magnitudine propendebat, & huc illuc lagenulæ instar moveri poterat, cujus tunica forinsecus lævis, lubrica albaque, at novacula incisus testiculus pilis oblongis, albis, tunicæ infixis plenus repertus, quibus mucosa & purulenta materia, non tamen fœtens interjecta erat: sinister vero testiculus a naturali statu non recedebat. At in pube pili nulli conspecti fuere. Hujus hydropicæ meminit etiam Guilhelmus Fabricius, Hildanus, *Observ. chir. Cent. V. Obs.* 48. *fol. m.* 435. hujusque feminæ ventrem post puerperium in tantam magnitudinem excrevisse addit, ut an unquam similis visus sit, valde dubitet. Circumferentia enim ducto per medium umbilici filo, continebat pedes Geometricos quinque, & triduo ante obitum, rupto umbilico, ultra mensuras octodecim Basileenses aquæ effluxit; Cumque cadaver apertum esset, iterum aquæ ultra mensuras viginti effluxit. Præterea testiculus dexter ad ovi anserini magnitudinem adauctus pilis (materiæ cuidam purulentæ, oleaginosæ & albæ commixtis) infarctus repertus fuit. Major autem pars pilorum confuse & quasi in globum acta prædictæ materiæ immixta erat. Multi quoque interiori membranæ tenaciter inhærebant &c. vid. etiam Joh. Rhod. *Obs. Cent. IV. Obs.* 44. *p.* 141. *seq.* In ovario dextro sororis charitatis, cujus paulo ante ex historia *Acad. Scient. Paris. p.* 277. meminimus, multum puris liquidi inodori

dori prodibat, restante massa instar magni glomi capillorum, cum sebi specie subacti. Cum Lugduni anno 1578. subito mortua esset mulier quædam sola, & suspicio esset de vi aliqua illata, Johannes Bauhinus imperante magistratu, corpore externe & interne prius diligenter inspecto, nullam causam subitaneæ mortis invenire potuit, præter tumorem magnum testiculi dextri, ob copiam pilorum & materiei similis sevo, cum pure, unde matricis præfocationem violentissimam & lethalem excitatam fuisse verisimile judicavit, uti ex ipsius observationibus refert Theophilus Bonetus *Sepulchret. Lib. III. Sect.* 33. *Obs.* 4. *fol.* 1329. De pilis & osse in testiculo puellæ cujusdam annos quindecim natæ sequentem observationem annotavit Cornelius Stalpart van der Wiel *Obs. rar. Cent. post. Obs.* 37. *pag.* 388. *seq.* Anno 1682. filiæ cujusdam testiculis dexter æquabat ovi anserini magnitudinem, atque intra eum alba quædam reperiebatur materia, cujus substantia putrefacto caseo similis pilis permista erat, plerisque magnitudine minimo digito paribus, quorum etiam pars non parva instar minoris capillitii firmiter interiori testiculi adnata erat parti. In eodem etiam os quoddam reperit Stalpartius, quod similiter interiori membranæ annexum magnitudine phaseoli ac colore albo erat.

§. II.

Suppurationem testiculi muliebris in Comitissa quadam observavit Johannes Christophorus Banzmannus. Scilicet cum ipsa per duodeviginti menses dulcissimos amoris fructus in conjugio auspicatissimo legisset, annos nata novendecim, uterum ferens, ultimis gestationis mensibus aliquoties de dolore hypochondrii dextri conquerebatur, in partu tamen, quo filiam lectissimam enitebatur, omnia bene & ex voto succedebant, secundina libere subsequente, lochiis vero non nisi cum fœtore fluentibus. Octavo a partu die autem febricitare, de ardore in regione matricis lamentari, tumque diarrhœa laborare cœpit, abdomine prægnantis ad instar elevato. Et quamvis plurium *Testiculus suppuratus.*

medi-

medicorum consilia adhiberentur, nihilominus tamen placide obdormiebat. Aperto cadavere vulnereque facto statim post leviter sauciatum peritonæum, aura graveolens, acida, putrida, & quæ vix ferri poterat, petebat nares. Detecto autem omento & data porta illico intestina prorumpebant, flatibus referta omnia purulentæ aquæ, quæ hac & illac effluebat, innatantia, ut priusquam dignoscere quidquam liceret, hujus cum pure permixtæ libras quatuor & supra spongiis excipere opus esset. Demum uterus naturaliter, tam intus, quam foris constitutus inveniebatur, ejusque testiculus sive ovarium sinistrum cum tuba & ligamentis salvum, dexter vero testiculus putridus, exesus, fœtidus, disruptus, sine parenchymate, quem saccinum potius, cujus vulnus tubam versus vergebat, dixisses. vid. *M. M. C. Dec. II. An.* 4. *Obs.*38.*p.*95.*seq.* In utroque ovario & tubis Fallopianis matronæ febre hectica defunctæ pus annotavit Joh. Mauricius Hoffmannus *Ephem. Cent.* 8. *Obs.* 27. *pag.* 296. Unius ovarii parenchyma plane ulceratione exesum & consumptum in uxore quadam phthisica, cui abdomen uno latere magis, quam altero intumescebat, observavit Richardus Morton *de phthis. Lib.* 3. *Cap.* 14. *Oper. Tom. I. p. m.* 203. de abscessu ovariorum *vid. Ephemerid. Acad. N. C. Cent. V. & VI. Obs.* 21. *p.* 33. *seq.* De vesiculis tetro atroque humore repletis juxta uteri testes deprehensis v. *Othon. Heurn. Obs. Histor.* 46. *p.* 19.

§. 12.

Testiculorum defectus. Desideratur etiam interdum a variis causis alter vel uterque testiculus muliebris; exempli gratia in virgine sexaginta quinque annos nata, diu præternaturali mensium fluxu & prolapsu uteri vexata post mortem Sylvius Samuel Anhornius in latere sinistro nullum testiculum, & ejusdem lateris tubam in ligamentum aliquod latum abeuntem vidit, v. *M. N. C. Dec. II. An.* 6. *Obs.* 24. *p.* 91. In pictoris cujusdam uxore lateris dextri testiculus deficiebat, annotante Jobo a Meeckren *Obs. cap.* 52. *pag.* 235. Et annotante Johanne Georgio Volcamero *Dec. I.*

An. 2.

An. 2. *Obs.* 226. *p.* 328. Virgo ætatis quadraginta quinque annorum in naturalibus suis magno tentari cœpit dolore, unde illi ex rima caruncula, duobus funiculis adhærens, propendit, quæ insignem patienti incussit metum. Sectione autem semiputris illa massa ablata summum exhalavit fœtorem, quæ calidæ injecta aquæ testiculum vasis suis annexum præsentavit. Dolore illo interim nil minus sæviente atque eruptionem molis majoris minitante, consilio dicti Volcameri chirurgus coalitum hymenis prævio stilo laxabat, quo facilior urgenti moli pateret exitus. Subsequitur & alter testis, æque fœtens, vi interim excretrice nonnihil acquiescente. Non autem solummodo bini testiculi dictæ virgini fuere ablati, sed postero etiam tempore per ligaturam uterus decidit. *v. An.* 6. *&* 7. *Obs.* 73. *p* 102. Licet autem tales carunculæ testiculum cum vasis suis præsentarint, impossibile tamen est testiculos, in abdominis cavitate latentes, nisi uterus fuerit sphacelatus, prodire potuisse.

§. 13.

Cum hactenus testiculos muliebres aliquoties ovaria nominaverim, de primo hujus denominationis inventore monendum, eandem a nonnullis anatomicis Nicolao Stenoni adscribi, siquidem Johannes Swammerdammius *Miracul. Natur. sive de Uter. muliebr. Fabric. cap.* 11. Stenonem, quantum ipse sciat, primum hoc ovarium divulgasse inquit. vid. *Biblioth. anatom. Tom. I. fol. m.* 496. Thom. Bartholin. *Anat. Lib.* 1. *cap.* 26. *p.* 248. Et Justus Schraderus *Præfat. in Harv. Observ.* inquit: Nicolaus Steno *in Muscul. descript. anat.* 1667. in lucem emissa, obiter quasi memorat, dari in feminis testes ovario analogos, id quod ante ipsum quenquam publice pronunciasse haud crediderim. Alii econtra talem inventionem Johanni van Horne tribuunt, e. g. Jean Palfyn *dans la descript. anatom. des parties dela femme p.* 85. scribit: On doit la premiere decouverte des ovaires & des œufs *Ovariorum inventor.*

à Jean van Horne, anatomiste de Leyden, qui la rendoit publique par une lettre, qu'il ecrivit à Rolfincius, & la quelle il fit imprimer en l'anne 1668. Les autres anatomistes incités par cette premiere decouverte de van Horne, qu'il ne put neanmoins conduire à sa perfection, étant mort dans un âge peu avancé, entreprirent de la pousser plus loings, entre les quels Regnerus de Graaf, medecin de Delpht, qui donna au public au commencement de l'anne 1672. ses exactes recherches, accompagnées de belles planches, & de ses speculations sur l'histoire des œufs, qui merite veritablement le plus de gloire. *Plagium.* Quæ Palfyni verba ex Isbrandi de Diemerbroc *Anat. Lib.* 1. *cap.* 24. *fol. m.* 129. desumta, atque ex Latina in Gallicam linguam translata sunt; dicti enim Diemerbroccii verba sic sonant: Ovariorum & ovorum primam inventionem debemus Johanni van Horne, anatomico Leydensi, qui hoc suum inventum publici juris fecit in epistola quadam ad Rolfincium scripta, & anno 1668. edita. Hoc antecessore excitati alii anatomici istam telam, quam Johannes van Horne, præmatura morte sublatus, ad perfectionem deducere nequivit, ulterius pertexere instituerunt, inter quos palmam facile meretur Regnerus de Graaf, medicus Delphensis, qui accuratissima sua inventa, cum elegantibus delineationum figuris & simul suas speculationes super dicta ovorum historia per typum divulgavit in principio anni 1672. Loco autem allegato Isbrandus de Diemerbroc ita pergit: Post aliquot menses insecutus est Johannes Swammerdammius, medicus Amstelodamensis, qui tamen in libello suo, quem miraculum naturæ appellat, de prima delineationum gloriola cum Regnero de Graaf acerbissime contendit, idque tanto cum fervore, ut totum ovarium cum ovis non melle; sed amaro felle oblinire velle videatur. De hac ovarii inventione atque denominatione sequentia refert Michael Ernestus Ettmüllerus *Epistol. ad Fred. Ruysch. de Ovar. nov. p.* 3. Communis veterum erat distinctio inter animalia ovipara

para & vivipara: quibus ultimis quoniam genus humanum accensebatur, non solliciti erant medici de ovis humanis investigandis. Ex quo vero Harveus, ductu Fabricii ab Aquapendente, hanc distinctionem ad exclusionem tantum, non vero ad primam formationem foetuum esse restringendam, docuerat, omnia omnino animalia ex ovo nasci adstruxerat, atq; analogiam inter pennatorum aliorumque animalium ova ostenderat, nullus non humana ova investigandi omnes animi nervos intendebat. Primus tamen omnium Johannes van Horne in epistola de genitalibus anno 1668. quod est ovarium in oviparis, testes esse muliebres, diserte enunciabat, utpote qui perfecta ova intra se contineant, humore scatentia & pellicula propria circumcincta. Quem sequebatur Nicolaus Steno, & Johannes Swammerdammius atque Regnerus de Graaf aliique successu temporis plures. Quanquam primam hujus inventionis gloriam Carolus Drelincurtius in lucubrationibus de feminarum ovis sibi tribuere maluerit. In qua sententia eo magis confirmabantur, cum Theodorus Kerckringius an. 1671. in Anthropogeniæ Ichnographia foetus humani rudimenta in illis ovulis inveniri demonstraret, & foetus trium aut quatuor dierum, quindecim dierum, trium septimanarum, unius mensis & sex hebdomadum ex illis ante oculos posuisset. Ex quo denique Dominus de S. Maurice in epistola, anno 1682. Parisiis perfectum foetum in dextro ovario post matris mortem se vidisse testabatur, testiculos muliebres genuina continere ovula a nullo medicorum negatum iri, omnes confidebant. Ipsa autem Johannis van Horne ad Guernerum Rolfincium perscripta epistola, de genitalibus, ipsius Microcosmo annexa reperitur, in qua *p. m.* 271. quærit: quid conferunt testes mulieribus? atque respondet: plurimum profecto, & proinde cum Hoffmanno *Instit. Lib.* 2. *cap.* 44. non sunt habendi pro cadaveribus testium, imo ab ipsis totum generationis opus naturale dependet: quod enim est ovarium in oviparis, sunt testes

muliebres, utpote qui perfecta ova in se contineant, humore scatentia & pellicula propria circumcincta. Sic etiam ovulorum muliebrium denominationem Johanni van Horne tribuit Isbrandus de Diemerbroc *l. a. fol.* 131. Vesiculas, inquiens, quæ secundum naturam in testibus mulierum reperiuntur, Johannes van Horne ova primus nominavit, idque convenientissimum nomen exinde sequentes anatomici reservarunt, cum revera sint ova, & in illis, minoribus adhuc existentibus, nil nisi tenuis quidam liquor contineatur, qui similis est albumini in avium ovis contento & ovis illis coctis eodem modo concrescit seu coagulatur, ut albumen in avium ovis, nec ab hoc albumine consistentia aut sapore quidquam differt. Cum vero Gabriel Fallopius *Observat. anat. Oper. Tom. I. fol.* 421. in testiculis femininis quasdam veluti vesicas aqua vel humore aqueo, alias luteo, alias vero limpido, turgentes se vidisse scribat, sane etiam dicto Fallopio ovulorum atque ovarii inventio adscribi poterit. Ipse etiam Hippocrates vel quis alius autor libri de Natura Puer. *Oper. Sect.* 3. *fol. m.* 16. abortum in ovo contentum a femina rejectum se observasse scribit; mulieri, inquiens, nobis familiari perelegans erat fidicina, quæ cum viris conversabatur, & quam minime decebat gravidam esse, ne viliore loco haberetur. Hæc audierat, quæ mulieres inter se narrant, si quando mulier conceptura sit, genituram intus manere, neque foras egredi. Quibus auditis & intellectis, ea semper in animo habuit, cumque aliquando genituram non exire percepisset, rem ad dominam detulit, quæ ad me etiam pervenit. Quo audito ipsa ut in terram desiliret jussi. Quod cum jam septies fecisset, genitura in terram cum sonitu defluxit. Quam illa videns non sine admiratione spectavit, ego vero qualis erat referam. Ut si quis ovo crudo externam testam undique auferat, in quo interiore membrana contentus humor pelluceat, ad hunc fere modum se habebat liquor

ille

ille &c. Et Ariſtoteles *de Hiſtor. animal. Lib. VII. cap. 7. fol. m.*436. inquit: Semen genitale inſinuatum in utero, diuque contentum membrana obducitur: quippe quod antequam diſcernatur, exeat velut ovum in ſua membranula contectum, detracto putamine. De Harvei & Langlæi inventione ovarii vid. Juſt. Schrad. *Obſerv. Præfat. p. ult.* Imo videntur Georgio Franco *Satyr. med.* 5. *p.* 87. *ſeq.* jam olim aliqui per nebulas res animadvertiſſe, quando in teſtibus mulierum modo glandulas modo veſiculas locarunt.

§. 14.

An teſtes ſint ovaria? Negant alii.

Hæc equidem teſticulorum cum ovariis atque ovulis comparatio atque denominatio nonnullis diſplicet. Inquit enim Michael Bernhardus Valentini *Epiſt. ad Joh. Dan. Widtium*, ſe factis, in ſubjecto muliebri, variis circa famoſum nuper, nunc tamen in dubium rurſus tractum, recentiorum ovarium, tubæ Fallopianæ ductum, ejusque expanſionem foliaceam, experimentis, ſcitu viſuque dignam prorſus urethræ inſertionem philiatris demonſtraſſe. vid. M. B. Valentin. *Polychreſt. exotic. diſſert.* 9. *p.* 207. *& M. N. C. Dec. II. An.* 2. *App. p.* 461. Et Guſtavo Caſimiro Gahrliep novum illud ovarii muliebris inventum, an commentum? adhuc difficultatibus laborare videtur ac tricis, haud ita prompte extricandis, vid. *M. N. C. Dec. III. An.* 7. *&* 8. *Obſ.* 56. *p.* 57. ubi pergit: nec illa in ovis illis præſuppoſitis, ſi non ſuppoſititiis, rudimenta totius fœtus fidem adhuc in mente mea plenam invenerunt: ſpecioſi quidem ſunt ingenii valde prompti partus, at nondum, ut mihi videtur, ſatis etiamnum maturi, ut plene adoleſcant. Inter plurima argumenta, quibus ad hoc aſſerendum movetur dictus autor, non poſtremum eſt prolis in utero, ut nutriendi & augendi, ſic efformandi officium matri deberi, & quidem præcipue vi imaginaria mentis, phantaſiæ nempe maternæ in fœtu pro lubitu bene agentis, qua etiam in perfecto fere jam fœtu diverſas operatur

quasi metamorphoses, addit, detrahit, auget, minuit figuram, colorem aliaque accidentia mutat, mutilat, adstruit, destruit, imo annihilat membra, omni procul dubio ante jam efformata & perfecta. Ob aliam adhuc causam alii autores ova in ovario admittere noluerunt, scilicet quia nesciverunt, unde tam copiosum, qui in coitu profluit, humorem deducerent, nisi a testiculis, qui semen suum profunderent. vid. Casp. Bartholin. *de Ovar. pag. m.* 18. De cujus vero ortu & lacunis jam supra egimus.

§. 15.

Alii affirmant.

Plerique tamen recentiorum dicta ovarii & ovulorum nomina defendunt. Inquit enim Emanuel Kœnig *Regn. animal. Sect. I. Art.* 15. *p.* 75. in mulieribus testes ovarium sunt, quod in abdominis cavo locatum uteri lateribus valido ligamento, pro vase deferente communiter habito, annectitur: Substantia ejus, detracta tunica externa inter fibrillas laxo sibi invicem nexu junctas vesiculas plurimas, etiam trigesimum quandoque numerum excedentes, monstrat, quæ ovula sunt molli involucro membraneo obducta, variæ magnitudinis, repleta humore limpido idealiter tincto, seu in tenellis suis staminibus, præsertim post ingravidationem, omnes totius corporis partes delineatas continente, dum in ea partes minimæ pro homine efformando ita unitim concentrantur, ut in vegetabilibus idea illius plantæ in semen: Et Johannes van Horne *Epist. ad Rolfinc. de Genital. Oper. p.* 271. scribit: quod ovarium est in oviparis, sunt testes muliebres, utpote qui perfecta ova intra se contineant &c. ibidem etiam *p.* 238. defendit Johannes Guilielmus Pauli *Annot. in Horn. Microcosm.* quod vesiculæ, tanquam potior testium muliebrium portio, ova non minus, ac testes ipsi ovarium ob similitudinem, quam testes atque vesiculæ cum ovario ovisque avium obtinent, ab autoribus appellentur. Casparus Bartholinus *de Ovar. mulier. pag. m.* 44. *seq.* inquit: quæ de semine fluido in testibus

ſtibus mulierum, de vaſis deferentibus &c. antiqui finxerunt, & hodierni nonnulli retinuerunt, falſa ſunt, cum in viviparis, quemadmodum & oviparis, ovorum atque oviductuum eædem ſint conditiones, conformatio atque connexio, non improbabilem, quinimo demonſtrabilem haud immerito crediderim aſſertionem noſtram, quod vera ſit analogia, quæ inter feminarum teſtes, omnium ſpecierum, inſtituitur, ovaria poſthac tam in viviparis, quam oviparis dicendos. Et *p.* 46. idem Bartholinus teſticulos mulierum rectius ovaria appellari ſcribit. Secundum Melch. Frid. Geuder. *de Ferment. cap.* 12. *pag.* 246. ovaria communi omnium fere recentiorum applauſu non inepte audiunt teſticuli muliebres. Item Georgio Franco de Franckenau ſunt teſtes muliebres quaſi ovarium ſeu alveare parvulis ovis refertiſſimum. vid. *ejusd. Satyr. med.* 5. *p.* 83. Juxta Mich. Ettmüller. *Phyſiolog. cap.* 22. *Oper. Vol.* 1. *fol. m.* 161. veterum teſtes muliebres, aliorumque viviparorum ſunt revera ovaria, in quibus generantur ovula, ita ut unumquodque in ſua capſula lateat reconditum, quorum ſingula ſingulis fœtibus producendis ſufficiunt. Et paulo poſt inquit idem: certum eſt, quod teſtes viviparorum ſint ovaria, quæ ova generant, fovent & ad maturitatem juſtam promovent. Inquit etiam Georgius Wolffgangus Wedelius *Phyſiol. Sect.* 3. *cap.* 28. *p.* 200. teſtes muliebres eſſe ovarium, ſeu, quod in oviparis eſt ovarium, id in viviparis quoque eſſe teſtes, veſiculis plenos, hasque ipſas veſiculas non eſſe hydatides, humore præternaturali refertas, ſed naturali illo ordinarie, quique coctione facta albumen fere concretum æmulatur. Et Joh. Gothofredus Bergerus *Phyſiol. Lib.* 2. *cap.* 1. *p.* 456. ait: conſtat jam & plurimis accuratioribus obſervationibus confectum eſt, verum ſemen muliebre extra uterum veſiculis quibusdam, vel ovulis, contineri intra teſtes mulierum, qui uteri lateribus accumbunt, & nihil aliud ſunt, quam ovaria, ſive congeries & racemi complurium veſicularum, inæqualis magnitudinis &

lym-

lympha, igne in naturam albuminis concrescente, turgidularum &c. Supponit etiam Joh. Ad. Beringer *Id. Instit. Thes.* 15. *p.* 37. Testes femininos congeriem esse non minutissimorum vasculorum, sed minutarum vesicularum sive ovulorum; secundum Frider. Hoffmann. *Fundament. Medic. Physiol. cap.* 8. *p.* 52. *seq.* sunt testes muliebres nil nisi ovarium, constant ex corpore inæquali & ex vesiculis varie composito; quæ vesiculæ vera sunt ova & pellucidam lympham continent &c. qui tamen Hoffmannus postea *Medicin. ration. Tom. I. cap.* 12. *p.* 341. varias contra hanc sententiam fovet difficultates; vulgo, inquiens, habitum ovarium an vera ovula generationi apta contineat, nondum res satis plana ac perspicua est. Rationes ipsius hæ sunt; primo, utut concedendum sit, vesiculas quasdam humore lymphatico refertas in dictis ovariis contineri, quæ etiam aquæ calidæ injectæ coagulum induant, neutiquam tamen ratio adsequi poterit, quomodo hæ ipsæ fœcundatæ a firmo membranarum involucro, cui altius insident, sine insigni læsione & erosione ovarii & extravasatione humorum se liberare possint. Secundo, nullo modo concipi potest, quomodo ovulum ab ovario liberatum per canales Fallopianos ultra duos transversos digitos ab ovulo distantes recipi & in uterum provolvi possit. Tertio, non intelligitur, quomodo genitura virilis per solidum uteri corpus vel tubas clausas commode ad ovarium & ovulum salva sua textura pervenire idque fœcundare possit. Ad quæ tamen dubia partim in hoc, partim in alio tractatu de Conceptione respondetur: Præter hos Johannes Case *Compend.anat.Lib.* 3. *cap.* 1. *p.* 162. vesiculus testiculorum verissima ova, avium vel aliarum creaturarum analoga, ideo esse supponit, quod testes sic dicti non sint vere testes, sed ovaria, ubi virtute propria ova nutriantur. Secundum Joh. Conrad. Peier. *Exercit.* 19. *p.* 99. ovorum officina ovarium audit, quod in singulis femellis reperitur. Testiculis enim soli mares

super-

ſuperbiunt. Inquit etiam Johannes Broen *Medic. Theoret.* §. *264. Oper. pag. 108. ſeq.* quoniam intra teſticulos muliebres plurimæ veſiculæ, humore limpido plenæ ſitæ ſunt, ova in avis alicujus ovario, & ſimiliter ac illa ad generationem concurrunt, paſſim hodie ova, uti muliebres teſtes ovaria appellari conſueverunt. Et juxta Johann. Bohn. *Circul. Anatom. Phyſiolog. Progym. I. p. 2.* mater, quem fœtui conſtituendo ſuppeditat, liquorem genitalem intra proprios teſticulos, diſtinctis veſiculis, ceu ovulis, incluſum tenet, qui ideo & propter majorem, quam cum alitum vitellario præ maſculorum teſticulis habent, analogiam ovaria, neotericis recte audiunt. Talem denominationem defendit etiam Johannes Swammerdamius *Miracul. Natur. ſive Uter. muliebr. Fabric. cap. 1.* ſequentibus verbis: Cum nihil non in utero admirandum ſit, valde tamen inſolens auribus noſtris & mirabile videtur, ſi dicamus, mulieres ovarium habere, & inſtar quorundam aliorum animantium ova ponere: nec tamen eo minus apud me certum eſt, teſticulos mulierum inſtar ovarii eſſe, & ſtructura ſua cum reliquis animantium ovariis convenire. Etenim ovarium, quod in avibus, nec non quadrupedibus quibusdam, chamæleonte ſcilicet, lacerta aliisque botri figuram refert, in teſticulis mulierum ceu uniformi, & continua membrana occluſum eſt, eandemque botri ſpeciem exhibet, ſed ob membranæ illius interventum oculos & inſpectum fugit, & alioqui unumquodque ovum ſuum peculiare indumentum habet, quo mediante fit, ut ſe mutuo non attingant. &c. v. Biblioth. anat. *Tom. I. fol. 496.* Et juxta verba Isbrandi de Diemerbroc *Anatom. Lib. I. cap. 24. fol. 132.* bene concludunt hodierni Anatomici, teſtes muliebres potius earum ovaria, quam teſtes appellandos eſſe, idque imprimis propterea, quod neque in figura, neque in ſubſtantia & contentis ullam ſimilitudinem cum teſtibus virilibus habeant.

§. 16.

Reperiri autem in dictis ovariis, & quidem inter eorum membranas & fibras, ordinarie & ſecundum naturam certas veſiculas, *An veſiculæ ſint ovula?*

Tt

culas, liquore plenas, recentioribus ovula dictas, atque ex iisdem, pariter uti ex volucrium ovis aves, fœtus humanos ortum ſumere, non modo hactenus allegati Autores, ſed plerique etiam modernorum Anatomicorum defendunt, quamvis nonnulli veſicularum nomen retinere malint, uti ſcribit Johannes Dolæus *M. N. C. Dec. I. Annot. 6 & 7. Obſ. 131. p. 175.* ſe hæc ova, ex quibus homines ſint, malle cum expertiſſimo Fallopio veſiculas nuncupare. Item Michaelem Rupertum Beslerum in admirandæ fabricæ uteri muliebris delineatione anno 1640. edita, glandulis ſeu veſiculis, ſemen prolificum continentibus, ovorum nomen non indidiſſe, refert Johannes Swammerdamius *de Uter. mul. fabric. cap. I. in Biblioth. anat. Tom. 1. fol. 496.* Cumque Mery in teſticulis maris repererit veſiculas iis ſimiles, quæ in ovariis feminarum aſſerventur, & in aqua calida pariter indurentur; indurationem adeo hanc non eſſe argumentum ſufficiens, concludit, quo probetur, veſiculas in ovariis feminarum latentes ova eſſe. *vid. Act. Erudit. Lipſ. an. 1712. Menſ. April. p. 148.* Inquit etiam Hieronymus Barbatus ovula ſic dicta eſſe glandulas ovales, cui tamen contradicit Caſparus Bartholinus *in Epiſt. ad Ger. Blaſ. v. Biblioth. anatom. Tom. I. fol. 528. ſeq.* Hisque Autoribus non obſtantibus, nobis in hoc tractatu eorum ſententiam, qui teſticulos muliebres ovaria, eorumque veſiculas ovula appellare, indeque conceptionem & generationem derivare ſolent, amplecti libet. Siquidem juxta Johannis Bohnii *Circul. anat. phyſiolog. Progymn. I. p. 3.* femellæ viviparæ pariter ut volatilium & natatilium femellæ ova gerunt, & fœcundata ad uterum deponunt; utpote quas veſiculas membranaceas, genitura limpidiſſima turgidas, intra teſticulos ſuos alere, avtopſia credere jubet. Et Johannes Gothofridus Bergerus *Phyſiolog. Lib. II. cap. 1. pag. 461.* variis argumentis probat, feminam quoque oviparam eſſe, ab eaque ſola ovorum generationem proficiſci non aliter, ac gallinæ ova gignunt.

§. 17.

Interim differentiam quandam inter oviparorum atque viviparo-

viparorum ovaria & ovula cum aliis Autoribus concedimus; scilicet in oviparis unicum tantum, in viviparis vero duo ovaria, in utroque latere unum, deprehenduntur. Deinde in oviparorum ovariis ova nulla communi membrana continentur, sed in unum quasi racemum coacervata sunt; in viviparis autem & mulieribus præter proprias membranas externe adhuc communi, simplici quidem, sed valida involvuntur membrana. Porro oviparorum ova extra corpus in nidum emittuntur duriori cortice involuta, hisque jam exclusis pro nutritione pulli in ovo sufficiens alimentum inest, adeo ut illa toto incubationis tempore nullum exterius adveniens desiderent alimentum, & præter incubationem & fotum nihil ulterius post exclusionem a matre accipiant. Viviparorum e contra ova ex ovariis ad uterum, tanquam in nidum sine cortice deponuntur seu descendunt, ibidemque, ob paucitatem succi seu liquoris, nutrimentum suum aliunde & quidem ab utero matris accipiunt, atque a tali accedente succo nutritio ovulum hoc fœcundatum, adaucto sensim contento fœtu, indies in majus ovulum excrescit; ob quod incrementum fœtus eumque involventium membranarum viviparorum ova longiorem in utero moram trahunt, ut ab uteri affluentibus succis sufficiens nutrimentum hauriant. Loco vero corticis durioris, qua volucrium ova involvi solent, ab utero tanquam testa ab omnibus externis injuriis, usque ad instans partus tempus, accuratissime muniuntur. vid. etiam Johann. Muralt. *Colleg. anat. Lect. II. p. 181.* Casp. Bartholin. *Specim. Histor. anat. cap. 5. §. 2. p. 84. seq. & de Ovar. mulier. p. 29. seq.* Mich. Ettmüller. *Physiolog. cap. 22. Op. Vol. I. fol. 161.* Joh. Gothofr. Berger. *l. c.* Regner. de Graaf *de Mulier. Organ. cap. 12. p. 299.*

Differentia inter ovula viviparorum & oviparorum.

§. 18.

Cum vero hæ oviparorum atque viviparorum differentiæ non tam in partibus ovorum essentialibus, quam minus essentialibus consistant, non immerito tam hominis & reliquorum viviparorum, quam oviparorum primordia recentiores Anatomici ac

In quo consistat?

Physiologi in testiculorum vesiculis seu ovulis quærunt. Siquidem juxta verba Joh. Bohnii *l.a.p.2.seq.* non aliqualem tantum, sed ejusmodi oviparorum & viviparorum analogiam, quæ ad discrimen hoc plane solvendum & ad conceptionis atque œconomiæ pulli in ovo, ac fœtus in utero conformitatem evincendam adæquata, diversa suadent phænomena, ut non tam ovum ovo, quam viviparorum generatio oviparorum productioni simile magis videatur, modo partes ovi, gallinacei v.g. essentiales seu pullum constituentes a partibus nutrientibus & conservantibus, seu minus essentialibus & accessoriis distinguamus. Scilicet cicatricula ovi pennatorum pars essentialis solitaria est, vitello adhærescens, cui liquor seu colliquamentum genitale inexistit, & cujus producti alendi ac augendi gratia vitellum comproductum, albumen vero superinductum, videtur. Hanc cicatriculam vivipara cum oviparis communem possident, i.e. vesicula spermatica muliebris præter cicatriculæ illius contenta, nec plus nec minus involvit, sed tota cicatriculæ nomen meretur: adeoque & quia vitellum cum albumine non pullo formando, sed nutriendo, dicatum, homo vero ejusdemque generis animalia reliqua conceptum suum intra ilia propria fovent ac maturant, dimenso tali horum fœtus haud indigebant, sed novam quotidie a matre captant alimoniam. Latius justo extendunt, aut, si mavis, incongrue applicant vulgo distinctionem inter ζωότοκα & ὠότοκα: utpote per quam sine dubio non principiorum & conceptionis, sed partus seu enixus solummodo disparitatem innuebant præter notionum vim ejusmodi primi inventores: i.e. alia animalia fovent ova intra, alia extra se. Hæc Bohnius.

§. 19.

Ovulorum ortus. Circa ortum atque materiam ovulorum in ovariis contentorum diversas fovent Autores sententias; nonnulli enim eadem gigni statuunt in testibus femellarum vivipararum ex sanguine spirituoso per arterias præparantes, & spiritu animali per invisibiles nervulos ad testes affluente, atque in membranosa eorum

sub-

ſubſtantia materiam iis generandis idoneam relinquente, dum reliqui reſidui humores per venulas & vaſcula lymphatica ad cor redeunt. Juxta verba Isbrandi de Diemerbr. *Anat. Lib. I. cap. 24. f. 131. ſeq.* Magis tamen veritati conſentanea mihi videtur illorum ſententia, qui a prima ſtatim conformatione congenerari hæc ovula ſtatuunt. Inquit ſcilicet Johannes Bohnius *l. a. p. 4.* exortum ſuum non magis conſuetudini maris debent veſiculæ hæ proliferæ, ac vitella, alitum ovaria componentia, galli compresſioni: quippe utraque in illis etiam femellis obſervantur, quæ maſculi amplexum ignorant: ſed congenerari potius ovulorum horum rudimenta prima puellarum fœtibus æque, ac reliquas earum partes integrantes, intra viſcera materna, vel hinc evincitur, quod in pennatis modo editis mox ovulorum racemus conſpiciatur, juxta Aquapendentem milii aut ſinapi ſemen vix æquantium, juxta Harveum adhuc minorum, & viſum prope effugientium; imo in embryonis feminei, qui vix ſextum geſtationis menſem compleverat, teſticulis inſtar ſudaminum exilium ovulorum horum primordia ante biennium mihi videre contigit, ut illarum veſicularum miliarium taceam, quas in ovario gemellæ monſtroſæ recens editæ Peyerus ſe obſervaſſe perhibet. Et juxta verba Juſti Veſti *Oeconom. Corp. human. Differt. VII. §. 12. p. 95.* rudimenta horum ovulorum, ut reliquæ partes integrantes fœtibus puellis congenerantur, & vix milii granum quantitate excedunt; ſucceſſive deinde juſtam magnitudinem acquirunt, dum ſanguineus liquor per arteriolas affluens materiam aptam pro ſubſtantia illorum augenda adducit atque relinquit. Prolifica autem demum fieri incipiunt annis pubertatis & ubi menſes fluere incipiunt.

§. 20.

Licet autem ſecundum modo dicta hæ veſiculæ ſeminales ſeu ovula exilisſima, adeoque exiguæ ſint, ut vix conſpiciantur & milii granula magnitudinem vix ſuperent, non tamen perpetuo eandem magnitudinem retinent, ſed, uti modo dictum, ſucceſ- *Ovulorum magnitudo.*

 ſive,

ſive, atque imprimis ſupervenientibus pubertatis & menſtruationis annis, increſcunt majoremque molem induunt, demumque a coitu fœcundo notabiliter immutantur atque augentur: Ejusmodi ovula equidem Johannes Swammerdamius *de Uter. muliebr. Fabric. in Biblioth. anatom. Tom. I. Tabul. 24. fol. 501.* ejusdem magnitudinis in virginis dextro teſticulo delineavit; atque ex ejusdem Swammerdamii communicatione Juſtus Schraderus *Præfat. Obſerv. & Hiſtor. Harv.* ***1.* feminæ meminit, quæ ſex menſes gravida, poſtquam gemellos exanimes pepererat, vivere deſiit; in hac ſiniſtri teſticuli ova omnia ejusdem fere magnitudinis fuerunt, mirisque vaſorum plexibus & cincinnis exornata, quædam ſubſtantiæ teſtis altius immerſa, alia ſuperficiei & tunicæ inveſtienti magis vicina &c. Verum non ſemper omnia ejusdem teſticuli ovula eandem habent magnitudinem, ſed alia aliis majora deprehenduntur, ſiquidem anno 1671. Michael Ettmüllerus in teſte cujusdam infanticidæ plus quam viginti invenit talia ovula, diſtinctæ tamen magnitudinis, quædam milii ſaltem grani ad inſtar, quædam majora, quædam perfectæ magnitudinis; quæ perfecta ova in medio teſtis, illa quaſi imperfecta ſaltem ejus ambitum occupabant. v. Chriſt. Frid. Garmann. *Epiſtol. LXXXIV. p. 354.* Hæc ovula lentis magnitudinem non multum excedere, ſcribit Franciſcus Stockhamer *Microcoſmograph. cap. VII. p. 91.* & juxta Theod. Kerckring. *Anthropogen. Ichnogr. cap. I. p. 2.* ſunt hæc ova piſi viridis magnitudine, intra iſtam latitudinem, quæ piſorum terminat quantitatem, variantia. Secundum Michaelis Ettmülleri *Oper. Vol. I. fol. m. 161.* hæc ovula nunc minora ſunt & imperfecta, nunc majora & perfecta, in ſpecie humana, piſi quantitate, præſertim mediæ magnitudinis, nonnulla etiam inſtar granorum milii inveniuntur, utut & moles illa in genere quoque variet, vel ratione ætatis, vel ratione coitus mox præcedentis. In femina quadam ſiniſtrum ovarium admodum erat turgidum, diſſectum plorabat lentam & flaveſcentem gelatinam. vid. Act. Medic. Berolinenſ. *Vol. IV. pag. 92.*

§. 21. Quan-

§. 21.

Quandoque etiam dicta ovula extraordinarie turgescunt, & variis a causis præternaturalem magnitudinem acquirunt, simulque suum domicilium seu ovarium nimis expandunt. Tales testes ovis turgidulis, pellucidis & copiosis refertos, atque e dextro teste ovum, magnitudine pisi majoris propendens, in puerpera juvencula die post partum defuncta, observavit Bernhardus Albinus. *v. M. N. C. Dec. II. An. 4. Obs. 94 p. 187.* In femina salacissima, elegantissimæ formæ, capitis supplicio affecta, & ipsa ante supplicium obnixissime petente, ut corpus sectionibus concederetur, ovula non solum in utroque ovario turgidissima, sed & quædam in orbem disposita, arctissimo tamen nec unquam metuente solvi nexu combinata, se vidisse & in theatro anatomico publice demonstrasse, scribit Johannes Mauricius Hoffmannus *Disquis. Corpor. hum. anatom. pathol. Specim. IX. §. 4. p. 117.* Ova & ovaria extraordinariæ magnitudinis a furore uterino annotata legimus in Joh. Michael. *Oper. Prax. Clin. Special. Cas. 22. p. 547 & 556.* scilicet virgo gallica nobilis jamque nubilis vitam otiosam ducens, calida diæta utens, postquam amorem clandestinum cum ignobili quodam contraxerat, cui tamen innuere recusabant parentes, insomniis fatigatur; jam aliquot dies incipit vociferari, locum, qui nos ab altero sexu distinguit, ostendere, lasciva cantare, torvum tueri, & bacchæ bacchanti si velit quis adversarier, ex insana insaniorem reddit. Imo nisi a robustissimis vinculis & duobus, imo tribus viris in lecto retinetur, totis artubus ignem concipit, nuda prosilit, & si quis masculus ipsi obviam factus, in illum ferociter ruit, utque veneri sacra faciat, lasciva petit; perpetuo ferme vigilat & oculi scintillant, facies in totum ignescit & tumet; humor mucosus, acris, viscidus, lintea fere corrodens per sinum pudoris, per inordinata temporis intervalla, effluit: pulsus vehemens, lingua exsucca, macies in corpore toto. Medicus vocatus virginem hanc in carnificinam Gallico-Medicam inducit, ubi post iteratam trigesimam, intra sextum diem, venæsectionem, cum sangui-

Præternaturalis.

ſanguine ſimul inſanam mentem, veſanum amorem, caram vitam caramque ſimul & fere divinam pulchritudinem exhauſit, cadaver vero anatomicis, præter clitoridem mira magnitudine prominentem, ovarium ſive teſtes muliebres maximæ magnitudinis, ovulaque inſperſa piſum ſi non ſuperantia, certe adæquantia exhibuit. Obſervavit etiam Michael Fridericus Lochnerus in juvenculis melancholia hyſterica defunctis ovaria turgidisſima, & ruptionem, ſi posſibile foret, minitantia; quibus diſſectis in oculos ſtatim incurrebant ovula, vix alias conſpicua, ex libidinoſo orgasmo in tantum diſtenta, ut magnitudinem mediocrium piſorum æquarent. Id quod in juvencula hyſtero-maniaca obtigiſſe pariter recordatur. *vid. Ephemerid. Acad. N. C. Cent. VIII. Obſ. 3. p. 256.* Et Adamus Brendelius *Obſ. anat. Dec. III. Obſ. 10. pag. 26.* in virgine nymphomania extincta ovaria, ac in his deliteſcentia ovula, præter naturam lympha pellucida oppleta reperit, adeoque turgeſcentia, ut nonnulla molem piſi mediocris æquarent &c. In virgine ex furore uterino in tantam prolabente maniam, ut catenis vix detineri poſſet, poſt ſubitaneam mortem dexter teſticulus, pugnum magnitudine æquans, humiditate reperiebatur plenus, quam ſeroſitatem ab ovulis, a ſemine virili non fœcundatis atque in ovario occluſis, derivat Stephanus Blancardus *Collect. med. phyſ. Cent. I. Obſ. 28. p. 57. ſeq.*

§. 22.

Ovulorum numerus. Numerus horum ovulorum eſt incertus atque pro ſubjectorum differentia modo pauciora, modo plura reperiuntur; hinc in uno ovario ſæpe quindecim & plura eſſe inquit Franciſcus Stockhamer *Microcoſmograph. cap VII. p. 91.* Et J. Caſe *Compend. anat. Lib. III. cap. 1. p. 162.* ſcribit, notandum, quod ova unoquoque ovario contenta numero viginti ſunt vel circiter, quorum alia aliis multo minora conſpicere licet. Quod confirmat etiam Regnerus de Graaf *de Mulier. Organ. cap. XII. Oper. p. m. 300.* hæc ſcilicet ova tam copioſa eſſe, ut in uno teſticulo quandoque viginti & plura enumeraverit limpidisſimo liquore turgida; Et Michaelem Ettmülle-

müllerum in teſte cujusdam infanticidæ plus, quam viginti inveniſſe talia ovula, diſtinctæ tamen magnitudinis, paulo ante ex Chriſt. Frid. Garmanni *Epiſtol. 84. pag. 354.* allegavimus. In homine harum veſicularum ſpermaticarum ultra duodecim, imo viginti & triginta in uno ſæpius teſticulo muliebri inveniri, ſcribit Michael Ettmüllerus *Oper. Vol. I. fol. m. 161.* Juxta Eman. Kœnigii *Regn. animal. Sect. I. Artic. 17. p. 75.* verba, ovarii ſubſtantia detecta ejus tunica inter fibrillas laxo ſibi invicem nexu junctas veſiculas plurimas, etiam trigeſimum quandoque numerum excedentes, monſtrat, quæ ovula ſunt &c. Differt etiam talis ovulorum numerus ratione ovariorum ejusdem ſubjecti, ſiquidem in altero infanticidæ teſticulo, aquæ calidæ immiſſo, octodecim, in altero vero circiter triginta ejusmodi ovula reperta memini. In vacca uni teſticulo plura, pauciora alteri fuerunt ova juxta obſervationem Nicolai Stenonis, vid. Th. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. II. p. 213.*

§. 23.

Ovula extra teſticulum. In cadavere mulieris viginti octo annorum, quæ non ſemel gemellos pepererat, non tantum extra teſticulum ſiniſtrum ovum aliquid hæſiſſe membranis ſingularibus involutum, verum etiam ex ipſo teſticulo ovorum par non unum a ſe fuiſſe ſeparatum, quæ arcte ſibi cohærebant, annotavit Gerardus Blaſius *Obſ. med. Part. V. Obſ. 4. p. m. 66. ſeq.* Hinc an gemellorum generatio deduci queat, cogitent alii. Ova quandoque in ovario citra ullam connexionem plane libera inveniri, ex propria obſervatione refert Johannes Swammerdamius *Miracul. Natur. vid. Biblioth. Anat. Tom. I. fol. 496.*

§. 24.

Membranæ. Conſiderandæ in his ovulis veniunt etiam membranulæ duæ certum liquorem continentes, quarum interior paulo tenuior eſt exteriore, atque poſt conceptionem ſeu fœcundationem, embryonis membranas, & quidem exterior ſeu crasſior chorion, interior vero ſeu tenuior amnion conſtituit. De his

membranis ita loquitur Justus Vesti *Oeconom. Corp. hum. cap. 7. p. 95.* Testes muliebres perfectissima ovula in membranacea sua substantia continent, quæ duplici membrana, futuri chorii & amnii principio, involvuntur, intusque liquorem albumini ovorum similem continent. Juxta verba Michaelis Alberti *Introduct. in univers. Medic. cap. II. §. 80. p. 38.* tale ovulum constat ex duplicata tunica, quæ constituit amnion & chorion, & ex petiolo, qui funiculum umbilicalem præbet; in meditullio vero continetur limpidus liquor &c. Ova muliebria aliorumque viviparorum gemina membrana circumdantur, una crassiore, altera tenui: illa postmodum in conceptu chorion, hæc amnion constituit. In viviparis autem opus non fuit, ut exterior illa dura & crustosa evaderet, sicut in avibus: in his enim extra corpus fovenda, atque hinc per duriorem illum corticem ab injuriis externis defendenda erant; sed hæc durities in illis intra corpus fovendis necessaria non fuit, utpote in quibus injuriæ externæ, per circumjectas alias calidas partes, uterum, abdomen &c. satis abarcentur, uti loquitur Isbrandus de Diemerb. *Anatom. Lib. I. cap. 24. fol. 131.* Et secundum Petri Dionis *Anatom. Demonstr. IV. p. 226. seq.* ovum binis membranis obductum est, quæ primis temporibus vasis tenuissimis persperſæ sunt, quæ autem deinceps semper augentur, ex quo radices ovum in utero egit &c. Scribit etiam Carolus Drelincurtius *de Concept. Concept. Perioch. 29. pag. 40.* feminarum ova liquore crystallino esse distenta & pellicula ductili, porosissima duplicique munita; non testacea quidem altera, ut in volucribus obtinet, sed tenuiori primum una, piæ matris ad instar; altera vero crassiori paulo & duræ matris nonnihil analoga. Plura de membranis ovula in ovariis amplectentibus &c. vid. Joh. Swammerd. *Mirac. Natur. in Biblioth. Anat. Tom. I. f. 496.* Carol. Drelincurt. *de Concept. Concept. Perioch. XII. pag. 10. seq.* Jean Palfyn *des parties de la Femme p. 92.*

§. 25.

Liquor. Dictæ ovulorum membranæ ante imprægnationem liquorem

rem limpidum, tanquam formandi embryonis materiam, continent, circa quem varia veniunt consideranda. Quamvis enim dictus liquor per se sit limpidus & fluidus, ignis tamen calore seu coctione, i. e. si ovaria per tempus aquæ calidæ injicientur, secundum experientiam & autoritatem, crassior instarque albuminis ovorum evadit. Inquit enim Franciscus Stockhamer *Microcosmograph. cap. 7. p. m. 91.* sunt ova vesiculæ rotundæ, lentis magnitudinem non multum excedentes, in duplici membrana liquorem continentes, qui coctione in substantiam albumini similem facescit. Et Stephanus Blancardus *Institut. Med. cap. 25. Oper. p. 274.* scribit: Ovula turgent humore limpido, ita quidem, ut si in aquam ferventem immergantur, dictus humor mox coaguletur in formam albuminis vel vitelli ovi indurati. Juxta Theod. Kerckring. *Anthropogen. Ichnograph. cap. 1. p. 2.* intus, in ovis, latet humor, qui, sicut aliorum ovorum albumen & vitellus, dum coquitur, indurescit. Johannis Case verba *Enchirid. anat. Lib. 3. cap. 1. p. 162.* sic sonant: accipe vesiculam unam vel alteram, super ignem pone & bulli, & liquor contentus ejusdem coloris, saporis consistentiæque cum ovorum albumine invenietur. Carolus Drelincurtius *de Concept. Concept. Perioch. 19. pag. 40.* ovorum lympham crystallinam albumen vocitat, illudque cum albugineo oculorum humore comparare solet, & utrumque permistum agnoscit atomis aliquot acido-salinis, quo scilicet tutius intra suos folliculos perennent. Secundum Theodor. Craan *de Homin. cap. 162. pag. 708.* ovi liquor igne exhalatus post se relinquit notabilem substantiam crassiusculam, instar albuminis in ovo gallinæ. In his ovis minoribus adhuc existentibus nil nisi tenuis quidam liquor continetur, qui similis est albumini in avium ovis contento, & ovis illis coctis eodem modo concrescit seu coagulatur, ut albumen in avium ovis, nec ab hoc albumine consistentia aut sapore quidquam differt, scribit Isbrandus de Diemerbr. *l. a.* Et Michael Ettmüllerus ad Christianum Fridericum Garmannum ita scribit: Res est curiosa consideratio horum ovorum, imprimis autem

ſunt conſpicua, ſi integer teſticulus in aquam ferventem immittatur, ſic enim ova brevi poſt in albuminis indurati abeunt conſiſtentiam, ut levi teſtis inciſione & compreſſione vel ſponte exiliant. vid. Chr. Frid. Garmann. *Epiſt. 84. pag. 353. 354. it. Epiſt. 100. p. 434.* Regnerus de Graaf *de Mulier. Organ. cap. 12. p. 298.* veſiculas teſtium muliebrium ova nominat propter accuratam ſimilitudinem, quam cum ovis in avium ovario contentis obtinent, nam illa, dum adhuc minora exiſtunt, præter tenuem quendam liquorem inſtar albuminis, nihil continent: albumen illud etiam in femineis ovis exiſtere, non injucundo ſpectaculo conſpicitur, ſi illa excoquantur; liquor enim in teſticulorum ovis contentus coctione eundem colorem, ſaporem ac conſiſtentiam acquirit cum albumine in avium ovis contento. Attamen non ſemper hunc liquorem coctione coagulari ſtatuit Johannes Swammerdamius *Mirac. Natur. cap. 1.* primum, inquiens, fœtus alimentum ovo ineſſe credo, utut non niſi aqueo humore repletum eſſe videatur, qui ut non unius ſemper ejusdemque coloris eſt, ita decoctus quandoque concreſcit, quandoque non item. *v. Bibliothec. anat. Tom. I. fol. 496.* Et Johannes Caſe *l. a. p. 176.* inquit: quamvis ejusdem coloris conſiſtentiæque cum ſero ſanguinis liquor hic noſtris oculis appareat, toto cælo re ipſa differunt, nam ſi paululum de priore in cochleari ſuper ignem detines, nunquam ſicut ſerum coagulabit.

§. 26.

Sapor. Circa ſaporem hujus liquoris diſſentiunt Autores, nonnulli enim eundem ab avium albumine non differre putant, uti ex Joh. Caſe & Isbrando de Diemerbroc modo diximus; alii v. g. Theodorus Kerckringius *l. a. p. 2.* ſaporem peregrinum & ingratum ipſi adſcribunt; cui tamen ſententiæ contradicit Theodorus Craan *de Homin. cap. 162. pag. 708.* Liquorem, inquiens, ovi guſtarunt quidam curioſiores, & ſaporem peregrinum perceperunt: quod ſane nullum pro ipſis argumentum, quia certum eſt, illos tantum potuiſſe deguſtaſſe liquorem ovi ex cadavere excepti; at cadaveris

ris carnes partesque firmiores non valent amplius, quomodo igitur possibile est, res corruptibiles magis posse adhuc valere & bene sapere? Et Nicolaus Venette *de la Generation de l'homme Part. III. cap. 4. Artic. 2. pag. 382. seq.* inquit: La matiere blanche, dont les testicules des femmes, qui approchent du temps de leur accouchement, sont alors abondamment remplis a du rapport au blanc d'un oeuf de poule, ainsi que Beslerus témoigne l'avoir souvent trouvé, & que j'ensuis moy-mesme le temoin; car estant à Padouë & dissequant avec le Sieur Sinsbaud une fille de vingt ans, qui s'estoit precipitée dans un puits à cause de sa grossesse, je trouvay ses testicules si pleins de semence, qu'au premier coup de scalpel la matiere renfermée rejaillit aussitot contre mon visage, & m'en estant par hazard tombé sur les levres, j'y portay la langue, sans y penser, & j'en goûtay assez pour la trouver fade, degoûtante & un peu austere. Melchior Fridericus Geuderus *de Ferment. cap. 12. p. 247.* liquoris, quo ovula turgent, naturam statuit salinam ac sulphuream, quod testetur tum fracedo ac odor acris in tractatione ovariorum anatomica, nares quandoque feriens, manibus etiam eadem tractantis inhærens, in corporibus feminarum, quæ paulo annosiores sunt, major; tum sapor liquoris illius acris ad urinosum nonnunquam inclinans. Intra vesiculas testium femininorum prorsus semini analogum humorem, pingui-aereum, recondi, scribit Philippus Jacobus Hartmannus *M. N. C. Dec. III. an. 5 & 6. Obs. 209. p. 479.* Et juxta Joh. Swammerdam. *l. a.* sapor hujus liquoris, cum manifestas qualitates nullas habeat, vix ac ne vix quidem describi potest.

§. 27.

De usu hujus liquoris ipsorumque ovulorum varias quoque *Usus.* Autorum sententias reperimus, cum secundum Michaelis Alberti *Introduct. in univers. Medic. cap. 2. §. 80. p. 38.* liquor in ovuli meditullio contentus sit tanquam prima materia ad generanda vasa advehentia & revehentia aptus. Alii hunc ovulorum liquorem pro semine feminarum agnoscunt. Inquit enim Thomas

Whartonus *Adenograph. cap. 33. p. 202.* ſubſtantiam teſtium feminarum veſiculas quasdam ſpermate limpido plenas in ſe continere. Item Theodorus Kerckringius *l. a.* ſcribit: cui ova hæc in generatione uſui ſint, ex modo, quo conceptio fit, & a Thoma Whartono deſcribitur, facile intelligetur &c. Franciſcus Stockhamer *Microcoſmogr. cap. 7. p. 91.* ait, eſſe ova a ſemine virili ita apta fœcundari (ſi modo cætera ſint paria) ut ex iis fœtus humanus producatur. Et juxta J. Caſe *Enchir. anat. Lib. 3. cap. 1. p. 176.* liquor hic eſt materia, ex qua embryo formatur, & in qua vis plaſtica reſidet potentia agendi vivida. Secundum Joh. Gothofr. Berger. *Phyſiol. Lib. 2. cap. 1. p. 456.* conſtat jam, & pluribus accuratioribus obſervationibus confectum eſt, verum ſemen muliebre extra uterum veſiculis quibusdam, vel ovulis, contineri intra teſtes mulierum &c. Imo amnion, chorion & principium placentæ & fœtus, nec non primum ejusdem alimentum ovo ineſſe, utut non niſi aqueo humore repletum eſſe videatur, paulo ante ex Johanne Swammerdamio adduximus; qui Autor etiam *l. a. fol. 497.* nigrum illud punctum, quod in ovis ranarum videre eſt, ipſum ranunculum omnibus ſuis partibus abſolutum, albicantem vero & circumfuſum illum liquorem non niſi alimentum ejus eſſe ſcribit. Plura vide de fœtus formatione. Imo in ovariorum ovulis eorumque liquore fœtus latitare materiam, confirmare videntur mulæ, in quibus ovaria vel plane deficiunt, indeque non ſine notabili divinæ providentiæ directione ſecundum Eman. Kœnig. *Regn. Animal. Sect. I. Art. 17. p. m. 76.* ſteriles ſunt. Et quamvis Nicolaus Steno, mulas teſticulos quidem habere, Johanni Swammerdamio anno 1670. retulerit, hos tamen ovis carere affirmavit, ut jam facile ſit de cauſa ſterilitatis earundem conjecturam capere. *vid. Biblioth. Anatom. Tom. I. fol. 496.* Secundum Joh. Conrad. Peyeri *Merycolog. Lib. 1. cap. 5. p. m. 49.* experientia nos docuit, femellarum teſticulos ad generationem animalium tantum contribuere utilitatis, ut plane fons ſint & promptuarium fœtuum omnium: nam partibus iſtis caſtratione ad-

emptis,

emptis, aut casu vel morbo destructis, animalia sterilescunt, nec amplius concipiunt; quia simul abolentur ova, in quibus conceptuum ideæ speciatim delitescunt.

§. 28.

Ovula autem feminarum totius conceptus materiam seu omnes embryonis partes, ideam & lineamenta, in se continere, statuunt Autores. Sicut enim granum in se continet omnes partes fructus ex se generandi: ita etiam hoc semen in se continet omnes partes hominis procreandi. Si enim tales non adessent, nec ex granis, nec ex semine hominis, sui simile produci vel oriri posset, juxta H. F. Herfeld *de Origin. Morbor. §. 14. p. m. 18.* Supponere quoque haud ambigit Johannes Bohnius *l. a. p. 6.* quemadmodum in alitum ovis fœcundatis cuncta pulli conformationi necessaria cum alimento præsto sunt: ita cuilibet ovulo humano, a masculini seminis virtute actuato, binas membranas, fœtum ambientes cum ipsius embryonis ac placentæ uterinæ futuræ rudimentis seu primis staminibus inexistere, ipsique, postquam ad uterum devolutum, præter nutrimentum nihil a matre accedere. Exinde etiam omnes embryonis partes ovo contineri judicat Johannes Swammerdamius *l. a.* quia, qui brachiis pedibusve caret, propagare fœtum omnibus partibus absolutum possit. Neque etiam dubitat Johannes Gothofr. Bergerus *l. a. p. 462.* quin in ovo mulieris, quamvis nondum fœcundo, fœtus futuri rudimentum & lineamentum compendio præexistat. Ovis æque ac plantarum seminibus aut stirpium surculis & propaginibus gignendorum ideas contineri, atomorum specie apposite convolutas, divinitusque conditas, tam credibile est, & sacræ scripturæ, rationi, & experientiæ adeo consentaneum, ut in dubium revocari vix possit, secundum Joh. Conrad. Peyer. *Merycolog. sive de Ruminat. Lib. 1. cap. 5. pag. 47. seq.* vid. etiam *p. 50.* Inquit etiam Johannes Bartholomæus Adamus Beringer *Ideæ Instit. medic. Thes. 15. pag. 37.* in hisce ovulis jam a divino architecto prima totius corporis stamina esse jacta; ex variis quoque rationibus concludit

In ovulo an embryonis partes?

Jaco-

Jacobus de Sandris *de Natural. Sanguin. Stat. cap. 4. pag. 150.* ovum brevi clauſtro cujuslibet animantis lineamenta, ſtamina & rudimenta occludere, & *pag. 146.* in cicatrice omnes animalis latitare partes & actu vere præexiſtere inquit. In ovulis muliebribus prima fœtus rudimenta, ſtamina & lineamenta ſita eſſe, ſtatuit etiam Andreas Ottomarus Gœlicke *Medicin. Forenſ. Specim. I. p. 10.* Et Johanni Jacobo Franciſco Vicario *Baſ. Univerſ. Medicin. Lib. I. cap. 3. pag. 33,* veritati perquam conſentaneum eſt, latere in cicatricula ſeu vero ſemine integram & abſolutisſimam partium omnium admirandum in modum conſtructarum ideam ac delineationem ſubtiliſſimam, a Deo immediate ſapientiſſime inditam. Stamina hæc & delineamenta genuinæ ſunt ideæ ac rationes ſeminales, divinæ artis ideales numeri, leges plaſticæ naturæ impreſſæ; hinc recte Seneca ait: hominem non eſſe tumultuarium & incogitatum opus, nam inter maxima rerum ſuarum natura nil habet, quo magis glorietur, cui glorietur, cogitavit enim nos natura ante, quam fecit. Ita etiam Hiobus *cap. 10. v. 8.* exclamat: Tuæ me manus fabricaverunt, atque conſtruxerunt omne, quod in me eſt. Sic loquitur quoque libro ſecundo *Machab. cap. 7. v. 22.* mater ſeptem filiorum, filium natu minimum, ultimo jamjam afficiendum ſupplicio, his allocuta verbis: Ego quidem mater veſtra ſum vosque peperi, ſed ſpiritum atque vitam vobis non dedi, nec membra veſtra ita conſtruxi, ſed ille, qui mundum, hominesque creavit: Apparet ergo, inane eſſe figmentum, facultatem quandam (phantaſticam) plasmare, aut archæum (æque ſtultum) fabricare, aut imaginem quandam mentis fingere & pingere. Inter medicos dictæ de delineamentis latentibus ſententiæ patroni ſunt ſingulares Harveus, Malpighius, Hornius, Graafius, Swammerdamius, Ruyſchius, & alii plures, qui microſcopiorum ope ea ad vivum detexerunt: Contribuit ergo mater ad fœtum producendum ſolam materiam, ovum, mas vero ſaltem motus principium ſuppeditat, quo unito dicta delineamenta evolvuntur. Hæc Vicarius. Vel juxta Juſti Veſti *Oeconom. Corp.*

hum.

hum. differt. 7. §. 15. *pag.* 97. *seq.* In ovulis humanis fœcundis idea & imago hominis occulta jacet, quæ a ſpiritu maris influo, iisdem ideis ſigillato, in apricum ſiſtitur. Pluribus etiam de hac materia agit Juſtus Schraderus *Præfat. Obſerv. & Hiſtor.* inquiens: deficit Harveus in non paucis, præſertim tamen circa prima generationis principia, tam in oviparis, quam viviparis: in his poſt peractum congreſſum intra matris uterum prima embryonis ſtamina duci; in illis pulli efformationem ab incubatu exordium ſumere credit. Sed altius penetravit felix quorundam hujus ævi inſignium anatomicorum induſtria, quæ in viviparis teſtium ova, vera futuræ procreationis ſtamina; in oviparis pulli in ovo rudimentum jam ante incubationem exiſtens & obſcure apparens, nobis detexit; cujus primo omnium (ni fallor) mentionem fecit Joſephus de Aromatariis, Aſſiſinas *Epiſt. de generat. Plant.* inquiens: quod attinet ad ova gallinarum, exiſtimamus equidem, pullum in ovo delineatum eſſe, antequam foveatur a gallina. Quam Joſephi ſententiam veram eſſe propria autopſia notavit Marcellus Malpighius &c. Et in ſeminibus & ovulis cunctas latere & plantarum & animalium partes, etiam ante fœcundationem ſcribit Johannes Henricus Bollmann *de Febrib. interm. Additam. n.* 7. *pag.* 51. Juxta Joh. de Muralt. *Clav. Medicin. p.* 422. ovum humanum in tubis vel utero exiſtens primis ab imprægnatione diebus in ſe continet corpuſculum magnitudine formicæ, apte convolutum, in quo venulam umbilicalem & uteri placentulam obſervare quis poteſt. Georgius Philippus Nenterus *Phyſiolog. cap.* 2. *Membr.* 1. *p.* 328. ita ſcribit: In ovulis prima fœtus rudimenta latere, Malpighius ex frequenti & ſolerti ovorum gallinaceorum inſpectione didicit. An autem omnes partes jam ſint formatæ & poſtmodum tantum per nutritionem expandantur & augeſcant, nondum adeo conſtat: illud nihilominus tamen certum eſt juxta Malpighium aliosque, qui accuratius omnia examinarunt, cerebrum, ſpinalem medullam & nervos, verbo, partes

animalium actionibus inſervientes primo omnium conſpici, quas punctum poſtmodum ſaliens ſive cor ſequitur. Franciſcus Maria Nigreſoli in ovulo ovarii embryonem ſive fœtum cum omnibus partibus, a nutrimento ſucceſſive in majorem molem extendendis, comprehendi, partim analogia ſeminum vegetabilium, ipſas plantas ante continentium, quam terræ concredantur, partim exemplo ovarum gallinarum, ovulorumque ranarum & ovulorum hominum comprobat. *vid. Act. Erudit. Lipſ. An.* 1714. *Menſ. Novembr. p.* 522. Juxta Eman. Kœnig. *Regn. anim. Sect. I. Art.* 17. *p. m.* 75. ſunt ovula molli involucro membraneo obducta, variæ magnitudinis, repleta humore limpido idealiter tincto ſeu in tenellis ſuis ſtaminibus, præſertim poſt ingravidationem, omnes totius corporis partes delineatas continente, dum in ea partes minimæ pro homine efformando ita unitim concentrantur, ut in vegetabilibus idea illius plantæ in ſemen. Item tenerrima partus naturalis lineamenta in ipſo ſive ovario, ſive oviductu adhuc hærente ovulo accuratisſime conſpici poſſe, ex Michaelis Bernhardi Valentini epiſtola, & hominem, licet ejus longitudo non ſuperet diametrum piſi, omnibus tamen membris inſtructum videri, ex Antonio Leeuwenhoeck refert Melchior Frid. Geuderus *de Ort. animal. p.* 301. *ſeq.* ubi plura reperies. Secundum Mart. Liſter. *de Humor. cap.* 48. *pag.* 435. in ovo muliebri omnia inſunt certe rudimenta, quæ ad embryonis nutritionem deinceps neceſſaria ſint; ſcilicet non fœtus tantum ineſt perfecte delineatus ſingulis membris, viſceribus eorumque humoribus inſtructus; ſed & membranæ quoque adſunt, nimirum amnion, allantois, chorion, ipſa placenta vaſaque umbilicalia. In eo vero differentia eſt, quod hæ omnes partes in principio conceptionis pellucidæ uniusmodi, in confuſa quadam maſſa & velut complicatæ eſſe videntur; cum tamen revera per ſe ſingulæ præexſtiterint, & evolutione tantum indigeant, ut conſpicuæ fiant.

§. 29.

Sentiunt econtra alii autores, ejusmodi lineamenta atque membrorum rudimenta ſive hominis compagem, non in ovulis muliebribus, ſed in ſemine maſculino præjacere, dum injicitur in uterum femininum, illicque tantum nutriri ulterius, ut ſic ſingula membra in majorem magnitudinem accreſcant. vid. Theod. Craan *de Homin. cap.* 162. *p.* 713. quo loco tamen huic ſententiæ annectit: Scimus totum ſemen non eſſe ſemen, nec omne, quod in ſemine eſt, pro vero & fœcundo ſemine eſt habendum; adeſt quippe caput mortuum, hinc chymici diſtinctionem fecerunt inter ſperma & ſemen, & dixerunt, unum eſſe octingenteſimam alterius partem; ſic videmus ex meditullio ſeminis plantæ cujusdam prodire germen, alia materia circumjacens eſt inſtar veſtimenti, quo germen veſtitur, contra aeris injurias tuetur, nihilque ad germinationem aliud conferre videtur. Siquidem igitur in ſemine tantum illa pars ſolummodo pars eſt, quæ abit in primum rudimentum generationis, quæ in medio hæret, admodum exigua, cogitemus quæſo, an probabile ſit, aliquem obſervare potuiſſe, in hoc puncto, partes in compagem ornatas & diſpoſitas totius plantæ ope microſcopii. Scimus etiam, pergit idem autor, quod cum tempore hyberno videamus glacie feneſtras ita pictas, ut arborum ſeries ſimiliaque repræſentari videantur; quid hoc aliud docet, quam quod particulæ aquæ, quæ ſenſim & ſenſim ſuo in motu retardantur, & ſuis particulis coeant, quod illæ dirigantur certo ordine, & certa quadam ratione? cur igitur aqua illic dirigitur in tam gratos aſpectus & ordines? cur non confuſa manet? an dicemus, in illa aqua præjacere rudimenta illarum figurarum? nemo ſanæ mentis philoſophorum hoc unquam proponere auſus fuit, ſolus hic ſpectandus particularum coitus & amplexus mutuus, qui ſenſim fit, &, priusquam totaliter quieſcunt, certo ordine diſponuntur ſenſim & ſenſim, figurasque exhibent varias. Sic etiam hic de ſemine cogitandum, non mirum, quod in ſemine potuerint

An in ſemine maſculino?

non totum ovulum eſt ſemen.

rint conſpexiſſe aliquas particulas, aliquam ſed inordinatam figuram repræſentantes; an vero totam compagem totius plantæ vel hominis viderint, hoc captum excedit noſtrum; cum in homine ſint mille & mille organa, quomodo poſſibile eſt, ut in illa exigua ſeminis copia potuerit hæc diſtincta continere? præſertim adhuc in liquido ſemine hoc impoſſibile videretur, ubi ordo particularum facile turbari poſſet, dum tranſit per tot anguſtas vias, priusquam ad uterum muliebrem perveniat? &c. Quod vero de ſemine virili dubium movet allegatus autor, illud ſane multo magis ad ovuli feminei liquorem in eoque contentam futuri embryonis vix perceptibilem materiam in tantum applicari poterit, vix ſcilicet credibile eſſe, ut fœtus rudimenta atque delineamenta in ovulo ante congreſſum microſcopio penetrari atque detegi poſſint, quamvis paulo poſt conceptionem eadem apparere libenter concedam, atque eorum præexiſtentiam in ovo nondum fœcundato non negem.

§. 30.

Utrum in Evæ ovariis principia totius generis humani?

Utrum porro in ovariis primæ matris, Evæ, totius generis humani ideæ atque principia delituerint, pariter curioſa potius, quam neceſſaria quæſtio inter medicos eſt. Nimirum ſtatuunt nonnulli, Deum in omnium primarum femellarum, tam Evæ, quam cujuscunque brutorum ſpeciei, ovariis certum ovorum numerum creaſſe, quæ fœtus, partibus ſuis abſolutos, complectantur, neque generationem eſſe aliud, quam partium, in primævis ovis actu latentium, manifeſtationem per fœtus augmentum; hac ratione etiam Levi, longe ante nativitatem ſuam decimas ſolviſſe dicitur, cum proavo ſuo Abrahamo occurreret Melchiſedecus, quoniam in lumbis parentum fuerit. Imo ipſius etiam originariæ corruptelæ fundamentum, eruditisſimi viri, Malebranche, judicio, jam inventum eſſe, cum quicquid eſſet hominum, in lumbis Adami & Evæ occluſum fuerit, quibus ceu neceſſarium conſequens adjungi poſſet: exhauſtis his ovis humani generis finem adeſſe. vid. Joh. Swammerdam.

Miracul.

Miracul. Natur. cap. 1. *in Biblioth. anat. Tom.* 1. *f.* 497. Et Johannes Conradus Peierus *Merycolog. Lib.* 1. *cap.* 5. *p.* 50. hanc sententiam contra Johannem Conradum Brunnerum acriter defendit; ipse, inquiens, quondam in doctrina de generatione animalium ex ovo quædam ceu inepta rejeci, quæ mihi nunc videntur ita consentanea, ut propugnare ausim. Talia sunt potissimum præsentia ideæ realis in ovo ante congressum, quæ fœtum postea constituat, & numerus idearum in quolibet ovo, ex quo femella nascitur, tantus, ut species inde propagari queant per omnia secula &c. ibidemque variis Brunneri argumentis respondet. Inquit etiam Johannes Gothofredus Bergerus *de Natur. hum. l. a. p.* 462. non reprehendendus magnopere ero, si minus abhorream a Swammerdamii, Malebranchii, & aliorum quorundam doctorum virorum opinione, feminas primorum animalium cum omnibus animantibus ejusdem speciei, quæ genita sunt, quæque in posterum gignentur, creatas fuisse, atque in ovariis Evæ totum genus humanum delituisse. Quæ profecto sententia nec rationi, nec omnipotentiæ divinæ, qua in perexiguo spatio, minimaque mole, innumerabilia puncta organica comprehenduntur, adversari videtur, & multis nos difficultatibus, ac fictitiis præsertim formis & principiis, quibus, tanquam fabris & architectis, sapientibus & doctis, ut putant plerique, & ratione atque intelligentia præditis, formatio animalium & corporis humani vulgo tribuitur, liberat, idque intellectu haud ita difficile arguit, omnium conceptionem animantium sola ovi feminei, elasticis quibusdam liquoris masculi particulis imbuti, fœcundatione fieri. Huic sententiæ quoque favet Adamus Brendelius *Observat. anat. Decad.* 2. *Obs.* 6. *p.* 22. his verbis. Illi non adeo magnopere reprehendendi videtur, qui feminas primorum animalium cum omnibus animantibus ejusdem speciei, quæ genita sunt, quæque in posterum gignentur, creatas fuisse, atq; in ovariis Evæ totum genus humanum delituisse existimant. Quæ quidem sententia illis prodigio similis videbitur, qui men-

 tem,

tem, præjudicatis opinionibus imbutam, afferunt, & rem, minus in sensus cadentem, scrutantur, non tamen adeo a ratione abhorrebit, illa, quicunque perpenderit id, quod præclare à Cl. Mayow scriptum est: si quis, inquit, sic existimaverit, me in hujusmodi motuum spontaneorum explicatione ad res nimis subtiles confugere, respondeo, quod naturæ familiare sit, maxima quæq; minimorum ope perficere. Quam exiles enim tenuesque sunt particulæ illæ spirituosæ, quæ ingentem elephantis machinam in motus plane stupendos concitant. Et quid de particulis insectorum minimis dicendum est? Etenim cum tota earum moles tantum instar puncti habet, quam minutæ erunt partes illæ, quæ ne millesimæ totius existimandæ sunt.

§. 31.

Negatur. Negativam econtra sententiam alii autores amplectuntur, quorum idem Johannes Conradus Peierus ad Johannem Jacobum Harderum ita scribit: sequeretur hinc, te & me in Evæ ovario jam formatum exstitisse. Quid tu ad hæc, mi Hardere, impie de nostræ querimur vitæ brevitate, a tam longo si ea filo pependit. Cur juvenes adhuc dicimur tot millia emensi? aut ego multum fallor, aut assensum facile obtinere nequit Swammerdamii opinio. Legibus enim contrariatur multiplicationis animalium, quam Deus instituit. Hæc additionem poscit, quæ fieri nequit, numerum augere ni liceat. Est etiam a sensu aut ratione nonnihil alienum, materiæ licet divisibilitatem in infinitum non negem, potuisse in parvo Evæ ovario tot millena millia ovorum prægnantium contineri. Quis derivationem eorum caperet ex matre in filias? neque enim majus, ex quo puella nascitur, ovum est, quam ex quo masculus. Ægre quoque Swammerdamii fero subtilitatem in Theologicis. Non quærendum in minutiis ovorum originalis corruptelæ fundamentum, quas licet mente concipere tandem possemus, incertum tamen adhuc, an revera existant. Lapsis eheu! protoplastis non potuerunt nisi peccatores generari, similes nempe parentibus homines,

mines. Levi ab Apoſtolo non in ovario Saræ effœtæ, ſed Abrahami in lumbis hæſiſſe dicitur, cum hic decimas Melchiſedeco perſolveret, uſitata ſed generationi teſtimonium perhibente phraſi. Quid denique vaticinio tribuam, exhauſto illo ovorum numero humani generis finem portendenti? næ deſipiunt, ſapere qui ſtudent nimium. Tanto ſigno mortales noviſſimi latere diei adventus haud poſſet, qui tamen Chriſti effato irruet inopinato. Hucusque Peierus *Exercit.* 19. *p.* 92. *ſeq.* Cui ita reſpondet Johannes Jacobus Harderus *l. a. p.* 107. nullam hoc in negotio ego Swammerdamio adhibuere fidem, generationis continuationem neganti: vel ſola ſacra ſcriptura, de benedictione divina, homini totique animalium generi a Deo impertita, hunc turpiter confundit; taceo, quod ſanæ rationi minus congruum ſit, totum humanum genus in Eva, & totum animalium in primis animantibus fuiſſe recondita. Negat etiam Daniel Tauvry, primum hominem prima omnium ſubſequentium continuiſſe ſtamina, cum materiæ, in infinitum licet diviſibilis, actualis diviſio certos ſupponat terminos, adeoque habita attentione ad rationem feminæ ad ovarium ſuum non diu progredi liceat, quia ſupponenda ſit infinite parva ſtaminum quantitas, nec, quinam liquores iis arrodendis & nutriendis inſervire queant, appareat &c. uti ex ipſius tractatu de la Generation & de la Nouriture du Foetus, communicant Domini Collectores Actorum Eruditorum Lipſienſium *An.* 1706. *Menſ. Novembr. p.* 525. De hac materia & uſu liquoris ovulorum Joh. Conradus Brunnerus *Tr. de Pancr.* ita ſcribit: arduum omnino eſt & explicatu difficile, utrum in generatione partes ac membra animalium procudantur ac delineentur ex ovi colliquamento, ſeu lympha cryſtallina, latici, de quo verba fecimus, analoga, an jam formata ante exiſtant. Equidem mihi ſufficeret ad monſtrandum laticis lymphatici nobilitatis notum colliquamentum illud eſſe loco nutrimenti ac incrementi primi; velim tamen poſteriori ſententiæ addicti æqua mentis trutina mecum per-

pen-

pendant, quod si primæ matris testiculi, (& in his ova fœcunda tantum) totius generis humani seminia actu conclusissent, ut taceam illorum, qui in lucem nunquam prodierunt, quorum numerus alterum procul dubio multis parasangis superat, non negabit tamen æquus rerum æstimator, quin unicus Evæ testiculus (quamcunque atomum fingamus uniuscujusque ovuli rudimentum, sufficit saltem esse corporeum) revera totum Evæ corpus mole superasset: primævi tamen anatomici minus conspexerunt ova illa suo tempore, etsi grandiora procul dubio fuissent; quin nostro demum ævo, quo omnia ad interitum properant, & ovorum numerus hac ratione pæne exhaustus sit necesse est, in lucem prodierunt &c. vid. Joh. Conr. Peier. *Merycolog. p.* 50. *seq.* ubi hæc Brunneri verba refutare laborat. Quia vero secundum Joh. Swammerd. *l. a.* hæc ejusmodi arcana sunt, quæ captum nostrum superant; cumque ea intellectus nostri imbecillitas sit, ut longe minimam partem eorum, quæ in oculos incurrunt, percipiamus; nedum ut ea, quæ nonnisi ratiocinatione colliguntur, satis assequamur, potius Dei omnipotentiam mirari, quam ulterius rimari volumus.

§. 32.

Ovulorum cicatricula. Latet autem in testiculorum seu ovariorum ovulis cicatricula, in qua verum semen femineum & hactenus descripta fœtus delineamenta usque ad fœcundationem requiescunt. Inquit enim Christianus Vater *Physiolog. Sect. IV. cap.* 1. *Q.* 2. *p.* 299. animalia omnia in ovariis habent vesiculas rotundas, non solum succo spirituoso seminali repletas, sed etiam, instar aliorum ovorum volatilium, cicatriculam, tanquam futuri generandi ideam & figuram. Ejusmodi ovo si præter cicatriculam nihil adhæret, uti in viviparis contigit, inchoatum: si albumen & vitellus, quemadmodum in oviparis accidit, absolutum nuncupat Johannes Conradus Peierus *Exercit. anat.* 19. *p.* 98. Hanc cicatriculam, juxta Joh. Bohn. *Circ. anat. physiol. progymn.* 1. *p.* 3. vivipara cum oviparis communem possident, i. e. vesicula spermati-

matica muliebris præter cicatriculæ illius contenta nec plus nec minus involvit, ſed tota cicatriculæ nomen meretur; Sic Daniel Hoffmannus *Annot. ad Hypoth. Goveyan. p.* 59. inquit: annon ovulum ipſum ſemen eſt, cujus membranulæ liquidum continent, eo nomine quoque haud indignum, ad minimum cicatricula ſemen verum eſt. Et ſecundum Jacob. de Sandris *de natur. ſanguin. Stat. cap.* 4. *pag.* 146. mulieris ovum apte ſtructuratum intus cicatricem abſcondit, quæ a colliquamento ambitur, inde poſtea novo adveniente in uterum ſucco, utpote irrequieto excitante agente, ovi partes moventur ſingulæ, augentur fœtusque provinciam extendit. In hujusmodi cicatrice, quæ carinam, ſcilicet tres capitis veſiculas cum appenſa ſpinali medulla, clare exhibet, omnes animalis latitant partes & actu vere præexiſtunt. De hac cicatricula ita loquitur Joh. Jacobus Franciſcus Vicarius *Baſ. univ. Medic. Lib.* 1. *cap.* 3. §. 4. *p.* 33. non integrum ovum mulieris fœcundum eſt, ſed ſolum pars minima, ſcilicet verum ſemen, quod in minima parte ovi reſidet, adeoque & mole minimum eſt; inde Harvæus ait: naſcitur ex tantillo ſeminis apice annoſa quercus, lata expandens brachia & producta quævis tranſcendens; ita ex puncto quaſi homo, magni hujus mundi non minoris momenti microcosmus ſurgit, inde creatorem omnipotentem ex minimis initiis maximum apparere voluiſſe. Deinde veritati perquam conſentaneum eſt, latere in cicatricula illa ſeu vero ſemine integram & abſolutiſſimam partium omnium admirandum in modum conſtructarum ideam ac delineationem ſubtiliſſimam a Deo immediate ſapientiſſime inditam. Idem Adamus Brendelius *Obſerv. anat. Decad. II. Obſ.* 6. *p.* 21. non in toto ovulo, ſed in exiliſſima particula ſeminis omnia fœtus rudimenta eſſe delineata, ſcribit. Adductis tamen autoribus contradicit Carolus Drelincurtius *de Concept. Concept. Perioch.* 27. *p. m.* 37. inquiens: femineis ovis nullum plane germen primitus ineſt intrinſecum, ſed omne extrarium eſt & recens in illud advena, atque adeo alienigenum. Idem *de*

Conception. adversar. dogmat. 12. *p.* 47. *seqq.* feminarum ovula nullam omnino materiam ad embryonis stamina nectenda conferre, sed illa singulo ab unico virili spermate connecti defendit; quæ tamen sententia ab aliis refutatur.

§. 33.

Glandulæ. Hæc ovula veteribus vesiculas fuisse nominata, aliquoties hactenus diximus, cur autem ex recentioribus Michael Rupertus Beslerus ipsis non ovorum, sed glandularum seu vesicularum, semen prolificum continentium, nomen indiderit, hanc reddit rationem Johannes Swammerdam. *l. a.* quia ipsorum figura nonnunquam oblonga & irregularis est; interim annotarunt autores, in ovariis præter hæc ovula, alias adhuc vesiculas seu hydatides, glandulas & globulos, in quibus tamen describendis variant scriptores. Quod enim hic vesiculas, alius glandulas nominat; e. g. Jacobus de Sandris *de natural. sanguin. Stat. cap.* 4. *p.* 149. inquit: prope mulierum ova vesiculas apponi glutinosa substantia plenas, cujus ope ovum separetur, foveatur & ejiciatur; quod contra alii, uti paulo infra dicemus, a corpore quodam glandoso fieri statuunt. Glandulis autem & vesiculis totam femineorum testium substantiam coagmentatam esse, scribit Thomas Bartholinus *Anat. Lib.* 1. *cap.* 26. *pag.* 248. De glandulis in testiculo, magnitudine pomi Borsdorfferiani mediocris, Philippus Jacobus Hartmannus plurium glandularum congeriem annotavit; quæ compressæ omnes erant atque exsuccæ, albæ; plurimas glandularum dissecuit Hartmannus, omnes autem cavas observavit, majori aliarum minori cavitate: in quarundam cavitatibus sebacei coaguli modicum detexit. Cohærebant autem hæ glandulæ instar uvarum passarum in racemo, inæqualis figuræ omnes, nullæ rotundæ. In confinio alæ vespertilionum in fibras carneas pedunculis suis desinebant, intercurrentibus vasis sanguinis. *v. M. N. C. Dec. III. An.* 5. *&* 6. *Obs.* 209. *p.* 478. *seq.* Juxta Godefr. Bidloo *Anat. Tab.* 51. interna ovariorum species ex innumerabilibus membranulis, fibrula-

rum

rum vaſorumque plexibus, glandulis ac veſiculis diaphanis compoſita cernitur. Glandulæ vaſorum capillamentis non minus intrinſecus, quam extrinſecus obvolvuntur, validiore ſpecifica veſtiuntur membrana, tenacisſimisque radiatim diſpoſitis conſtruuntur ex tubulis. De his glandulis ſcribit Johannes Henricus Bollmann *de Febrib. intermitt. p.* 50. quemadmodum in cunctis corporis partibus omnes ſecretionum modi per determinata colatoria, glandulas ſcilicet, peraguntur, ita etiam in ovariis accidere ſolet, ubi per glandularum ovulis interſperſarum meatulos inſenſiles lympha ſubtilis his inſtillatur & communicatur, quas glandulas nuper in ovario ſuillo piſi magnitudine invenit Bollmannus. De corpore ovariorum glandoſo, quod fœtum ex ovario exturbare ſcribitur, infra pluribus agemus. Tales ovariorum glandulas juxta Joh. Guilielm. Paul. *Annot. in Joh. van Horne Opuſc. Microcoſm.* §. 67. *p.* 239. duplicis merito generis aſſeverare licebit, alias, quæ ſemper adſunt, & alias, quæ poſt coitum tantum prolificum occurrunt. Priorum quippe necesſitatem, i. e. ſubſtantiæ teſticulorum fibroſæ aliquid glanduloſi intertextum eſſe, ex lympha ovulorum contenta, per glandulas omnino a ſanguine ſecernenda Johannes Bohnius *Circul. anat. prag.* 1. *p.* 4. evincit. Poſteriores autem à Graafio notatas Bohn *l. a. p.* 9. adverſus Malpighium, dubitantem, an poſt coitum ſolum fœcundum ſubſtantia iſta glanduloſa manifeſtetur, vindicat, circa uſum tamen earum a Graafio diſſentiens, quod lympham ovuli genitalem minus activam ſequeſtrare potius, quam ovulum protrudere videantur, ovulis imprægnatis magnitudine potiſſimum non imprægnatis cedentibus. Plura de hac excreſcentia glanduloſa vid. Joh. Gothofr. Berger. *l. a. pag.* 457. *ſeq.* Jac. de Sandr. *l. a. p.* 146. Regnerus de Graaf *l. a. p.* 296.

§. 34.

Denique in ovariis præter veſiculas ſeminales ſeu ovula, fœtus ſtamina includentia, occurrunt adhuc aliæ veſiculæ, nonnullis hydatides nominatæ, ita tamen ab iſtis differentes, ut ve- *Hydatides.*

ſiculæ ſeminales ſint ovales, hydatides vero orbiculares; deinde ut ovulorum, aquæ bullienti injectorum, liquor cito inſtar albuminis coaguletur, hydatidum vero liquor vel plane non vel non adeo prompte condenſetur, uti probat Johannes Mauricius Hoffmannus *M. N. C. Dec. II. An.* 5. *Obſ.* 207. *p.* 430. *ſeq.* in cadavere infanticidæ præter ovula philiatris demonſtrans hydatides ſive veſiculas orbiculares, humore limpidisſimo repletas, numero tres, magnitudine ovula ſeminalia vera ſuperantes, & a membrana exteriori, teſticulum ſive ovarium dextrum, qua parte uteri fundum recipiebat, involvente erumpentes proximeque ſibi invicem accumbentes: quas cum dein aquæ fervidæ immerſiſſet, humorem incluſum non adeo prompte, quemadmodum ſeminalem ovulorum liquorem, concretum deprehendit, ſed aliquantum ſaltem turbidum factum. Regnerus de Graaf *l. a. cap.* 12. *p.* 301. inquit: Veſicularum genus, hydatidum nomine notum, duplici ordinario conſtat tunica, cujus inferior licet tenuiſſima ſit, ab exteriori tamen haud difficulter ſeparatur, nec liquor in illis contentus coctione facile indureſcit: Contra vero communes ovorum tunicæ a ſe invicem ægre dividuntur, atque illorum liquor illico indureſcit: hinc ſemper, quotiescunque veſiculas in excoctis teſtibus indurato liquidoque humore plenas invenimus; has hydatides, illas ova eſſe judicavimus. Quibus addendum, quod hydatides aliquando a teſticulorum membranis veluti a petiolo propendeant, quod nunquam de veris femellarum ovis hactenus obſervare potuimus. Johannes Muraltus *Colleg. anat. Lect.* 11. *p.* 182. hanc facit differentiam, ovula non eſſe hydatides, quia in omnibus, quæ ſectioni ſubjiciuntur, feminis reperiantur; præterea hydatides membranis reliquisque partibus adnatæ pendeant, ovula vero pretioſi inſtar theſauri in teſticulis, certo ordine detineantur, ſint exacte rotundæ nullamque, uti hydatides, habeant extraordinariam magnitudinem. Juxta Georg. Phil. Nenterum *Phyſiol. cap.* 2. *p.* 44. *ſeq.* interius in mulierum teſtibus cernuntur plures parvæ veſiculæ

ſive

five ovula, quæ primam fœtus materiam in se continent: præter hæcce vera ovula alia adhuc dantur, quæ hydatides & subventanea vocantur; & nil nisi humorem aqueum in se continent, & ad conceptionem inepta censentur. Et Daniel Tauvry *Tract. de Generat. & Nutrit. fœt. cap.* 2. vesiculas exiguas in testiculis ovula esse pronunciat, in eo ab hydatidibus testiculorum, non semper nec in omnibus animalibus reperiundis, differentia, quod ista facile, hæc difficulter ad ignem indurentur; hæ aliter, quam illa, cum testiculis connectantur; in his æque membrana externa facile separetur ab interna, in istis minime; has denique in plerisque animantibus deprehenderit molles ac transparentes, ista vero firma satis & minus pellucida. vid. *Act. Erudit. Lips. An* 1706. *Mens. Novembr. p.* 525. *seq.* De ovulorum & hydatidum differentia ita scribit Johannes Conradus Peyerus ad Johannem de Muralto: quotquot hucusque secui femininos vulgo dictos testiculos, semper diligens inquisitio mihi suggessit ova minutula plurima in acervum (haud secus ac in ovario gallinaceo) in racemum adgesta, tunica propria constantia, & humore (utplurimum homogeneo & limpido) impleta atque a testiculo seu ovario integre separabilia: neque hydatidum specie mihi imponi passus sum, postquam ea semper & in omnibus reperi; insuper hydatides partibus membranosis aliisve, fere extrinsecus adpendi solent; at ovula ista tanquam pretiosus thesaurus altius in testiculis ceu ovariis reconduntur; cumque hydatides præternaturale phyma sint, quomodo seriem tam elegantem, rotunditatem adeo exactam & magnitudinem congruam obtinere & ubique constanter observare possent? accidit, fateor, interdum, ut inter ova phymata quædam, pustulæ aut vesiculæ alienæ, tanquam zizania inter frumentum, enascantur. Imo ipsa ovula sæpe corrumpi contingit, ut illorum nonnulla ab indole sua multum degenerent, attamen id neque perpetuum, neque ex naturæ præscripto est. v. Joh. de Muralt. *Vademec. anat. Exercit.* 9. *p.* 400. *seq.* Et juxta Georg. Phil. Nenter. *l. a. cap.* 9.

 p. 328.

p. 328. *seq.* ovula vulgo distinguuntur in vera & subventanea, quæ etiam a quibusdam hydatides appellantur. In veris prima fœtus rudimenta Malpighius ex frequenti & solerti ovorum gallinaceorum inspectione didicit. Subventanea vero prima fœtus rudimenta non includunt, sed lympham tantum in se continent, & hinc ad conceptionem inepta sunt.

§. 35.

Hydatidum ortus. Tales autem vesiculæ seu hydatides majores ab obstructis ovariorum vasis lymphaticis oriri possunt, dum a majore seri seu lymphæ affluxu ejusque impedito refluxu, quandoque ad pisorum majorum, & globulorum, interdum etiam ad majorem & incredibilem fere magnitudinem distenduntur, ut non modo maxima testiculorum seu ovariorum intumescentia, sed etiam, quia tenuissimæ dictorum vasorum membranulæ a levi quandoque occasione disrumpi possunt, abdominis hydrops exinde sequatur. Siquidem secundum Joh. Jac. Harder. *Apiar. Obs.* 88. *pag.* 331. hydatides nihil aliud sunt, quam vasorum lymphaticorum dilatationes. Johannes Mauritius Hoffmannus *M. N. C. Dec. II. An.* 5. *Obs.* 207. *p.* 431. tales vesiculas evenire existimat, aut propter ruptas aliquas tunicæ ovarium investientis fibrillas, & lympham hinc guttatim effusam nutriciam in vesicularem formam deinde concretam, aut propter lympham interceptam tunicamq; ovarii distendendo in vesiculas attollentem, non absimili modo, ac a sero, quod cutis poros permeavit, sub cuticula coercito, hancce in vesiculas elevari sæpius cernimus. Cui tamen autori non consentit Antonius Nuck *Adenograph. curios. cap.* 8. *p.* 95. Hoc, inquiens, cum autore circa originem vesicularum harum plane non convenirem; quum, detectis jam vasis lymphaticis, ab iisdem male affectis easdem deducere, nihil facilius.

§. 36.

Exempla ejusmodi vesicularum majorum atque exinde orti hydropis hinc inde annotarunt medici, e. g. Philippus Jacobus

bus Hartmannus in femina quadam febre confecta e teſte dextro, majori ſpecie, globoſum corpus, magnitudine ceraſi, prominentem conſpexit; ex quo diſſecto fœtidum pus, minus fluidum, inſtar amurcæ fuſcum, prodibat. In ſiniſtro vero teſticulo, longe minori & incorrupto, præter alias, una inſignis veſicula aquoſa, piſum maximum ſuperans, apparebat, quæ ſecta puram lympham ejaculabatur. v. *M. N. C. Dec. II. An.* 5. *Obſ.* 75. *p.* 173. In femina Lugduni Gallorum 1681. denata teſticulus ſiniſter ſive ovarium mole ſua æquabat majuſculum gallinæ ovum, in quo hydatides numeroſæ, ſatis inſignes, probe diſtinctæ apparebant, in unum veluti globum coactæ, ſed varia materia refertæ, aliæ quidem liquore lymphatico, limpido & glutinoſo, aliæ magis concocto & albidiore. v. Joh. Jac. Harder. *Apiar. Obſ.* 88. *p.* 352. *vid. etiam Obſ.* 97. *p.* 325. *ſq.* In puella, quæ vigeſimum ætatis annum non longe prætervecta videbatur, invenit Theodorus Kerckringius hydatidem teſticuli ſiniſtri locum occupantem, is enim aberat, quæ magnitudine ovum anſerinum longe ſuperabat, vid. *Kerckring. Spicil. anat. Obſ.* 10. *p.* 28. Et *pag.* 29. probat idem ex hydatidibus hydropem fieri, quando nimirum rumpuntur, idque confirmat exemplo puellæ ſex tantummodo menſium, in qua dextrum teſticulum magnitudine ovi columbini obſervavit. Referente Nicolao Tulpio *Obſ. med. Lib.* 4. *cap.* 44. *p.* 369. Cathalinæ Bonevalliæ, adverſa valetudine, ob ſuppreſſa menſtrua, aliquandiu uſæ, induruit tandem abdomen, increſcendo paulatim in eam molem, ut præ pondere aquarum novem annis moleſtiſſime vixerit, antequam vitæ invenerit finem. Quem tamen adepta fecit medicis copiam inſpiciendi ſuum cadaver, in quo inter alia videre fuit utrumque uteri cornu continuiſſe novem circiter aquæ puriſque libras, incluſas innumeris veſicis. Et Johannes Mauritius Hoffmannus *ibid. An.* 9. *Obſ.* 224. *p.* 413. feminæ meminit, cujus ovarium utrinque inſigni eminebat proceritate, & dextrum quidem præter ovula pauca incerta ſerie diſpoſita in medio ſuperius prominulam conti-

Exempla veſicularum & hydropis ovarii.

nebat

nebat veſicam ovalem, ea præditam magnitudine, quam dictus autor adjecta figura monſtrat, & per membranam, ovarium exterius ſuccingentem, ad rupturæ usque periculum dilatatam transparentem; quod ipſum etiam periculum, vix digitis contrectato ovario, ſubiit, proſiliente illico ex ſinu profundo relicto dicta veſica ovali, pauculis vaſculis ſanguiferis retiformibus in ſui quaſi exteriori centro obducta, interius autem humore lymphatico nonnihil turbido repleta. Item ovario ſiniſtro ejusdem feminæ altius immerſa fibrisque firmiſſime devincta, figuræ plane ſimilis, ſed diſparis magnitudinis cum priori, in ovario dextro obvia, cernebatur veſica membranacea, nullis vaſculis ſanguiferis dotata, ſed fuſco colore delibuta, intusque aſſervato liquore lymphatico infarcta, qui ab aquæ fervore diu ſatis perpeſſo neutiquam tamen ſe in coagulum verti patiebatur, ſed fluidus permanebat, ita ut veſiculam hancce pro hydatide habendam eſſe unanimis adſtantium conjectura voluerit. In virginis furore uterino defunctæ teſticulo dextro, ad pugni magnitudinem expanſo, ingens reperiebatur humiditas, quam Stephanus Blancardus *Collectan. med. phyſic. Cent.* 1. *Obſ.* 28. *pag.* 58. ab ovulis derivat, ego vero disruptis potius hydatidibus adſcribere mallem. Theodorus Zwingerus *M. N. C. Dec. II. An.* 9. *Obſ.* 36. *p.* 234. *ſeq.* obſervationem de ſtupendo muliebris ovarii hydrope annotavit, in qua loco dextri ovarii ſaccus amplisſimus ſive uter exiſtebat, quum accuratius examinando duplici ac utraque craſſa & tenaci membrana undique dotatum vidit, quibus adapertis tunicis ſerum flavidiuſculum, guſtu acre & ſexaginta libras pondere ſuperans, effluxit; in fundo hujus utris corpus reperit magis ſolidum, matricem verſus ſitum, quod magnitudinem & craſſitiem humanæ ſecundinæ propemodum ſua mole exæquabat, figura teſticuli præditum, neque accuratius conſiderando & inſpiciendo, aliud quid eſſe comperit, quam dextrum ovarium, in miram magnitudinem excretum, cujus tunicæ ſuperficiales a cumulatione lymphæ extravaſatæ inſigniter expan-

ſæ

sæ uterem illum stupendum formabant. Aliquot ejusmodi historias recenset etiam Antonius Nuck. *Adenograph. curios. cap.* 8. *p.* 84. *seq.* & quidem primo de virgine viginti quatuor circiter annorum, quæ ob corpus uteriforme pelvim occupans gravida credebatur. Hujus vero cadavere aperto ovarii sinistri lymphaticum, mirum in modum extensum, saccum formarat, adulti hominis caput æquantem, lymphæ admodum claræ ac tenuis pintas ad minimum duas continentem, ipsum ovarium destruentem &c. Idem Nuck. *p.* 89. ex communicatione Caroli Drelincurtii refert, ex domicellæ triginta quinque annorum abdomine post mortem quadraginta aquæ pintas fuisse extractas, cum nihilominus testis insuper decem libras penderet. Tumor erat tuberosus, inæqualis admodum & totus compositus infinita globulorum quantitate coloris variegati & consistentiæ diversæ. Examine distinctius instituto notatum fuit, testiculum hunc monstrosum originem sumsisse ex vesiculis seminariis (fortasse hydatidibus) ad illam magnitudinem accretis; quarum aliæ humorem serosum & limpidum continebant; aliæ humorem serosum ex flavo nigricantem, sed mobilem, & leviori attactu exstillantem: aliæ serum glutinosum & melli non absimile: aliæ iterum liquorem gelatinosum, crassiusculum, attamen transparentem capiebant. Denique aliæ erant gypseæ & grumosæ, aliæ coriaceæ & totaliter scirrhosæ, &c. Tales vesiculas, potissimum leviori attactu lympham stillantes seu crepantes diluvii lethalis, nos mundantis vitæque nostræ lampada extinguentis, originem constituere confirmat ibidem Drelincurtius. Nos autem non sine ratione loco vesicularum seminalium hydatides intellectas velle, confirmat etiam allegatus Nuckius *p.* 93. distinctius, inquiens, judicasset Drelincurtius, si vasa ovarii lymphatica, primum nobis detecta, ipsi fuissent cognita; certo sibi persuasum habuisset, præter vesiculas seminales, alias occurrere vesiculas, ab obstructis lymphaticis oriundas, lympham continentes. Ex feminæ, lautioris conditionis, quadragesimo

ætatis anno ex hydrope pectoris atque ascite lenta morte pereuntis abdomine, pertusis paracenteseos in modum ejusdem involucris, Christophorus Harderus protinus mensuras plus minus viginti aquæ flavescentis ac lixiviosæ eduxit, ipsique aperto abdomine tuber magnum, instar renis fere efformatum, obviam quasi prosiliit, pendens lance libratum libras decem civiles, ortum sumens ex dextro uteri testiculo, carnosum extrinsecus, intus pure cruento refertum, non admodum fœtido; dictusque testiculus totus fuit extensus, cavus, pure repletus adeo, ut vix agnosci amplius potuerit. Sinister vero testiculus totus fuit naturalis, excepto, quod ipsi accreverat vesicula aqua plena, avellanæ majoris magnitudine. v. *M. N. C. Dec. I. An.* 3. *Obs.* 180. *p.* 336. *seq.* 340. Hydropem ovarii muliebris in rustica quadraginta annorum observavit etiam Johannes Jacobus Harderus *Apiar. Obs.* 87. *p.* 325. *seq.* & Lucas Schrœckius *M. N. C. Dec. II. An.* 8. *Obs.* 233. *p.* 559. *&* 563. non modo ejusmodi hydropis saccati exemplum adducit, ejusque ortum ex obstructione alicujus vasis lymphatici deducit, sed etiam ex Caspari Bauhin. *additam. ad Francisc. Rosset. de Fœt. viv. exsect.* hydropis testiculi muliebris annectit, ubi ex testiculo dextro ingentem tumorem, copiosum serum continentem, prodiisse refert. *vid. etiam M. N. C. Dec. II. An.* 10. *Obs.* 27. *p.* 66. *seq.* Marcell. Donat. *de Med. Histor. mirab. Lib.* 7. *cap.* 7. *p.* 689. Matthiæ Cornac. *Histor.* 7. apud Franc. Rosset. *de Part. Cæsar. pag.* 257. *seq.* Hydropem ovarii muliebris Fridericus Ruyschius etiam ab ovis deducit *Obs.* 17. *p.* 22. Hydrops, inquiens, ovarii, aut (si ita loqui liceat) ovorum affectus est ab aliis satis visus, modo satis consideratus. Hydatis audit apud autores, cui nomini libenter acquiesco, modo de mali subjecto inter nos conveniat. Hoc utplurimum (si non semper) ipsa ova esse animadverto, ita mutata & in tantam aliquando molem aucta, ut infantis caput non raro superasse viderim. Ibidem etiam Ruyschius apponit figuram, qua hunc affectum ovarium ipsum superasse monstrat.

§. 37.

§. 37.

Imprimis autem in feminis passione hysterica vel hysteromania sive furore uterino laborantibus testiculi muliebres seu ovaria eorumque ova in statu præternaturali in earum sectionibus deprehunduntur. Scribit enim Isbrandus de Diemerbroc *Anatom. Lib.* 1. *cap.* 24. *fol. m.* 131. se in variis, quæ in vita suffocationibus uterinis frequenter laboraverant, plerumque invenisse aliquem ovarii magnitudinis excessum, in eorumque modo uno, modo utroque liquorem quendam æruginosum, vel croceum, aut flavescentem. Virgo quædam nubilis vitam otiosam ducens, postquam amorem clandestinum cum nobile quodam contraxisset contra parentum suorum voluntatem, in somnis fatigabatur & de die clamabat, multa incompta atque lasciva pronunciabat, ita ut insana videretur, & quando masculos videbat, illico in eos ruebat, ac venereos amplexus & oscula petebat, perpetuo vigilabat, nec comedens, nec potum assumens, & decima quarta morbi die peribat. Aperto cadavere omnia viscera sana apparebant, præter uterum, qui inflammatus observabatur; hæcque inflammatio etiam ad tubas & ovaria pertingebat, uti ex medici Mantuani relatione communicat Josephus Lanzonus *M. N. C. Dec. III. An.* 5. *&* 6. *Obs.* 124. *p.* 253. *seq.* Simillima exempla jam supra §. 21. de ovulorum præternaturali magnitudine ex Stephani Blancardi *Collect. med. phys. Cent.* 1. *Obs.* 28 *p.* 58. Joh. Michael. *Oper. Prax. Clin.* & aliis adduximus. Virgo claustralis, quæ sæpius diversisque temporibus in furorem uterinum inciderat, tandem tam violento ejusmodi maniæ paroxysmo corripitur, ut catenis, cohibendæ enormis & effrænatæ lasciviæ libidinisque causa, vincienda fuerit; inter conatus varios se extricandi & a vinculis liberandi, suffocata derepente interiit. D. le Duc cadaver horas post aliquot aperuit, ac deprehendit, nunquam eam Lucinæ expertam esse labores, simulque testiculum sinistrum pugni magnitudinem circiter adæquantem, crasso spermate turgentem: vas autem a testiculis ad uterum protensum non

in hystericis.

modo media parte vase dextri testis majus esse, sed præterea durissimum & callosum. vid. Nicol. Blegn. *Zodiac. med. Gall. An. I. Mens. Jan. Obs. 6. p. 6. seq.*

§. 38.

Ovarium extra uterum propendens.

Ad statum præternaturalem pertinet etiam ovarii post abdominis abscessum, nimis profunde perforatum, ex eodem eruptio, qualem observationem annotavit Fridericus Ruyschius *Obs. 16. p. 22.* Novi, inquiens, chirurgum, dum viveret, admodum temerarium: is abscessum in hypogastrii parte inferiori & laterali phlebotomo magno aperturus tam profunde instrumentum adegit, ut in abdominis usque cavitatem penetraret. Qua facta apertura, momento simul cum pure unum ex ovariis extra corpus erumpebat; quo a me viso digitisque bene explorato sine notabili ægræ noxa idem in naturalem locum intrusi; ita ut nullum inde ei damnum fuerit relictum.

§. 39.

Ovulum e teste pendens.

Item ovulum e dextro testiculo seu ovario pendens observavit Bernhardus Albinus, qui die 15. Octobris 1685. ad puerperam juvenculam, quæ pridie puellum enixa alium adhuc mortuum in utero habebat fœtum, accersebatur, cumque hæc sequente die fatis concessisset, ab ipso secta exhibebat testes ovis turgidulis, pellucidis & copiosis refertos: è dextro teste pollicis latitudine mediantibus vasis sanguiferis, versus tubam Fallopianam, ovum pendebat, quod magnitudine pisum majus adæquabat, & vasis sanguiferis copiosissimis refertum erat; analogum illis ovis, quæ gallina per aliquot dies incubavit, in quo mira vasorum sanguiferorum texturam reticularem cum admiratione videre licebat, & liquor in eo contentus non adeo ut reliquorum pellucidus, sed turbidus erat. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 4. Obs. 94. p. 187.* Hydatides ab ovariis & fimbriis dependentes depingit Fridericus Ruysch. *Obs. anat. chir. n. 83. p. 109.* Hæc ova, inquit Theodorus Kerckringius *Anthropogr. Ichnogr. Cap. 1. p. 3.* sæpissime etiam tam a conjugatis, quam virginibus excernuntur, insensibiliter

ſibiliter quidem, quia ipſæ non advertunt, nec quicquam de iis ſuſpicantur: ſed quod mihi ex relatione quarum conſtat, ſentiunt, dum reflectunt. Cum autem excreta ſunt, pergit dictus Autor, paulo, quam ibidem depinximus, ſunt majora, nec quia mollia ſunt & laxa, rotunditatem ſuam ſervant, & ſi manu tractentur ac diducantur, membrana manum ſequitur, unde patet, ea non ſemen aut quid ſimile eſſe, ſed ipſa hæc ova. Et hæc excretio potiſſimum inſtante purgatione menſtrua, aut alias ſtimulante libidine accidit.

CAPUT IV.
De Tubis Fallopianis.

§. I.

DEnique ad partes mulierum genitales internas adhuc pertinent appendices illæ uteri, quæ veteribus anatomicis vaſa deferentia, ligamenta lata, antennæ, ſpiramenta uteri, oviductus & cornua appellantur, quod nomen ex recentioribus etiam anatomicis nonnulli retinent v. g. Johannes Swammerdamius *Natur. Miracul. cap.* I. has partes cornua uteri nominat. vid. Biblioth. anat. *Tom.* I. *fol.* 498. Guilielmus Harvæus *Exercit.* 65. *p. m.* 425. inquit: in muliere duæ tubæ, prope cervicis uteri exortum in cavitatem ejus perforatæ, non habentur vulgo cornibus analogæ, ſed a nonnullis anatomicis vaſa ſpermatica, ſpiramenta, vaſa ſemen deferentia aut reſervantia cenſentur. Tanquam eſſent de genere veſicularum ſeminalium; cum tamen revera cornibus uteri cæterorum animalium proportione reſpondeant, ut liquido patet ex ſitu, connexione, amplitudine, perforatione, ſimilitudine, atque etiam officio; quemadmodum enim alia animalia ſemper in cornibus concipiunt, ita aliquando etiam mulier reperta eſt, quæ fœtum in cornu ſive tuba illa gereret. Et Carolus Drelincurtius *Experiment. anatom. de Uter. p.* 100. *ſeq.* quæſtionem movet: an prima incunabula noſtra ſint in uteri fun-

Tubæ Fallopianæ.

an ſint cornua?

fundo? hoc eſt, an fundum illud noſtræ conceptionis, noſtræque geſtationis genuinus locus exiſtat? An vero concipiamur atque geſtemur, more bruto, in laxis illis atque cornutis uteri diverticulis? Feminæ ſiquidem, reclamante licet Laurentio, cornigenæ atque cornigeræ ſunt, cornutæ interim nusquam audiunt; nomen quippe ſibi debitum furtiva ſua & diaboli condimento dulciori venere, maritis induunt? Hæc tamen cornua non æque in homine quam in brutis reperiri autopſia probat, hinc etiam Isbrandus de Diemerbroc *Anat. Lib.* 1. *cap.* 25. *fol. m.* 138. inquit: Cornua manifeſtiora ſunt in brutis viviparis, in quibus uterus bipartitus in duo manifeſta longaque cornua, intus cellulis diſtincta, dividitur. Rariſſimum autem eſt, in mulieribus talia cornua inveniri, qualia tamen in puella quadam invenit Sylvius, & cujus exemplum ex Bauhino annotavit Johannes Schenckius *Obſ. Lib.* 4. &c. Et Johannes Riolanus *Anthropograph. Lib.* 2. *cap.* 35. *fol. m.* 180. ait: nondum apud anatomicos, quid pro cornibus accipi debeat, definitum eſt, quia nihil extra uterum figuram cornuum, ut in brutorum matrice, refert. Item Thomas Whartonus *Adenogr. cap.* 33. *p. m.* 206. tubas non cornua vocat, ſed easdem circa exteriorem teſticuli extremitatem capreoli in modum criſpatas poſtea recta ad uteri cornua deferri ſcribit.

§. 2.

Tubæ. Plerisque vero modernis anatomicis hæ partes tubarum Fallopianarum & oviductuum nomine venire ſolent, tubæ ſcilicet appellantur, ob figuræ analogiam, quam cum inſtrumento muſico vel potius bellico ejusdem nominis obtinent, nam circa extremitates ſuas, quibus in ornamentum foliaceum ſive fibroſum abeunt, amplæ & manifeſtiſſima cavitate præditæ ſunt, ea vero extremitate, qua uteri fundo utrinque inſeruntur, anguſtæ apparent, vid. Joh. de Muralt. *Clav. Medic. Exercit.* 9. *p.* 409. Vel juxta Petr. Dionis *Anatom. Demonſtr. IV. p.* 226. tubæ muliebres ex uteri fundo per minimulam productionem oriuntur, deinde vero ſenſim usque ad ſuam extremitatem dilatantur. Circa ſuum orifi-

orificium, quod ſemper patulum eſt, membranulas habet laceras ſeu diſciſſas fere fimbriarum inſtar, hæc earum pars morſus diaboli vocatur. J. Caſe *Compend. anat. Lib.* 3. *cap.* 1. *p.* 173. inquit: Tubæ Fallopianæ ſunt ductus exiles, anguſti, nervoſi & albidi, ex lateribus uteri orientes, & inſtar vitis capreoli contorquentes, donec prope ad finem veniunt, ubi valde largiores ſtatim facti, membranaceæ & a rubro colore etiam carnoſæ videntur, extremitas, cui datur foramen mediocriter amplum, conſciſſa & dentata invenitur, & dextre, vel ſecundum artem aperta, æneæ buccinæ orificio aſſimilatur. Capacitas horum ductuum valde differt; nam in initio ſetam tantum admittit, ſed in progreſſu ſuo, ubi ultimum gradum attingit, digitum auricularem excipiet, ſed in illa extremitate, ubi in dentes conſcinditur, quadrantem tantum iſtius ſpatii occupat.

§. 3.

Fallopianæ autem nominantur hæ tubæ, a Medico Gallico, Gabriele Fallopio, qui juxta nonnullos easdem invenit, vel potius easdem ſub nomine tubarum deſcripſit. Ipſius autem verba *Obſervat. medic. Tom. I. fol.* 421. ita ſonant: Meatus ſeminarius gracilis & anguſtus admodum oritur nerveus ac candidus a cornu ipſius uteri, cumque parum receſſerit ab eo, latior ſenſim redditur, & capreoli modo criſpat ſe, donec veniat prope finem: tunc dimiſſis capreolaribus rugis, atque valde latus redditus finit in extremum quoddam, quod membranoſum carneumque ob colorem rubrum videtur, extremumque lacerum valde & attritum eſt, veluti ſunt pannorum attritorum fimbriæ, & foramen amplum habet, quod ſemper clauſum jacet concidentibus fimbriis illis extremis, quæ tamen, ſi diligenter aperiantur ac dilatentur, tubæ cujusdam æneæ extremum orificium exprimunt. Quare cum hujus claſſici organi demptis capreolis, vel etiam iisdem additis meatus ſeminarius a principio usque ad extremum ſpeciem gerat, ideo a me uteri tuba vocatus eſt. Minime vero harum tubarum inventionem Fallopio, ſed potius Hippocrati *Fallopianæ.*

crati & aliis adſcribendam eſſe, acriter defendit Carolus Drelincurtius de *Fœt. membran. p.* 118. *ſeq.*

§. 4.

Deſcriptio. Præter hæc adducta, tubas Fallopianas ita deſcribit Johannes de Muralto *Clav. medic. Exerc.* 9. *p.* 415. Tubæ ſunt corpora rotunda, ab uteri fundo utrinque protenſa, nervoſa, concava; utero una ſui extremitate junguntur; altera enim pendula eſt, & attritorum pannorum fimbrias apprime repræſentat, in hujus corporis medio cellulas ponunt lyncei anatomici &c. Quæ verba etiam reperiuntur in Joh. van Horne *Microcoſm.* §. 67. *p.* 237. *ſeq.* vid. etiam *ib. p.* 240. Joh. Gul. Pauli Annotat. in hunc locum. Secundum verba Joannis Municks *Anat. p.* 71. ſunt tubæ appendices duæ carneo-nervoſæ, oblongæ, recurvæ, flexuoſæ, intusque ſinuoſæ atque rugoſæ. Protenduntur utrinque ab uteri fundo, recto ductu & anguſto admodum principio, ſenſimque latiores atque ampliores factæ incurvantur & reflectuntur ſurſum ovaria verſus, quibus tenuiore quadam membranæ expanſione alligantur. In fine vero, ubi latiſſimæ ſunt, illico rurſus coarctantur, & anguſto quodam orbiculari limbo, ceu ſtrictiore annulo, firmantur, in ambitu præterea fimbriatæ & carneæ ſunt, fimbriasque habent muſculoſas, quæ vigente venere vigent ſeſeque expandunt & contrahunt &c. Tales fimbrias, mentulæ ad inſtar, languente venere languere, vigente vero vigere, id eſt, penis atque clitoridis ritu, vel flacceſcere atque collabi, vel turgere atque porrigi, monet etiam Carolus Drelincurt. *de Concept. Concept. Perioch.* 7. *p.* 5. Petrus Dionis *Anat. l. a.* ita pergit: Tubæ infra teſticulos per lacerarum membranarum extremitates annectuntur. Tubarum iſtarum interna pars eſt corrugata: harum magnitudo non eſt ſemper eadem in omnibus ſuis partibus. Earum longitudo eſt circiter quatuor vel quinque transverſorum digitorum, craſſities vero pennæ tubulo æqualis &c. Et Regnerus de Graaf *de Organ. Mulier. cap.* 14. *p.* 336. Fallopii tubas ita deſcribit: numero duæ ſunt, utrinque una, ſitæ ſunt ad latera uteri, a cujus fundo,

fundo, anguſto admodum principio enaſcuntur; atque harum tubarum principia per uteri ſubſtantiam & aliquandiu extra eam recto ductu excurrentia pedetentim dilatantur, at ubi tubæ illæ notabilem capacitatem adeptæ ſunt, ſenſim magis & magis incurvantur, & de latere in latus flexæ, aut capreolari ductu contortæ excurrunt: qua ratione dimidiam circiter teſtium partem e longinquo ambiunt; in fine vero, ubi latiſſimæ ſunt, illico rurſus coarctantur, & partes ultra coarctationem ſeſe extendentes in multas particulas finduntur, ac fimbriis quibusdam foliaceum ornamentum referentibus, terminantur. Secundum verba Philippi Verheyeni *Anat. Tr.* 2. *cap.* 25. *p. m.* 192. hujus ductus ſeu tubæ capacitas in diverſis ejus partibus varia eſt: in principio, ubi hiat in uteri cavitatem, tantummodo ſetam aut exiguum ſtilum admittit, in progreſſu nonnunquam ad ſemidigitum ampliatur: at in fine rurſus contrahitur & arctior evadit &c. vid. etiam Isbr. de Diemerbr. *l. a. fol.* 133. & ex hoc Jean Palfyn *l. a. p.* 82. tubarum ſubſtantiam eſſe membranoſam, & non nerveam aut carnoſam ſtatuit Regnerus de Graaf *de Mulier. Organ. cap.* 14. *Oper. pag.* 340. Plura de his tubis ſeu appendicibus reperiuntur in Carol. Drelincurt. *Concept. Concept. p.* 3. 4. *ſeq.*

§. 5.

Tubæ ovariis non ſunt annexæ.

His tubis equidem illa uteri ligamenta, a peritonæo orta, quæ lata vocantur, ordinarie adhærent, v. Caſp. Bartholin. *Specim. Hiſtor. anat. cap.* 5. *p.* 85. *ſeq.* ipſa autem tubarum uteri extremitas per ſe libera propendet, neque teſticulo muliebri ſive ovario ordinarie annectitur, neque adhæret, ſed paululum ab ipſo diſtat; quod præter autopſiam confirmat Gabriel Fallopius *l. a.* aſſerunt, inquiens, anatomici, quod vaſa iſta ſpermatica oriuntur a teſtibus, atque cum illis omnino copulantur, & deſinunt in cornua ipſius uteri ita appellata, quod minime placet; quoniam nunquam obſervare potui meatus iſtos ſeminarios conjunctos cum teſtibus, niſi uterus male affectus fuerit; in omnibus autem aliis, aut virgines fuerint, aut vitiatæ mulieres, vel edide-

rint conceptum fœtum, aut non, ſemper disjunctos vidi teſtes a dictis meatibus, neque ulla apparet vena, aut anguſtum vas, vel magnum, quod a teſtibus ad hos meatus tranſeat; ſolaque adeſt membranula tenuiſſima a peritonæo, quæ cum omnia ibi contenta vaſa, venas ſcilicet & arterias vinciat, hos quoque meatus & teſtes ſimul copulat, ita tamen, ut non ſe invicem tangant. Nam inter ipſos ſpatium ferme dimidii digiti transverſi intercedit, tantumque abeſt, ut ſimul connaſcantur. Juxta Regner. de Graaf *l. a. p.* 340. teſticulos equidem tubæ dimidia ex parte ambiunt, undique tamen ab illis multum remotæ ſunt, nec ullibi niſi tenuiſſimo quodam membranarum interventu teſtibus alligantur. Nicolaus Steno, uti ex eo coram accepit Johannes Swammerdam, tubam naturaliter & ſemper ſuper teſticulo vel ovario, ſed citra connexionem, ſitam eſſe obſervavit. vid. *Biblioth. anat. Tom.* 1. *f.* 497. ubi Swammerdamius orificium vel aperturam tubæ trium digitorum latitudine ab ovario diſtare ſcribit. Quamvis autem dictæ tubæ ſeu oviductus ovariis naturaliter non cohæreant, poſt coitum tamen fœcundum, pro excipiendo atque ad uterum propellendo ovulo imprægnato hæ tubæ ſenſim approximando ovariis ſe applicant, uti in canibus aliquoties mihi obſervare licuit: Rationem autem, cur non perpetuo & absque coitu ſibi hæ partes annectantur, hanc reddunt autores, quo ſcilicet ovula imprægnata, ex ovarii, (quod tubæ extremitas totum comprehendere ſeu inveſtire non poteſt) modo ſuperiori, modo inferiori parte ſeceſſura ſeu prolapſura eo melius ex tuba excipi poſſint. Quod ſequentibus verbis confirmat Johannes Conradus Peierus: quamvis tubæ earumque oſtia ab ovariis ſeu teſticulis videantur remota, tamen, ubi opus eſt, (opus autem eſt tunc, cum ovum ex ovario deſcenſum in uterum minatur) eidem approximare poſſunt & ſolent: imo ideo omnes tubæ uterinæ in viviparis, & oviductus in oviparis, amplo & laciniato ſeu fibroſo proceſſu inſtructi reperiuntur, ut ovarium commode amplecti & ovum inde prodire geſtiens, veluti manu comprehen-

prehendere queant & excipere. Ratio vero, cur tubarum extremitates extra conceptionis momenta libera & ab ovariis soluta esse debeant, mihi sequens videtur: nempe ut ovo, modo in superiori, modo in inferiori ovarii seu testiculi parte erumpenti in obvios amplexus commodius se aptare possint: deinde cum natura in toto conceptionis negotio voluptati plurimum consultum voluerit, non parum gratæ delectationis, ab extremitatis tubarum amplexu testiculo sive ovario perquam sensili atque inde corpori universo conciliari videtur. vid. Johann. de Muralt. *Vademec. anat. sive Clav. Medic. l. a. p.* 405. *seq. item Colleg. anat. Lection.* 11. *p.* 183. *seq.*

§. 6.

Quo autem tubarum extremitas, ab ovariis aliquantum distans, ovula fœcundata ex ovariis eo securius amplecti possit, necessario in iisdem motus quidam seu approximatio, ab ipsarum substantia carnosa seu fibrosa absque dubio dependens requiritur, siquidem ejusmodi motus seu contractio a fibris musculosis fieri solet. Quamvis enim Regnerus de Graaf *l. a. p.* 340. tubarum substantiam non nerveam aut carnosam, sed solummodo membranosam esse sentiat; alii tamen earumdem substantiam fibrosam defendunt. Siquidem Nicolaus Venette *de la Generat. Part.* 3. *cap.* 6. *p.* 425. *sq.* inquit: Ces vaisseaux sont tout membraneux & charnus pour s'elargir & pour sentir les irritations du fœtus, ils ont un mouvement, qui est a peu prés semblable a celuy de nos boyaux, que nous appellons peristaltique. Et *Art.* 3. *p.* 387. inquit: j'ay souvent observé dans les chiennes pleines, que les cornes de la matrice avoient un mouvement semblable à peu prés à celuy de nos boyaux, & je ne doute point, que celle des femmes n'en ayent aussi pour se decharger de l'enfant, qui commence à se former &c. Secundum Johann. Swammerdam. *l. a.* liquido apparet, tubam intus fibrosam esse, quod ipsum in causa, ut credat Swammerdamius, eandem sese, vel quod eadem continetur, movere posse. Juxta verba Johan-

Tubarum motus.

nis Conradi Peieri, tubæ ceu partes valde fibrosæ, & vita ac sensu perfusæ, motu quoque peristaltico, (ut impune hoc termino utar) pollent, cujus ope ovum ipsarum osculo ingestum etiam sursum, atque per cæteros tubæ anfractus, citra recessionis discrimen, ad uterum usque promoveri potest. v. Joh. Muralt. *Clav. pag.* 407. it. *Colleg. anat. pag.* 184. *seq.* Daniel Tauvry de la generation & de la nourriture du fœtus, ut explicare quodammodo posset, quomodo ex ovario in uterum delabatur ovulum, tubarum descriptionem tradit satis accuratam, subjungens, quomodo tubæ per spiritum seminalem ad actionem determinentur, ut ovario applicatæ ovulum egrediens excipiant, exceptumque ad uterum devolvant. vid. *Act. Erudit. Lips. Anno* 1706. *Mens. Novembr. pag.* 526. Contra sententiam Regneri de Graaf supra allegatam, tubarum substantiam esse carnosam, ut motum habeat, utque ovum facilius in uterum delabatur, existimat Petrus Dionis *Anat. Demonstr. IV. Sect.* 2. *p.* 226. Et Joh. Fridericus Ortlob *Histor. Part. Dissert.* 36. §. 4. *p.* 282. *seq.* inquit: tubarum substantiam Graafius tantum membranosam ex duplici tegmine, externo lævi, interno in varias plicas reposito, constantem putat; at rectius fibrosam quoque & spongiosam, nervosis penis corporibus similem texturam inspectio declarat. Extremitates alteræ cum utero contiguæ, & corpore per ligamenta illa, alarum vespertilionum nomine dicta, producto, alteræ liberæ in mortuis pendent, & foliaceam fimbriam obtinent, quæ tantum non musculosa testiculo amplectendo apta est. Cornua cervarum, instar lumbricorum terrestrium sese moventia, sæpius se conspexisse, refert Guilielmus Harveus *Exerc.* 65. *p. m.* 427.

§. 7.

Tubæ an perviæ? dubitatur.

Dictarum autem tubarum officium & usus non in eo tantum consistit, ut ovula imprægnata a testiculo excipiant, sed etiam ut illa per earundem cavitatem successive ad uteri cavum vehant, vel motu peristaltico detrudant. Cum vero de ipsarum per-

perforatione tam veteres, quam nonnulli recentiorum dubitent, talis quoque illarum usus imprimis illis, qui semen muliebre sub specie certi liquoris per ligamenta uteri & quidem rotunda, de quibus supra egimus, ad uteri cavitatem deferri statuunt, suspectus fuit. Ex recentioribus Franciscus Plazzonus *de Part. Generat. Lib.* 2. *cap.* 20. *p.* 137. ita scribit: Vasa deferentia sunt duo cæci meatus, utrinque unus, substantia a venis spermaticis nihil differentes, quos aliquo modo Fallopius sub nomine tubarum depingit, sed a me in plurimis dissentit, nec mihi satisfacit. Oriuntur hæc vasa una extremitate ab uteri fundo, neque ad testes, aut ullam aliam partem altera sua extremitate pertingunt, sed occlusa & impervia sunt. Et *pag.* 139. ex hac ratione, quia scilicet hi processus non sunt pervii aut ulla aliqua cavitate præditi, eosdem nec semen continere, nec ad locum conceptioni destinatum devehere posse defendit. Secundum opinionem Nathanaelis Highmori *disquisit. Corp. hum. Lib.* 1. *Part.* 4. *cap.* 4. *f.* 101. tubæ ab ortu suo cavæ sunt usque ad finem, ubi clauduntur & cæcæ sunt. Theodorus Kerckringius *Anthropogr. Ichnogr. cap.* 1. *p.* 2. tubas Fallopianas cæcas appellat: Et Daniel Tauvry *Anat. cap.* 12. *p.* 201. etiam dubitare videtur, an ovula per tubas Fallopianas ad uterum permeent: testiculi, inquiens, deberent ductibus excretoriis præditi esse; de quorum vero existentia dubitatur. Nonnulli crediderunt, ovum per tubas Fallopianas in uterum delabi, uti in gallina ex racemo in tubam delabitur. At vero, quoniam feminarum testiculi membrana forti involvuntur, nec ovum illam pro delapsu suo in tubam perforare apparet, alii majori veri specie crediderunt, ligamentum testiculum connectens, & ad tubas & matricem pertingens, esse vas excretorium. Qui tamen autor *Tract. de la Generation du fœtus* tubas ovulum excipere exceptumque ad uterum devolvere scribit, uti paulo ante ex Actis Eruditorum adduximus, ibidem etiam, quomodo ova ab ovario separentur testiculique membranam perforent, exponit.

§. 8.

Affirmatur. Rectius itaque plerique modernorum anatomicorum tubarum perforationem tam rationibus, quam autopsia defendunt. Tubis enim dictis viam ovulorum ad uterum visibilem esse, atque in virginibus æque ac maritatis patere, idque nulla probatione opus habere, scribit Johannes Swammerdamius *Mirac. Natur. cap.* 1. vid. *Bibliothec. anat. Tom. I. f.* 497. Tubas a testibus usque ad uterum secundum naturam pervias esse, inquit Isbrandus de Diemerbr. *Anat. Lib.* 1. *cap.* 24. *fol.* 173. Secundum Joh. Frid. Ortlob. *Histor. Part. Dissert.* 36. §. 4. *p.* 283. utræque tubæ sunt perviæ, & quidem exitu altero ad uteri cavitatem, altero ad abdominis cavum respiciunt, dum uterque angustior apparet, flaccescentibus illis, quam tubarum medium. Carolus Drelincurtius *de Concept. Conc. Perioch.* 4. *seq. pag.* 3. *seq.* inquit: quo ab utero remotiores & testiculis propinquiores sunt tubæ, eo ampliores sunt atque sinuosiores: & toto suo tractu non duntaxat pertusæ & ambagiosæ sunt, sed testiculos versum, coitus præsertim momento, patulæ sunt, seu fauces habent, quibus ceu proboscide vel œsophago semen exsorbent. Idem etiam Drelincurt. *de Concept. advers. p.* 59. ait: cæcas qui profert tubas esse, etsi Tiresia & Homero cæcior sit, contrectatione nihilo secius blanda & industria stilos in ipsas veterum more leniter intrusurus est. Antiquos tubas falso impervias credidisse, inquit Casparus Bartholinus *Specim. Histor. anat. cap.* 5. *p.* 83. Inflato uteri fundo per osculum internum tubæ quoque inflantur; flatus per tubarum extremitates egreditur, quæ utrinque foraminulentæ sunt, juxta Joh. Muralt. *Clav. Medicin. pag.* 422. Dicit etiam Regnerus de Graaf *l. a. pag.* 337. *seq.* tubas illas in extremitate sua coarctari, & non claudi: quia secundum ordinariam naturæ dispositionem notabilem semper coarctationem habent. Præter naturam vero aliquando omnino clauduntur, cujus rei exemplum quoddam refert *Tab.* 19. *Fig.* 3. quod infortunium iis accidisse credimus, qui illas semper clausas esse scripserunt. Hac

ratione

ratione etiam Fallopius, qui in institutionibus illas clausas scripsit in observationibus suis, postea melius edoctus errorem suum detexit, dicendo concidentibus fimbriis claudi illa foramina pervia: ita ut pervias esse tubas illas, omnino statuendum sit, quemadmodum clare patet, si per tubulum in tubarum principium immissum flatus versus extremitatem propellatur, quia per eam illico erumpit, quod in omni animalium genere a se dissecto semper evenire notavit Graafius. Juxta Mich. Ettmüller. *Oper. Tom.* 1. *f.* 162. tubæ neutiquam plane occluduntur, id quod per flatus aut liquoris immissionem demonstrari potest. In femina quadam Adamus Christianus Thebesius testes sive ovaria invenit inflammata, & ex parte cum utero paulisper ulcerata, ita ut per tubas Fallopianas utero compresso pus exiret, atque via ex tubis in uterum, & ex utero in tubas, valde patula esset. vid. *Ephemer. Acad. N. C. Cent. III. & IV. Obs.* 20. *p.* 276. Tubæ in non gravidis tam sunt perviæ semper, ut flatum & aquam per canaliculum admittant; in gravidis vero immane quantum, imprimis in conceptione tubali distenduntur, inquit Johannes Sig. Elsholtius *M. N. C. Dec. I. A.* 6. *&* 7. *Obs.* 196. *p.* 288. Johannes Riolanus *Anthropogr. Lib.* 2. *cap.* 35. *fol.* 184. corpus tubæ fistulosum appellat, & in hystericis virginibus testes pugno grandiores, seroso semine turgentes, quin etiam tubam uteri amplificatam & valde dilatatam deprehendisse affirmat. Imo tubas has non modo cavas esse, sed maxime dilatari posse, confirmat Stephanus Blancardus *Collect. med. phys. Cent.* 1. *Observ.* 14. *p.* 28. *seq.* referens, se in puerperæ utero introitum dextræ tubæ paulisper reperisse apertum, cui primo digitos unum post alterum demumque totam manum intrusisset, indeque ultra duas congrumati & aliquatenus indurati sanguinis libras extraxisset. Fridericus Ruyschius *in Observat. de Ovo in Uter. hum. repert.* tubas Fallopianas, quas oviductus vocant, nonnihil distentos & ex conceptione plene rubescentes deprehendit. v. *Biblioth. anat. Tom.* 1. *f.* 738. Porro harum tubarum cavitas seu perforatio exinde patet, quia

in

in coitu fœcundo, ſecundum pleroſque anatomicos, ſeminis maſculini pars ſpirituoſa, ſecundum nonnullos etiam ipſum ſemen materiale per easdem ad ovarium & ova penetrat, poſteaque ovula imprægnata per easdem ad uterum deſcendunt & prolabuntur, vel juxta Phil. Nenter. *Phyſiol. cap.* 2. *p.* 45. tubarum uſus eſt, ſemen ad ovarium, ovulum vero ad uteri cavitatem ferre; tubas eſſe inſignia admodumque conſpicua vaſa, & in uteri fundum manifeſto patere, aſſerit Johannes Sigism. Elsholtius *M. N. C. Dec. I. An.* 6. *&* 7. *Obſ.* 197. *p.* 290.

§. 9.

Tubæ clauſæ p. n. Interim etiam in his tubis quandoque in ſtatu præternaturali nullam cavitatem deprehendi, libenter concedimus, quale exemplum paulo ante ex Regnero de Graaf *Tab.* 19. *Fig.* 3. adduximus, exhibet autem dicta figura *p.* 356. oviductum inflatum, cujus extremitatem præternaturaliter clauſam oſtendit Graafius; & juxta obſervationem Sylvii Samuelis Anhornii in virgine ſexaginta quinque annorum, poſt varia ſymptomata obeunte tuba dextri lateris, nullam obtinens cavitatem aderat, cum teſticulo, in quo rudimenta aliqua ovulorum obſervabantur, vid. *M. N. C. Dec. II. An.* 6. *Obſ.* 34. *p.* 91. Fridericus Ruyſchius *Obſerv. anat. chir.* 83. *p.* 108. *ſeq.* tubas Fallopianas ſummopere extenſas atque in ſuis extremitatibus occæcatas depingit, hac addita obſervatione: Sterilitatis mulierum multæ inveniuntur cauſæ, inter quas tubarum Fallopianarum clauſura haud infima eſt habenda: Hanc modo circa inſertionem in uterum, alias in earum extremo obſervo. Si tot cadavera non ſecuiſſem, nunquam crediſſem, tubas Fallopianas ſeu oviductus tam frequenter in mulieribus eſſe clauſos, quod ſæpius a partu difficili (in quo non raro illæ partes levem inflammationem patiuntur) vel ab aliis ventris doloribus provenire, expertus ſum; & quod obſervatu dignum eſt, ſi in extremitatibus ſint clauſæ tubæ, utplurimum eas arcte cum ovariis coalitas inveni; quod magis experientiam noſtram, quoad cauſam, confirmat; videmus enim ſæpenume-

ro,

ro, viscera, postquam inflammationem conceperunt, ad se invicem contrahi & uniri. Præterea in hoc casu sæpissime tubas valde reperiri extensas, præsertim circa earum extremitates &c. Tales tubas quandoque in virginibus ætate provectioribus & anulis ita exsiccari, ut imperviæ fiant & obturentur, indeque sterilitatem causentur, statuit Theodorus Craan *Dissert. de Homin. cap.* 162. *p.* 711. In muliere hydropica uteri tubam dextram insigniter patuisse, sinistra existente clausa, ad Johannem de Muralto perscripsit Johannes Peyerus *Parerg. anat.* 7. *p.* 132. In pictoris cujusdam uxore Jobum a Meckren tubas Fallopii intus plane impervias vidisse, adeoque obturatas, ut ne minimus quidem fistulæ flatus illas transiret, refert Cornelius Stalpart van der Wiel *Obs. rar. Cent. poster. Obs.* 28. *Sch. p.* 303. *seq.*

§. 10.

Alii adhuc autores tubis equidem cavitatem seu perforationem concedunt, simul tamen ipsis valvulas adsignant, dubii adhuc, an aliquid per tubas feratur. Circa quas tamen valvulas autores inter se dissentiunt; dum quidam ipsis valvulas ita sitas adscribunt, ut nihil seminalis materiæ a testibus muliebribus seu ovariis ad uterum prolabi seu fluere possit; refertque Thomas Whartonus *Adenograph. Cap.* 33. *p.* 209. se in dissectione equæ gravidæ observasse, tubas Fallopianas plurimis valvulis toto earum ductu muniri, ne quid seminalis materiæ per easdem versus uterum aut in ejus cavitatem deferatur. Verum e cavitate uteri in tubas foramen stilum admittens cernebatur. Alii valvulas contrario situ positas & in utero contentorum in tubas ingressum impedientes describunt. Talem imprimis valvulam circa tubæ extremitatem angustam utero insertam reperiri scribit Johannes Sigismundus Elsholtius *M. N. C. Dec. I. An.* 6. *&* 7. *Obs.* 197. *p.* 290. inquiens: ex inflatione per canaliculum facta, si is in proboscidem intrudatur, exit ore insufflatus aer per extremum angustum, in ipsam uteri cavitatem. Quodsi aquam, lac aut coloratum similem liquorem ore contentum per canaliculum im-

An valvulæ in tubis?

pellas, pariter is transit, & quidem manifeste. Innotescit etiam ex ibidem appositæ insertionis figura, valvulam in uterum patere, sed retro neutiquam: admittit ea quidem tantisper stilum, sed non altius, quam ipsa extendi retro possit. Accipiendum equidem hoc erit etiam de liquoribus, quos frustra aliquis per valvulam sursum pellere (nisi violentia interveniente) tentaret; & quamvis extremitas C. satis angusta in cadavere appareat, in vivente tamen magis patere prorsus verosimile est. vid. etiam Andr. Ottomar. Gœlicke *Medic. Forens. Specim.* 1. *p.* 21. Alii has tubarum valvulas penitus negant, siquidem Johannes Conradus Peyerus *Epist. ad Johann. Muralt.* scribit: Valvulas in tubis sive hominum sive brutorum hactenus nunquam conspicari mihi licuit; adsunt bene anfractus quidam atque tortuosæ gyrationes, at valvularum vestigium nullum. vid. Joh. Muralt. *Clav. Medicin. Exercit.* 9. *p.* 410. Et Isbrandus de Diemerbroc *Anat. Lib.* 1. *cap.* 24. *fol.* 133. ait: nullas hic valvulas adesse præter inspectionem docet ratio, cum sola extremitatum coarctatio talis sit, ut hinc inde nullius rei transitum concedant, nisi in fervente libidine a copioso arteriosi sanguinis & spirituum affluxu dilatentur, sicque spirituosam seminis masculini partem ab utero ad testes & ova penetrare, & rursus hæc ova a testibus ad uterum permeare permittant. Johannes Fridericus Ortlob *Histor. Part. Dissert.* 36. §. 5. *p.* 283. valvulas, aliis dictas, esse plicas, inque œstro venereo explanari. Nonnulli adhuc autores in quibusdam tantum animalibus brutis has valvulas vidisse referunt, in hominibus vero negant. Casparus Bartholinus *de Ovar. Mulier. p.* 34. inquit: binas tales valvulas in quolibet uteri cornu in cuniculo certo experimento comprobare facile est, quas omni vi adactus flatus superare non potest, nec aqua ex utero penetrare per siphonem injecta, quamvis contraria via ad uterum per totum cornuum ductum nullo negotio perveniat. An vero secundum Thomam Whartonum in gravidis equis sese ita habeat, necdum examinare se potuisse scribit Regnerus de Graaf *l. a. p.* 328. in gravidis vero vaccis, ovibus

bus & feminis non prægnantibus eas nunquam obſervavit; ita ut ſi per folles flatus in uteri capacitatem immittatur, ſtatim tubæ (niſi pituita aut quid præter naturam earum orificia ſeu cavitatem claudat) intumeſcant, ac flatus per earum extremitatem erumpat. Hinc forſan, pergit idem autor, ratio peti poſſet, cur equa, vacca, & alia quædam feminei ſexus animalia longe minus in aqua ſubſiſtere poſſint & citius ſubmergantur, quam caballi, tauri aliique; hos enim ab anteriori, illas vero a poſteriori parte citius ſubmergi nobis ruſtici aliquoties fidem fecerunt; quatenus ſcilicet aqua per uterum ejusque tubas in abdominis capacitatem delabitur, in eaque viſcera refrigerando mortem accelerat &c.

§. 11.

Quamvis autem plerique recentium anatomicorum dictis tubis cavitatem atque ovulorum in ovario fœcundatorum ad uterum deſcenſum per easdem fieri concedant, nihilominus tamen iſta cavitas, uti jam dictum, non eandem habet amplitudinem, ſed uti tuba bellica altera extremitate latior eſt, altera anguſtior: ita etiam in tuba anatomica ſeu muliebri altera extremitas, ovulum ex ovario excipiens, longe amplior eſt illa, quæ uteri fundo inſeritur atque ovulo introitum in uteri cavitatem concedit; quo loco magna anguſtia occurrit, per quam tamen tenuior ſtilus facillime transmitti poteſt. Quamvis etiam dicta anguſtia quaſi occluſa atque compreſſa in ſectionibus videatur, eo tamen momento, quo ovulum, ex ovario a tuba exceptum, ingreſſum in uterum affectat pariter, uti orificium uteri internum, ante partum occluſum, appropinquante partus tempore fœtusque excluſione, eundem integrum transmittit, ſufficienter reſeratur atque ampliatur; poſt ingreſſum vero ovuli in uterum, hæc tubæ extremitas ita rurſus connivet, ut ovulum ſeu conceptus, ſub ovi ſpecie ingreſſus, in ſtatu naturali per hanc portam ex utero in tubam regredi nequeat.

non habent eandem amplitudinem.

§. 12.

Per tubas lochia. Quandoque etiam lochia atque menſes & alios humores heterogeneos præternaturaliter per tubas Fallopianas in abdominis cavitatem erumpere, veroſimile videtur Friderico Ruyſchio *Obſerv.* 84. *ſeq. p.* 109. *ſeq.* qui in puerperæ acriter febricitantis & de hypogaſtrii tenſione ac induratione, non ſine immani dolore, conquerentis poſt mortem aperto abdomine invenit in pelvi multum materiæ fœtidæ, loturæ carnis aut lochiorum corruptorum ad exemplum, qualis etiam ab ipſo reperta eſt in uteri cavitate. Hoc ſuſpicandi anſam ipſi auxit, dictum humorem per oviductus aut tubas Fallopianas perveniſſe ad abdominis cavitatem & pelvim, & hoc puerperis pluries contingere, ſi pariendi conatus & dolores ſint vehementisſimi, & os uteri ita clauſum ſit, ut per idem lochia exitum invenire haud valeant; imo etiam in ipſo partu laborioſisſimo, fœtus capite dictam viam in totum occludente, humoribusque pone fœtum aliam ſibi viam quærere non valentibus. *Sanguis.* Obſervatione ſequenti *pag.* 110. non dubitat dictus autor, ſanguinem quoque extra ſtatum partus, ex uteri cavitate, per dictos ductus, ore uteri clauſo, ad pelvim pervenire non poſſe; imo rem probabilem in medium profert: Menſtruatæ ſcilicet olim aperuit cadaver Roonhuſius, chirurgus dexterrimus, in cujus uteri cavitate coagulum & utero leviter adhærentem obſervavit cruorem, quo tuba ejusdem lateris quoque non ſolum erat conſperſa, verum etiam ovarium, in cujus ſuperficie coagulatus copioſe firmiterque adhærebat. vide etiam ejusdem *Muſei anatom. p.* 33. item *Obſ.* 43. *p.* 57. *ſeq.* in puerperæ cadavere os uteri internum hians & pelvim humoribus repletam reperiſſe; imo pelvim pintas fere duas humoris, non ſine magno fœtore, continuiſſe ſcribit, talesque humores ex utero per tubas aut oviductus ad pelvim propulſos fuiſſe, facile credit, opinans, in difficillimo partu caput aut clunes infantis vaginam uteri non raro ita occludere poſſe,

ut

ut ne gutta quidem amplius utero exire valeat: atque in tali caſu non videt, quid poſſit eſſe obſtaculo, quo minus humores in utero contenti conatibus, aut partus doloribus vehementiſſimis, per tubas Fallopianas ad pelvis cavitatem deriventur, eo magis, quod nullæ in dictis tubis reperiantur valvulæ. Interdum etiam ex ovariis ſuppuratis materia purulenta per tubas dictas ad uterum profluit, quale exemplum in Hiſtor. Academ. Reg. Scientiar. Pariſ. *An.* 1699. *p.* 276. *ſeq.* a medico Turonenſi annotatum legimus. Scilicet in ſororis cujusdam charitatis, poſt lapſum in caput atque dehinc exortum delirium, exanimatæ abdomine ovarium dextrum pugni erat magnitudine, ſiniſtrum mole & figura ovum gallinæ maximum repræſentabat. Dextro a chirurgo aperto multum puris liquidi inodori prodiit, reſtante maſſa inſtar magni glomi capillorum cum ſebi ſpecie ſubacti. Introitus tubæ includebatur atque immittebatur ovario dilatato, & tantum non deſtructus erat materia purulenta, tuba vero ipſa nihil amplius erat, niſi fiſtulæ ſpecies, per quam pus ſeroſum ovarii in uterum profluebat; atque hinc in vaginam. *Materia purulenta.*

§. 13.

Hydatides & hydrops uti ſecundum hactenus recenſita non modo in utero & ovariis ſæpius occurrunt, ita etiam in tubis quandoque deteguntur, ſicuti in ovariis & tubarum fimbriis obſervavit atque depinxit Fridericus Ruyſchius *Obſ.* 83. *p.* 109. In foliaceo tubarum ornamento quandoque hydatides excreſcere ſcribit Regnerus de Graaf de *Mul. organ. cap.* 14. *oper. p. m.* 337. ubi etiam ſingulis earum extremitatibus adhærentes calculos duriſſimos vidiſſe addit. In noſodochio Leidenſi anno 1665. femina ſecabatur gravida, a cujus ligamento uteri lato ejusque laciniato margine pendebant veſiculæ quædam ex vinculis rotundulis & vel digitum longis, ex hiſce aliæ piſum, aliæ fabam magnitudine æquabant, figura pyro propiores; juraſſes primo aſpectu ovula eſſe cortice calloſo ſpoliata: verum præter quatuor hydatides pendulas, inque cavo ventris fluctuantes aliæ *Hydatides & hydrops.*

quoque reperiebantur plano ligamenti lati adstrictæ, non ita longe ab ovario, teste Johanne Nicolao Pechlino *Observ. med. phys. Lib.* 1. *Obs.* 19. *p.* 45. *seq.* ubi dictus Autor ita pergit: utrum hæ vesiculæ ab ovulis, nescio, quo fato, sede sua extrusis & velut ὑπηνεμίοις, hinc etiam pedunculo, qui repræsentet Aristotelis ςύλον ὀμφαλώδη, nimia humiditate laxato debeantur, an a lymphaticorum vasorum valvulosa obstructione, quæ ipsa copiose omnem apparatum spermaticum inequitant, & hinc nata extensione ligamentosa & ampullata oriantur, aliorum arbitrium esto. Figuram autem vivo exemplari æquatam adjecit. Lectu digna est etiam observatio Caroli Sponii ad Johannem Jacobum Harderum *Apiar. Obs.* 88. *p.* 329. *seq.* scripta de femina, e cujus ventre aperto tanta liquoris, nullo penitus fœtore præditi, copia incredibili quodam impetu prorupit, ut collectim sumta quantitas ad libras præter propter centum & quadraginta adscenderet. Hoc liquore evacuato protinus in conspectum se exhibuit membrana validissima utriformis, quam, quia a tuba uteri sinistra, cum qua continuitatem manifeste habebat, separari non poterat, & ob alias rationes Sponius nihil aliud esse conjectatur, quam tubæ illius dilatationem, cujus tubæ extremitas fimbriata testiculum vel ovarium sinistrum amplexans ac obvelans, initio quidem hydatidum quarundam iis in partibus non infrequentium ναυσιώσιας excepit, quas ipsas hydatidas nihil aliud esse, quam vasorum lymphaticorum dilatationes, credibile est. Testiculus porro sinister sive ovarium mole sua æquabat majusculum gallinæ ovum, in quo hydatides numerosæ satis insignes probe distinctæ apparebant, in unum veluti globum coactæ, sed varia materia refertæ, aliæ quidem liquore lymphatico limpido & glutinoso, aliæ magis concocto & albidiore. Testiculus vero totus tubæ uterinæ tunica vestiebatur, quæ ipsum superius plane amiciebat & continebat &c. Idem Sponius etiam *l. a. p.* 333. *Historiæ anatomicæ* de duplici utre, ex utraque tubarum uterinarum prognato, mentionem facit. In Catalina Bonevallia utrumque

uteri

uteri cornu continuit novem circiter aquæ purisque libras, inclusas innumeris vesicis, quarum aliquas etiam ostendebat extima uteri tunica, uti paulo ante ex Nicolao Tulpio *Obs. med. Lib.* 4. *cap.* 44. *p.* 369. *seq.* recensuimus. In cane hydatidem ad magnitudinem ovi gallinacei & alias sæpe circa alas vespertilionum & tubos cæcos Fallopianos se invenisse scribit Theodorus Kerckringius *Spicileg. anat. Obs.* 10. *p.* 28. Hydropis dextræ tubæ uteri, paracenthesi curati, meminit Johannes Henricus Brechfeld in Thom. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. I. Obs.* 103. *p.* 194. Ex dextra uteri tuba prodeuntem saccum membranaceum & quadraginta circiter mensuras capientem, urinoso liquore ultra dimidium ejus repletum, in femina hydropica annotavit Georgius Abrahamus Merklinus. *v. M. N. C. Dec. II. An.* 1. *Obs.* 183. *p.* 425. *seq.* Johannes Munnicks Professor Ultrajectinus anno 1678. Disputationem publice ventilandam proposuit, in qua narrat, virginis alicujus tubam uterinam tam late extensam fuisse, ut centum & duodecim aquæ libras contineret, vid. Joh. Muys *Prax. Med. Chirurg. Decad.* 2. *Obs.* 9. *p.* 90. E dextra hujus virginis tuba tantam aquæ quantitatem post mortem fuisse eductam refert Cornelius Stalp. van der Wiel *Obs. rar. Cent. post. Schol. p.* 294. Eandem historiam hydropis particularis, intra tubas uteri formati, a Johanne Mey Ultrajecti eodem anno propugnatam cum icone recenset etiam Nicolaus Blegny *Zodiac. Med. Gall. An.* 1. *Mens. Jan. Obs.* 9. *p. m.* 102. item Johannes de Muralto *M. N. C. Dec. II. An.* 2. *Obs.* 95. *p.* 233. *seq.* Totum dictæ virginis Corneliæ Nicolai corpus admodum emaciatum apparuit, abdomen autem adeo tumidum, ut vix cæteræ partes in conspectum venirent. Aperto abdomine nulla aqua effluxit, sed omnis continebatur in dextra uteri tuba, & quidem solummodo in ejus parte juxta testiculum, nec non in ligamento lato, eaque ab aquarum copia ita erat dilatata, ut inflicto parvo vulnusculo centum & duodecim libræ effluxerint. Ex Illustrissimæ Comitis de Nieupert, quæ ex ventris intumescentia ad decimum usque circiter mensem spem veræ graviditatis animo

mo conceperat, utero post potiones aperientes insignis aquarum copia effusa est, quæ verisimiliter ex tuba uterina, in qua hydrops particularis excitatus fuerat, prodiit, non absimilis illi, quam passa est mulier Ultrajectina, quod ipsi valetudinem attulit, quam nulla ars medica conciliare valuit, juxta Chirurgi Mottei observationem v. Nicol. Blegn. *Zodiac. An.* 2. *Februar. Obs.* 12. *p.* 48. Quandoque in his tubis fœtus reperiuntur, tubarii dicti, de quibus alibi dicemus.

§. 14.

Fimbriarum defectus.

Aliquoties hactenus circa tubas Fallopianas fimbriarum meminimus, quarum usus est ovulum ex ovariis excipere. Tales autem fimbrias quandoque præter naturam penitus abesse observavit autor Gallicus, nomine Bonpart, & quidem in sectione puellæ septem annorum, quæ ovarium equidem habebat in sinistro latere, sed infœcundum, vena & arteria spermatica non præsentibus. Præterea tuba ejusdem lateris fimbriis destituebatur, quod alterum erat principium sterilitatis in latere sinistro. v. Histor. Acad. Reg. Scientiar. *An.* 1700. *p.* 274.



SYL-

SYLLABUS AUTORUM.

A.

ACademiæ Regiæ ſcientiarum Pariſienſis hiſtoria, 8. Lipſ. 1699.
Acta Eruditorum Lipſienſium, 4. Lipſ. 1682. ſeq.
Hafnienſia, Thomæ Bartholini, 4. Hafn. 1673. ſeq.
Medicorum Berolinenſium, 8. Berolin. ab An. 1717. ſq.
Philoſophia Anglicana, 4. Lipſ. 1674.
Aeliani, Claud. Opera, fol. Tiguri.
Aëtii opera, fol. Baſil. 1535.
Alberti, Michael. introductio in univerſam medicinam, 4. Halæ 1718.
Jurisprudentia medica, 4. Halæ 1725.
Albucaſis.
Aloyſia Sigæa Toletana, 12.
Amati, Luſitani, curationes medicæ, fol.
Ammanni, Pauli, praxis vulnerum lethalium, 8. Lipſ. 1690.
Irenicum Numæ Pompilii, 8. Lipſ. 1689.
Apicius Cælius, aliis Cœlius Apicius, de obſoniis & condimentis, 8. Amſtelodami 1709.
Ariſtotelis opera, fol. Baſil. 1542.
Avicennæ, Liber Canonis, fol. Venet. 1544.
Aurelianus, Cælius, de morbis acutis, 4. Amſtelod. 1709.
Axtius, Joh. Conradus, de partu ſeptimeſtri, 12. Jen. 1679.

B.

Bartholinus, Caſparus, de ovariis mulierum, 8. Traject. 1683.
Specimen hiſtoriæ anatomicæ, 4. Hafn. 1701.
Bartholini, Thomæ, Anatomia, 8. Lugdun. 1673.
Hiſtoriæ anatomicæ, 8. Hagæ & Hafniæ 1657. 1659.
Acta Hafnienſia, 4. Hafn. 1673. ſq.
Ciſta medica, 8. Hafn. 1682.
Epiſtolæ medicæ, 8. Hafn. 1662.

Bartholini, Thomæ, de Luce hominum & brutorum, 8. Francof. 1669.
de insolitis partus viis, 8. Hafn. 1664.
Epistola ad Blasium.
Bauhini, Caspari, theatrum anatomicum, 4. Basil. 1621.
de Hermaphroditis, 8. Oppenh. 1614.
Additamenta ad Rossetum, 8.
Bayle, Thomæ, dissertationes medicæ, 12. Hagæ 1678.
Bellefontaine, Louis, de la medecine dogmatique mechanique, 8. a Amsterdam 1712.
Bellonii, Petri, observationes medicæ vid. Clusii exotica, fol. Rapheleng. 1605.
Benivenius, Antonius, de abditis morborum causis. vid. Rembert. Dodonæi obs. 8. Colon. 1581.
Berengarii Isagoge, 4. Bonon.
Beringeri, Joh. Barth. Adami institutiones medicæ, 8. Hermipol. 1708.
Beverovicii, Johann. Quæstiones epistolicæ, 8. Roterod. 1665.
Bibliotheca anatomica Mangetti & Clerc, fol. Genev. 1688.
Bidloo, Gottfr. Anatomia, fol. Amsterd. 1685.
Bierlingii, Casp. Theoph. Adversaria, 4. Jenæ 1679.
Thesaurus theoretico-practicus, 1690.
Binningeri, Joh. Nicol. Observationes medicæ, 8. Montbelg. 1673.
Blancardi, Stephan. Lexicon medicum, 8. Lugd. 1699.
Anatomia reformata, 8. Lugdun. 1682.
Opera medico-theoretico-practica, 4. Lugd. 1702.
Collectanea medico-physica, 8. Leipzig 1690.
Blasii, Gerardi, Zootomia seu anatome variorum animalium, 4. Amstelodam. 1674.
Annotationes seu commentarii in Veslingii syntagma anatomicum.
Observata anatomica, 8. Lugdun. 1674.
Observationes medicæ, 8. Amstelod. 1674.

Blegny,

Blegny, Nicolai, Zodiacus medico-gallicus, 4. Genev. 1680.
Bodinus, Joh. de magorum dæmonomania, 4. Basil. 1581.
Bohnii, Joh. Medicina forensis, Dissert. I. II. III. 4. Lipf. 1711.
Circulus anatomico-physiologicus, 4. Lipf. 1686.
Bollmannus, Joh. Henr. de febribus intermittentibus, 4. Marb. 1695.
Bonaciolus, Lud. de fœtus formatione, 12. v. Sev. Pinæus de Virg.
Boneti, Theoph. medicina septentrionalis, fol. Genev. 1686.
Mercurius compitalicius, fol. Genev. 1683.
Polyalthes, fol. Genev. 1691.
Borelli, Petr. observationes, 8. Francof. Lipf. 1676.
Bourdon, Ami, Nouvelle description anatomique, 12. Paris 1687.
Bourgeois, Louyse, Hebammen-Buch, 4. Oppenheim 1619.
Boyle, Robert. de utilitate philosophiæ experimentalis, 4. Lindav. 1672.
Bravo de Sobremonte, Casp. consultationes, 4. Coloniæ 1671.
Brendelii, Adami, observationes anatomicæ, 4. Witteb. 1726.
Broen, Joh. opera medico-theoretica, 4. Lugdun. 1694.

C.

Cælii, Ludov. Rhodig. lectiones antiquæ, fol. Basil. 1550.
Calceolarii, Franc. Museum, fol. Veron. 1622.
Camerarii, Eliæ, dissertationes epistolico-physico-medicæ, 8. Tubing. 1712.
Case, Joh. compendium anatomicum, 12. Amsterd. 1696.
a Castro, Roder. de natura & morbis mulierum, 4. Colon. 1689.
Catullus.
Chardin Persianische und Indianische Reise, 4. Leipzig 1657.
Charleton, Gualth. de catameniis &c. 12. Lugd. 1686.
Clusii, Caroli, exotica, fol. Antwerp. 1605.
Cœlius Apicius de obsoniis & condimentis, 8. Amstelod. 1709.
Columbus, Realdus, de Re anatomica, 8. Francof. 1593.
Cosmopolitæ historia naturalis, 12. Lugd. 1686.
Craan, Theod. de homine, 4. Lugdun. 1689.
Crusius, Christoph. de tortura, fol.

D.

Deventer, Henrici a, operationes chirurgicæ ſeu de arte obſtetricaria, 4. Lugd. 1701.
Deuſingius, Anton. de Fœtu Muſſipontano. vid. Joh. Bened. Sinibaldi Geneanthropœia.
Diemerbroc, Isbrandi de, anatome corporis humani, fol. Lugdun. 1679.
Dionis, Petri, anatomia corporis humani, 8. Genev. 1696.
Cours d'operations de chirurgie, 8. a Bruxelles 1707.
Diverſus, Petr. Salius, de febre peſtilenti, 8. Harderov. 1656.
Dodonæi, Remberti, obſervationes medicinales, 8. Colon. 1581.
Dolæi, Joh. Encyclopædia chirurgica, 4. Francof. 1689.
Donatus, Marcellus, de hiſtoria medica mirabili, 8. Francof. 1613.
Drelincurtii, Caroli, experimenta anatomica, 12. Lugd. 1684.
de conceptione conceptus, 12. Lugd. 1685.
de conceptione adverſaria, 12. Lugd. 1686.
de humani fœtus membranis, 12. Lugd. 1685.
de utero, 12. Lugd.

E.

Eiſenmenger, Joh. Chriſtoph. de Fœtu Muſſipontano. vid. Sinibald. Geneanthrop.
Elsholz, Joh. Sig. Anthropometria, 8. Francof. 1663.
de conceptione tubaria, 4. Lipſiæ 1676.
Ephemerides Academiæ Nat. Curioſ. 4.
Erndl, Chriſt. Henr. de itinere ſuo Anglicano & Batavo, 8. 1710.
Ettmüller, Erneſti Michael. Epiſtola de ovario, 4.
Michaelis opera, fol. Francof. 1695.

F.

Fabricii, Guilh. Hild. Opera omnia, fol. Francof. 1646.
Fabricii, Hieron. ab Aquapend. Opera anat. & phyſiolog. fol. Lipſ. 1687.
Fallopii, Gabrielis, Opera omnia, fol. Francof. 1600.
Fernelii, Joh. medicina cum notis Heurnii, 4. Traject. 1656.

Fide-

Fidelis, Fortunat. de Relationibus medicorum, 8. Lipſ. 1674.
Fiſcheri, Lævini, Corpus medicinæ imperiale, 8. Herbipol. 1680.
Fonſeca, Roderic. a, Conſultationes medicæ, 8. Francof. 1628.
Fontanus, Nicol. de Morbis mulierum, 12. Amſtel. 1644.
a Fonte, Lælii, conſultationes, 8. Francof. 1609.
Foreſti, Petri, Obſervationes medicinales, fol. Francof. 1602.
Franci, Georg. a Frankenau, Satyræ medicæ, 8. Lipſ. 1722.

G.

Galeni, Opera, fol. Venet. 1562. ſeq.
Garmannus, Chr. Frid. de Miraculis Mortuorum, 4. Dresd. 1709.
Gaſſeri, Achill. Obſervationes vid. Velſch. Syllog. Curationum. Epiſtolæ, 8. Roſtoch. Lipſ. 1715.
Gehema, Jan. Abrah. a, Obſervationes Chirurgicæ, 12.
Geuderus, Melch. de Fermentatione, 8. Amſterd. 1689.
Gockelius, Eberh. vom Beſchreyen, 8. Franckf. Leipz. 1699.
Gœlike, Andr. Ottomari, Medicina Forenſis, 4. Francof. 1623.
Graaf, Regneri de, Opera omnia, Lugdun. 1677.
Grülingii, Philippi, medicina practica, 4. Lipſ. 1673.

H.

Hagendornii, Ehrenfr. Hiſtoriæ medico-phyſicæ, 8. Rudolphſt. 1690.
Harderi, Joh. Jacob. Apiarium ſ. Obſervationes. 4. Baſil. 1687.
Harveus, Guilielm. de Generatione animalium, 12. Hagæ 1680.
Hederici, Benjam. Lexicum manuale Græcum, 8. Lipſiæ 1722.
Heer, Henrici ab, Obſervationes medicæ, 12. Lugd. 1685.
Heiſteri, Laurent. Compendium anatomicum, 8. Altdorf. 1718.
Oratio de Incrementis Anatomiæ, 8. Wolffenb. 1720.
Chirurgiſchen Obſervationes, 4. Nürnb. 1719.
Helwigii, Joh. Obſervationes phyſico-medicæ, 4. Auguſt. 1680.
Herfeld, H. G. de Origine morborum, 8. Amſterd. 1706.
Heurnii, Othonis, Obſervationes vid. in Fernelii Operib. med. Edit.
Hippocratis Opera, Foeſii, fol. Baſil. 1536.

Highmori, Nathan. disquisitio anatomica Corporis humani, fol. Hag. 1651.

Historia Academiæ regiæ scientiarum Parisiensis, 8. Lipſ. 1715.

Morborum Vratislaviensium, 1702. 4. Lipſ. 1710.

Hœchstetteri, Philip. Observationes medicinales, Francof. Lipſ. 1674.

Hoffmanni, Daniel. Annotationes in Hypotheses Goveyanas, 8. Francof. 1719.

Conr. Phil. de Puerperii temporibus, 4. Regiomont. 1723.

Frid. Clavis Schrœder. 4. Halæ 1681.

Fundamenta medicinæ, 8. Halæ 1695.

Joh. Mauric. Idea Machinæ humanæ anatomico-physiologica, 4. Altdorf. 1703.

Disquisitio Corporis humani anatomico-pathologica, 4. Altdorf. 1713.

Horne, Johann. van, Opera anatomico-chirurgica cum annotationibus Joh. Guil. Pauli, 8. Lipſ. 1707.

Epistola de Genitalibus, ibid.

Horstii, Gregor. Opera medica omnia, fol. Noriberg. 1660.

I.

Jonstoni, Joh. Idea universæ medicinæ practicæ, 8. Francof. 1664.

Thavmatographia naturalis, 12. Antverp. 1633.

Journal des Sçavans, 12.

K.

Kerckringii, Theodor. Spicilegium anatomicum, 4. Amstelod. 1670.

Kœnigii, Emanuel. Regnum animale, 4. Basil. 1698.

Kornmannus, Henric. de Virginitate, 12. Francof. 1629.

Kyperi, Alberti, Anthropologia, 4. Lugduni 1660.

L.

Lamzweerde, Joh. Baptistæ a, Appendix ad Sculteti Armamentarium, 8. Amsterd. 1671.

Lan-

Langii, Joh. Epiſtolæ medicinales, 8. Hanov. 1605.
Laurentii, Andreæ Hiſtoria anatomica, in fol. Francof. 1600.
Lentilii, Roſini, Miſcellanea medico-practica, 4. Ulmæ 1698.
Iatromnemata theoretico-practica, 8. Stutgardi 1711.
Licetus, Editio Gallica, 4. a Leyd. 1708.
Lindenii, Joh. Antonii, Meletemata medicinæ, 4. Francof. 1622.
Lipſius, Juſt. in Senecam, fol.
Liſter, Martinus, de Humoribus, 4. Amſterd. 1711.
Lotichii, Joh. Petr. Commentarius in Petronii Arbitri Satyricon, 4. Francof. 1629.

M.

Manardi, Johann. Epiſtolæ medicinales, 8. Lutet. 1525. it. fol. Baſil. 1525.
de Marchettis, Dominici, Anatomia, 12. Patav. 1656.
Petri, Obſervationes medico-chirurgicæ, 8. Patav. 1675.
Martialis.
Mauriceau, François, Obſervations ſur la Groſſeſſe des femmes, 4. Paris 1695.
Hebammen-Buch, 8. Nürnberg 1687.
Meekren, Job. a, Obſervationes medico-chirurgicæ, 8. Amſterd. 1682.
Mercurialis Hieron. Medicina practica, fol. Franc. 1601.
de Morbis mulierum in Spacchii Gynæceo.
di Mercurio, Scipione, la Commare Oricioglitrice, 8. in Milano 1618.
Michaelis, Johann. Opera medica, 4. Norimb. 1688.
Miſcellanea Naturæ Curioſorum, 8.
Mœbii, Godofr. Phyſiologia, 4. Jenæ 1661.
Mollerus, Jacob. de Cornutis & Hermaphroditis, 8. Berolini 1708.
Moquet, Jan, Reiſe-Beſchreibung in Aſia, Africa, 4. Lüneb.
Morton, Richard. Opera medica, 8. Amſtel. 1696.
Müllerus, Petrus, de Jure Prægnantium, 4. Jenæ 1686.

Mun-

Munnicks, Joh. Anatomia nova, 8. Lugdun. 1699.
Muralt, Joh. de, Vade mecum ſ. Clavis medicinæ, 12. Tiguri 1672.
Collegium anatomicum, 8. Norimb. 1697.
Chirurgiſche Schrifften, 8. Baſel 1691.
Muſeum Calceolarianum Veronenſe, fol. Veronæ.
Muys, Johann. Praxis medico-chirurgicæ Decades XII. 12. Amſtelod. 1695.

N.

Nenteri, Georg. Phil. Phyſiologia medica, 8. Argentor. 1714.
Nitzchii, Frid. Ephemerides Eruditorum, 8. Lipſ. Francof. 1671.
Nuckii, Anton. Adenographia & uteri Anatome, 8. Lugd. 1692.

O.

Obſequentis, Julii, Prodigiorum Liber, 8. Baſil. 1552.
Oldenburgii, Henr. Acta philoſophica Anglicana, 4. Lipſ. 1674.
Ortlobii, Joh. Frid. Hiſtoria partium ſeu Phyſiologia, 4. Lipſ. 1697.

P.

Pæonis & Pythagoræ Exercitationes, 8. Baſil. 1682.
Palfyn, Jean, de la Deſcription anatomique des parties de la femme, 4. a Leide 1708.
Panaroli, Dominici, Iatroboliſmus ſeu Obſervationes medicinales, 4. Hanov. 1654.
Pancirollus, Guid. de Rebus deperditis ſeu memorabilibus, Francof. 1660.
Paræi, Ambroſ. Opera, fol. Francof. 1610.
Pauli, Simon. de Febribus malignis, 4. Argent. 1678.
Quadripartitum botanicum, 4. Argent. 1666.
Pauli, Joh. Guglielm. Annotationes in Joh. van Horne Opera.
Paullini, Chriſt. Franc. Lycographia, 8. Francof. 1694.
de Candore, 8. Fran. & Lipſ. 1703.
Philoſophiſche Luſt-Stunden, 8. 1706.
Obſervationes medico-phyſicæ, 8. Lipſ. 1706.
Pechlini, Joh. Nic. Obſervationes Phyſico-Medicæ, 4. Hamb. 1698.

Peter-

Petermanni, Andr. Casus medico-legales, 8. Leipzig 1708.
Benj. Bened. observationes medicæ, 8. Lips. 1707.
Peyeri, Joh. Conr. Merycologia seu de Ruminatione, 4. Basil. 1685.
Exercitationes. vid. Pæonis & Pythagoræ.
Parerga anatomica & medica, 8. Amst. 1682.
Epistola ad Muraltum v. Peyeri Parerga.
Pierii, Joh. Hieroglyphica, 4. Francof. 1678.
Pinæus, J. Severinus, de virginitate, 12. Amstelod. 1663.
Pisonis, Caroli, observationes & consilia de morbis serosis, 8. Lugdun. 1650.
Plateri, Felic. observationes, 8. Basil. 1641.
praxis medica, 4. Basil. 1621.
de corporis humani structura & usu, fol. Basil. 1583.
Plautus.
Plazzonus, Franc. de partibus generationi inservientibus, 12. Lugdun. 1644.
Plempii, Vopisci Fortunati, fundamenta medicinæ, fol. Lovan. 1644.
Plinii, historia mundi, fol. Basil. 1554.
Porta, Casp. medicina brevis, 8. Lugd. Batav. 1688.
Joh. Bapt. magia naturalis, 12. Amsterd. 1664.

R.

Rango, Conrad. Tiberius, de Capillamentis, 12. Magdeb. 1663.
Reies, Casp. a, Campus Elysius jucundarum quæstionum, 4. Francof. 1670.
Rhodii, Joh. Mantissa anatomica, v. Th. Bartholini histor. anat. Cent. V. & VI.
observationes, vid. Petri Borelli observationes.
Rhyne, Wilhelm ten, de promontorio bonæ spei seu de Hottentottis, 8. Scafusi 1686.
Riedlini, Viti, observationes, 12. August. 1682.
Lineæ medicæ, 8. August. 1705.

Riolani, Joh. opuſcula phyſiologica, 8. Pariſ. 1602.
anatomica nova, 4. Londin. 1649.
Enchiridion anatomicum & pathologicum, 8. Lipſiæ 1674.
Anthropographia ſeu opera anatomica, fol. Lutet. 1649.
Riverii obſervationes medicæ, 8. Hagæ, Delphis 1651. Hagæ 1656.
Rolfincius, Guern. de partibus generationi inſervientibus, 8. Jenæ 1679.
Ronſſæi, Bald. Venatio medica, vid. opuſcula, 8. Lugd. 1618.
Roonhuyſen obſervationes oder Heyl-Curen, 8. Nürnb. 1674.
Roſſetus, Franciſc. de partu cæſareo, 8. Francof. 1601.
Rulandi, Martini, curationes empyricæ, 8. Rotheburg. 1650.
Ruyſchii, Frider. obſervationes anatomico-chirurgicæ, 4. Amſtelod. 1691.
Catalogus rariorum.
Theſaurus IV. 4. Amſtelod. 1701. ſeq.
de ovario novo, 4.

S.

Sachſius, Philippus Jacob, de miranda lapidum natura. vid. Joh. Dan. Majoris diſſertatio de cancris & ſerpentibus petrefactis, 8.
Saxonia, Hercules.
Salmuth, Philip. obſervationes medicæ, 4. Brunſvigæ 1648.
Henrici, commentarii in Guidonis Pancirolli memorabilia, 4.
Salzmanni, Joh. Rudolph. anatomica, 12. Amſterd. 1669.
Sandris, Jacob de, de ſanguinis ſtatu, 8. Francof. 1712.
Sanden, Henr. von, obſervatio de prolapſu uteri inverſi, 4. Regiom. 1722.
Scapulæ, Joh. lexicon Græcum, fol. Baſil. 1600.
Schelhammerus, Günth. Chriſt. de natura, 4. Helmſtad. 1690.
Schenckii, Joh. obſervationes medicæ, fol. Francof. 1665.

Schra-

Schraderi, Justi, observationes & historiæ, 12. Amstelod. 1674.
Schurigii, Mart. Chylologia, 4. Dresdæ 1725.
Spermatologia, 4. Francof. 1720.
Scriptura sacra.
Sculteti, Job. armamentarium chirurgicum, 4. Francof. 1666.
Seneca.
Sennerti, Daniel. practica medicina, 4. Witteberg. 1654.
Septalius, Ludov. de nævis, 8. Dordrect. 1650.
Severini, Marc. Aurel. de efficaci medicina, fol. Francof. 1646.
Simon, Joh. Georg. de impotentia conjugali, 4. Jenæ 1718.
Sinibaldi, Joh. Bened. Geneanthropœia seu de generatione hominis, 4. Francof. 1669.
Solingen, Cornelis, Manuale operation der chirurgie, 4. Amsterd. 1684.
Wund-Artzney, 4. Franckf. 1693.
Solenandri Reiner. consilia medica, fol. Hanoviæ 1605.
Spachii, Israelis, Gynæciorum libri, fol. Argentor. 1597.
Spigelii, Adriani, corporis humani fabrica, 4.
Stalpart, Cornelius van der Wiel, observationes rationes, 8. Lugdun. 1687.
Stockhameri, Franc. Microcosmographia, 12. Viennæ 1682.
Swammerdamii, Joh. miraculum naturæ sive de utero. v. biblioth. anatom. fol.
Sylvii, Francisc. opera medica, 4. Amstel. 1680. it. fol. Avenione.

T.

Taubmannus in Martialem.
Tauvry, Dan. anatomia illustrata, 8. Ulm. 1694.
Teichmeyeri, Herm. Frid. institutiones medicinæ legales vel forenses, 4. Jenæ 1727.
Tentre, Margared, instruction des sages femmes, 12. a Paris 1677.
Thuanus.
Thevenot Reisen in Europa, Asia und Africa, 4. Franckf. 1693.
Timæus a Güldenklee, Bald. opera medico-practica, 4. Lips. 1677.

Torreblanca, Franc. de magia, 4. Lugdun. 1678.
Tulpii, Nicol. obſervationes medicæ, 8. Amſtelod. 1652.

U. & V.


Ulmi, Marc. Ant. Phyſiologia barbæ, fol. Bonon. 1603.
Valentini, Mich. Bernh. Polychreſta exotica, 4. Francof. 1700.
Praxis chirurgiæ, 4. Francof. 1715.
Pandectæ medico-legales, 4. Francof. 1701.
Valleſii, Franc. Philoſophia ſacra, 8. Francof. 1608.
Valleriolæ, Franc. obſervationes medicinales. 8. 1588.
Varandæi, Joh. opera omnia, fol. Lugdun. 1658.
Varro de re ruſtica.
Vateri, Chriſt. phyſiologia experimentalis, 4. Wittenb. 1701.
Vega, Chriſtoph. de arte medendi opera, fol. Lugdun. 1557.
Velſchii, Georg. Hier. Sylloge curationum Epiſagmata, 4. Auguſt. 1667.
Venette, Nic. de la generation de l'homme, 12. a Cologne 1696.
Venus Minſiecke Gaſthuys, 8. Amſterd. 1681.
Verduc, J. Bapt. chirurgie des operations, 8. a Paris 1694.
Verheyen, Phil. anatomia corporis humani, 8. Lipſ. 1699.
Veſalii, Andr. anatomia, fol. Venet. 1614.
Veſti, Juſti, œconomia corporis humani, 8. Erford.
Veslingii, Joh. Syntagma anatomicum cum Blaſii annot. 4. Patav. 1677.
Viardel, Cosmus, von der weiblichen Geburt, 8. Franckf. 1676.
Vicarii, Joh. Jac. Franc. baſis univerſæ medicinæ, 8. Ulmæ 1700.
Vieuſſens, Raym. de novis vaſis corporis humani, 8. Amſt. 1705.
Völckers, Chriſtoph, Hebammen-Buch, 8. Stuttgard 1670.

W.

Waldſchmidii, Joh. Jac. praxis medicinæ, 8. Francof. 1690.
Wedelii, Georg. VVolffg. Phyſiologia, 4. Jen. 1682.
Praxis clinica, 4. Jen. 1710.
Exercitationes medico-philologicæ, 4. Jen. 1686.

Welſchii,





INDEX RERUM.

A.

Ascarides

Clau-

Globus

M. Magni-

M.

N.

P.

Titilla-

U.

ERRATA.

Pag. 24. lin. 7. leg. crispum. pag. 83. l. 15. instantibus mensibus. pag. 58. l. 23. leg. sex digitis. pag. 62. l. 5. mihi licuit. pag. 98. lin. ult. hæc. pag. 95. l. 23. callosæ. pag. 96. l. 27. §. 20. pag. 98. l. ult. loco si te lege sit penis. pag. 123. l. 11. Clitoridis. p. 127. l. 10. sive alæ. p. 144. l. 30. bouton. p. 148. l. 4 & 5. parturientibus. p. 149. l. 26. expansa. p. 150. l. 12. fort. p. 152. lin. penult. tantam. p. 157. l. 23. meatus. p. 172. l. 7. loco etiam lege &. p. 186. l. 9. afferunt. l. 11. viro. p. 187. l. 11. fort. l. 11. la nature. l. 17. trouée. p. 188. l. 7. Tout. l. 14. Toutp. p. 193. l. 6. baccas. p. 209. l. 12. sanguinis. p. 215. l. 9. spirituum. p. 229. l. 23. pepend. p. 240. l. 23. ut in pumice. p 243. l. 7. post assentio adde. p. 250. l. 28. rouge. p. 254. l. 22. ebranlée. p. 255. l. 18. loco & lege ad. p 259. l. 15. œstro ne. p. 271. l. 10. imi Ventris. l. 15 gravissime. l. 25. striis. p. 272 l. 7. del. in utero fungi int. p. 279. l. 31. grosse. p. 283. l. 23. certius. p 286. l. frustra. p. 298. l. antep. revixit. p. 305. l. 7. minus. p. 307. lin. ult. inegaux. p. 314. l. 20. muliebrem. p. 318. l. ult. Acad. p. 351. l. 10. adhibuero.

